



VE
RI
TAS

B. ALBERTI MAGNI

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM

OPERA OMNIA

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE


AUGUSTI BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII

VOLUMEN DECIMUM SEPTIMUM

COMMENTARII IN TERTIAM PARTEM PSALMORUM (CI-CL)



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCIII

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

COMMENTARII

IN TERTIAM PARTEM PSALMORUM (CI-CL)

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI BORGNET,


Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

17


VOLUMEN DECIMUM SEPTIMUM

COMMENTARII IN TERTIAM PARTEM PSALMORUM (CI-CL).



PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCIII


HARVARD COLLEGE
DEC 29 1919
LIBRARY

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

TERTIA PARS

COMMENTARIORUM IN PSALMOS

(CI-CL).

PSALMUS CI.

Gemit de vitæ miseriis ; consolatur considerans immutabilitatem Dei et ecclesiæ quam fundavit.

1. *Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.*
2. Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.
3. Non avertas faciem tuam a me : in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam:
In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.
4. Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.
5. Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.
6. A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.
7. Similis factus sum pellicano solitudinis : factus sum sicut nycticorax in domicilio.
8. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.
9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me adversum me jurabant :
10. Quia cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam:
11. A facie iræ et indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.
12. Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui.
13. Tu autem, Domine, in æternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.

14. Tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus :
15. Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terræ ejus miserebuntur.
16. Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam :
17. Quia ædificavit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua.
18. Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.
19. Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum.
20. Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram adspexit :
21. Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios imteremptorum :
22. Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem,
23. In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.
24. Respondit ei in via virtutis suæ : Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.
25. Ne revoces me in dimidio dierum meorum : in generationem et generationem anni tui.
26. Initio tu, Domine, terram fundasti : et opera manuum tuarum sunt cœli.
27. Ipsi peribunt, tu autem permanes : et omnes sicut vestimentum veterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur :
28. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.
29. Filii servorum tuorum habitabunt : et semen eorum in sæculum dirigetur.

IN PSALMUM CI

COMMENTARIUS.

« *Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam*[1]. »

« *Domine, exaudi orationem.* » Hic est Psalmus in toto libro centesimus primus, et primus in tertia parte libri.

Cum enim, sicut in principio libri dictum fuit, prima quinquagena proprie respiciat ad statum incipientium, secunda vero ad statum proficientium, et tertia ad statum perfectorum, status autem perfectorum sit in contemplatione et desiderio æternorum contemptis omnibus temporalibus rebus et mobilibus, hic autem status incipiat ab oratione et paupertate, oratione, inquam, pro præsenti miseria auferenda, vel saltem comprimenda, optime hic Psalmus primus est in hac tertia quinquagena. Tertia quinquagena ad perfectos pertinet.

[1] Des ℣℣. 14, 15, 21, il ressort clairement, dit M. l'abbé Lesêtre, qu'à l'époque où le psaume fut composé, le peuple était en captivité et Jérusalem ruinée de fond en comble, mais que toutefois l'heure de la délivrance était proche. Nous avons là une prière dans laquelle le Psalmiste déplore la profonde misère où il est plongé, et supplie Jéhova de se souvenir de Sion, pour lui rendre ses habitants et son antique splendeur. Quant à dire quel est le nom de ce psalmiste, aucun document ne nous le permet. Est-ce Jérémie, dont les Lamentations ont quelques traits communs avec le psaume ? Est-ce comme croit Johnson, Daniel dont le chapitre IX a aussi quelque lointaine ressemblance avec cette prière ? Nul ne peut le dire avec quelque certitude. En tous cas les lévites capables de composer des psaumes, à l'imita-

1 Argumentum Psalmi : Lamentatur præsentis sæculi miseriam.

Agitur enim in hoc Psalmo, sicut vult titulus, de oratione pauperis anxiati : sic enim habet titulus : « *Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam,* » secundum illud I Reg. i, 15 : *Vinum et omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Et, Thren. ii, 19 : *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum : effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.*

Et est quintus in Psalmis Pœnitentialibus. Primus enim respondet contritioni cordis, secundus confessioni oris, tertius vero cum aliis sequentibus spectat ad satisfactionem operis, quæ consistit in passione voluntaria adversitatum vel tribulationum, vel illatarum ab aliis : sic in tertio, ubi dicitur : *In flagella paratus sum :* vel sibiipsi a seipso inflictarum, ut in quarto : vel immissarum a Deo, in isto : vel in bona habitudine sui ad proximum, ut in sequentibus duobus : *De profundis*, et, *Domine, exaudi orationem meam : auribus percipe*, etc. [1].

Dividitur autem hic Psalmus in duas partes principaliter. In prima enim orando et conquerendo agit de defectu humanæ mortalitatis. In secunda, de statu æternitatis et stabilitatis, ad quam transimus per Christum, ibi, ℣. 13 : « *Tu autem, Domine.* »

In prima duo. Primo, orat tangendo in universali humanam miseriam, et mutabilitatem. Secundo, specificat per partes, quanta sit humana mutabilitas, et miseria, ibi, ℣. 4 : *Quia defecerunt.* »

In prima duo. Primo, petit ut exaudiatur. Secundo, ostendit modum quo vult exaudiri, ibi, « *Et clamor.* »

Dicit ergo : « *Domine,* » quia potes, « *exaudi,* » ad effectum audi, vel in exitu de corpore, vel de mundo, « *exaudi,* » tunc enim tempus est, « *orationem meam.* » Judith, ix, 17 : *Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem.* 2 Prima pars Psalmi.

tion de ceux de David, n'ont jamais manqué parmi le peuple de Dieu, même à Babylone. Ici le psalmiste parle de ses souffrances personnelles, mais ses souffrances ont pour cause l'état misérable auquel est réduite toute sa nation ; tout en parlant en son propre nom, il fournit donc à ses malheureux compatriotes une prière que chacun d'eux pourra adresser à Jéhova du fond de l'exil. On comprend du reste qu'il ne pouvait faire parler la communauté dans un temps où le culte liturgique était interrompu, et où les captifs refusaient de faire entendre les hymnes de Sion aux oreilles de leurs conquérants : « *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* » Psal. cxxxvi, 4.

Le titre qu'on lit en hébreu et dans les versions est une adaptation postérieure du psaume à des circonstances plus générales : « Prière du pauvre lorsqu'il est accablé, et que devant Jéhova il répand sa plainte. » En ce sens, « convenit et cuilibet cum aliqua calamitate « luctanti, et divinam opem ut consequatur ob- « secranti. » Theod.

Comme tous les psaumes des temps voisins de la captivité, celui-ci laisse entrevoir dans l'avenir la gloire universelle de Jéhova que tous les peuples reconnaîtront et célèbreront ensemble. Mais cette gloire future n'est possible que si dans le présent Dieu délivre son peuple : Dieu est puissant et éternel, tandis que les hommes sont faibles et passagers ; il aura donc pitié de la génération présente : grâce à sa puissance et à sa bonté, la délivrance est assurée.

La seconde partie du psaume, ℣℣. 13-29, décrit un avenir qui n'aura de réalité que par le règne de Jésus-Christ et la conversion des gentils. Le psaume est donc messianique sous ce rapport. S. Paul, ad Hebr. i, 10-12, voit directement le Fils de Dieu dans les derniers versets du psaume. La délivrance de la captivité était la figure de la rédemption générale du genre humain par l'avènement du Sauveur, et aussi de la Rédemption particulière préparée dans chaque âme par la pénitence ; c'est pour cette raison que l'Église a mis ce psaume au nombre des pénitentiaux.

[1] Psal. cxxix et cxlii.

« *Et clamor meus.* » Hic subjungit modum quo velit exaudiri quadruplicem, quia a Deo ipso proprie et specialiter: et secundo, ab ipso benigniter, ibi, ỳ. 3 : « *Non avertas.* » Et tertio, quod universaliter quandocumque clamavit, ibi, « *In quacumque die tribulor.* » Et quarto, velociter, ibi, « *In quacumque die invocavero te.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut exaudias orationem, non per Angelum quem des mihi adjutorem, sed « *clamor meus,* » et cordis, et oris, « *ad te* ipsum *veniat,* » non ad alium. Psal. xxxiii, 18 : *Clamaverunt justi, et Dominus,* ipse, non alius, *exaudivit eos.* Et alibi, Psal. xvii, 7 : *Et clamor meus in conspectu ejus, introivit in aures ejus.* Eccli. xxi, 6 : *Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet,* etc.

3 « *Non avertas faciem.* » Hic secundum. Quasi diceret : Et si audis ipsemet, « *non avertas,* » tamquam indignans et iratus, « *faciem tuam,* » sed benigne convertas illam ad me. Psal. lxviii, 18 : *Non avertas faciem tuam a puero tuo.* Thren. iii, 56 : *Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus.* Dominus enim aliquando avertit ab hominibus faciem. Jerem. xv, 1 : *Non est anima mea ad populum istum, ejice illos a facie mea.* Et, xviii, 17 : *Dorsum, et non faciem, ostendam eis.*

« *In quacumque.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic exaudi per teipsum et benigniter, et etiam « *in quacumque die tribulor,* » qui infra sum, « *inclina ad me,* » clamantem, « *aurem tuam,* » qui es sursum. Augustinus : « Tribulor « deorsum, tu autem es sursum. » Joan. viii, 23 : *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Isa. xxxvii, 17 : *Inclina, Domine, aurem tuam.* Et ita faciet : Dominus enim libenter audit tribulatum. Jonæ, ii, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me.*

« *In quacumque die.* » Hic quartum. Quasi diceret : Sic exaudi velociter tribulatum, et « *in quacumque die invocavero te,* » id est, intus vocavero te, « *velociter exaudi me,* » sine dilatione, quod et facis. Eccli. ii, 12 : *Quis invocavit,* Dominum scilicet, *et despexit illum?* Etsi non forte velociter desideriis, velociter tamen meritis. Isa. xxx, 19 : *Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.* Isa. lxv, 24 : *Eritque antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam.*

« *Quia defecerunt.* » Hic secundum, 4
in quo ostendit quasi specificando, humanæ miseriæ quantitatem : et dicuntur tria. Primo, specificat lamentando miseriam afflictionis, comparatione ad carnem et corpus proprium. Secundo, miseriam paupertatis comparatione ad mundum, ibi, ỳ. 7 : « *Similis factus sum.* » Tertio, miseriam abjectionis, ibi, ỳ. 9 : « *Tota die contristatus.* »

In prima tria, secundum tria in quibus humanum genus deplorat. Primo, ostendit lamentando defectum debilitatis, quoad robur. Secundo, mortalitatis, ibi, ỳ. 5 : « *Percussus sum.* » Tertio, ignorantiæ et cæcitatis, seu erroris, ibi, ỳ. 6 : « *A voce gemitus.* »

In prima duo. Primo, tangit defectum debilitationis, quantum ad evaporationem et evanescentiam. Secundo, quoad consumptionem, ibi, « *Et ossa mea.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod tribulor, propter quod peto exaudiri et bene, « *quia dies mei defecerunt.* » Metonymia est, ego in diebus meis existens, et vita mea defecit per evaporationem, « *sicut fumus.* » Sapient. v, 15 : *Quoniam,* omnia illa scilicet transierunt, *tamquam fumus qui a vento diffusus est.* Psal. xxxvi, 20 : *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* Jacob. iv, 15 : *Quæ est enim vita nostra? Vapor est ad modicum parens.*

« *Et ossa mea.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic affligor evanescendo tamquam fumus, et etiam « *ossa mea aruerunt,* » humore deficiente, « *sicut cremium,* » quod dicitur a *cremo, cremas.* Psal. xxi, 16 : *Aruit tamquam testa virtus mea.* Et, Psal. xxx, 11 : *Ossa mea conturbata sunt.* Luc. xxi, 26 : *Arescentibus hominibus præ timore et exspectatione,* etc. Vel, ex compassione, II ad Cor. xi, 29 : *Quis scandalizatur, et ego,* etc. Vel, ex timore gehennæ, Genes. xxxi, 40 : *Æstu urebar, et gelu.*

5 « *Percussus sum.* » Hic secundum, in quo monstratur defectus mortalitatis. Primus, in separatione animæ a corpore. Secundus, desiccatio ab humore gratiæ, ibi, *Et aruit cor meum.* » Tertio, ratio utriusque, scilicet contemptus boni æterni, ibi, « *Quia oblitus sum.* »

Dicit ergo : Sic deficio, quantum ad debilitatem, et etiam « *percussus sum,* » in infirmitate, « *ut fœnum,* » et mortuus suum, id est, mortalis factus sum. Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.*

« *Et aruit.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic mortalis sum, et ab humore gratiæ desiccatum est « *cor meum.* » Numer. xi, 6 : *Anima nostra arida est.* Joan. xv, 6 : *Mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.*

Et hæc omnia : *Quia oblitus sum comedere panem meum,* » multiplicem panem. Primo, panem materialem : qui enim obliviscitur comedere panem suum, et semper vult comedere alienum, aridus efficitur a gratia Dei. De hoc enim pane dicitur, Genes. iii, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane,* etc. Hunc enim panem comedit, cui quod habet sufficit. Item, panem multiplicis gratiæ, quem debemus comedere, de quo in Psal. cxxxi, 15 : *Pauperes ejus saturabo panibus,* multiplicis gratiæ : hunc enim panem comedimus, quando multiplicis gratiæ operibus nos ipsos exercemus. Item, doctrinæ quam debemus quotidie ruminare, de quo Eccle. xi, 1 : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Hunc comedimus, quando audita memoriæ commendamus. Item, Eucharistiæ, qui oblivioni non debet tradi, de quo Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, in se omne delectamentum habentem, et omnis saporis suavitatem.* Hunc comedimus, quando cum deliberatione firmiter credimus. Augustinus : « Crede, et manducasti. » Et pœnitentiæ, quem cito oblivioni tradimus, de quo in Psal. lxxix, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Hunc comedimus, quando opera misericordiæ amplectimur. Item, beatitudinis æternæ, qui valde est appetendus, de quo Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus.* Et, Luc. xiv, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hunc aliquo modo comedimus, quando orationi vacamus.

Panis multipliciter sumitur

6 « *A voce gemitus.* » Hic tertium malum, quod deplorat, scilicet cæcitatis et ignorantiæ.

Ait enim : Sic mortalis factus sum, et etiam « *os meum,* » ratio mea, quæ totum deberet sustentare, « *adhæsit,* » excæcata, et misera per consensum, « *carni meæ.* » Psal. cxviii, 25 : *Adhæsit pavimento anima mea.* Pavimentum, caro est terrena diligens, et in illis prostrata. Et hoc « *a voce,* » id est, propter vocem, « *gemitus mei,* » id est, quæ generat in me gemitum, et dolorem, hoc est, a voce, id est, suggestione diaboli. Thren. i, 22 : *Multi gemitus mei.* Et hoc a voce diaboli, quæ inflammat me ad peccatum. Jerem. xi, 16 : *Ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in ea, et combusta sunt fruteta ejus. Os* etiam dicuntur fortes, *caro* infirmi. Os ergo debet adhærere

carni, quia fortes debent supportare infirmos. Ad Roman. xv, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* Et hoc quod sic faciant, manifestatur « *a voce gemitus mei,* » dicit Christus, id est, gemitus eis a me dati, sicut in Paulo evidenter apparebat, qui dicebat, II ad Corinth. xi, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Utinam posset dici illud Cantic. ii, 12 : *Vox turturis audita est in terra nostra.*

7 « *Similis factus sum.* » Hic secundum totius illius partis, in qua demonstrat et specificat humanam miseriam. Ostensa enim humana miseria quantum ad afflictionem, hic eamdem ostendit quantum ad paupertatem.

Et dividitur in tres partes, secundum tres aves, per quas designat illam. Est enim pauper in eremo, qui comparatur avi in solitudine. Et est pauper in claustro, qui comparatur nycticoraci in domicilio. Et est pauper in sæculo, quamvis forte sit constitutus in alto, qui designatur in passere in tecto. Secundum, ibi, in fine ℣. 8 : *Factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Tertium, ibi, ℣. 8 : « *Vigilavi.* »

Tria pauperum genera per tres aves declarantur.

Dicit ergo : Tot sunt miseriæ meæ afflictionis, et etiam quantum ad paupertatem, « *similis factus sum pellicano solitudinis.* »

Dicunt, quod pellicanus est avis Ægyptiaca, ciconiis corporis magnitudine similis, macie semper affecta, quæ non gregatim volat, sed in solitudine semper conversatur [1].

« *Sicut nycticorax.* » Hic secundum. Quasi diceret : Non tantum illam sustineo miseriam, imo etiam « *factus sum sicut nycticorax,* » id est, noctis corvus, corvini scilicet generis avis, quæ nocte quærit sibi domum, « *in domicilio* » habitans, hoc est, in muris domorum : sic vir in ruinosis domibus habitat, et quærit sibi cibum cœlestem per orationem. Thren. ii, 19 : *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum.* Isa. xxvi, 9 : *In præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Utilis enim valde spiritui, et ejus refectiva ista vigilia, cum discretione facta, quia domat carnem. Eccli. xxxi, 1 : *Vigilia honestatis tabefaciet carnes.*

In hoc ipso notatur paupertas, quia in domiciliis habitat, non in palatiis. I Paralip. xvii, 1 : *Arca fœderis Domini sub pellibus est.*

Legitur hoc in Glossa, de statu triplici eorum ad quos potest prædicator et debet declinare, qui sunt in triplici statu per has tres aves designati. Et de Christo qui secundum sui statum triplicem huic avi triplici assimilatur.

« *Vigilavi, et factus sum.* » Hic tertium, in quo comparat se passeri, et in duobus. Primo, quantum ad actum. Secundo, quantum ad locum, ibi, « *Et factus sum.* » 8

Ait enim : Sic assimilatus sum pellicano, et nycticoraci : et etiam « *vigilavi sicut passer,* » in nocte ad litteram. Matth. xxv, 13 : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* Et, Marc. xiii, 35 : *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat.* I Petr. iv, 7 : *Vigilate in orationibus.* Matth. xxvi, 41 : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*

« *Et factus sum sicut passer,* » qui modico cibo contentus est, « *solitarius,* » non in multitudine, et longa cauda sociorum, existens tamen « *in tecto,* » in altiori loco in Ecclesia. Hoc est tectum, a quo non est bonum descendere instanti judicio. Matth. xxiv, 17 : *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua.* Existentes autem in illo debent esse passeres, cibo modico contenti. Cassiodorus : « Non per ingluviem ven-

[1] Cf. Job, xxxix, 1 et seq., quæ dicit de ibicibus.

« tris escarum ambitione decipiar, pau-« pere cibo contentus. » Et deberent esse solitarii, non trahentes post se consortia ambitiosa, et superflua. Amos, VI, 1 : *Væ, qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel!*

9 « *Tota die exprobrabant.* » Hic tertium, in quo tangitur miseria abjectionis et vilitatis, quæ est in exprobratione ab adversariis facta : et dicuntur duo. Primo, abjectio, et exprobratio. Secundo, ratio quare exprobrant, ibi, ℣ 10 : « *Quia cinerem.* »

In prima duo secundum modos duos exprobrandi, quos tangit. Primo, aperte propter mala quæ fecit. Secundo, occulte, et quasi sub commendatione propter bona quæ omisit, ibi, « *Et qui laudabant.* »

Pœnitentiam agentes a peccatoribus irridentur.

Dicit ergo : Sic afflictus sum, sic pauper, et etiam abjectus, quia « *inimici mei,* » dæmones. Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.* Et mali homines, hæretici, tyranni, fratres falsi, « *exprobraverunt mihi,* » et hoc improperando mala quæ gessi, « *tota die,* » frequenter, et in aperto. Psal. XL, 6 : « *Inimici mei dixerunt mala mihi.* Nec mirum, quia ipsi Christo improperabant quod non erat malum in veritate, sed tantum sua reputatione. Matth. IX, 11 : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Et, ibidem, XI, 19 : *Ecce homo vorax, et potator vini.* Luc. VII, 39 : *Hic si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.*

« *Et qui laudabant.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic exprobrabant aperte : « *et qui laudabant me,* » in ore suo, et in aperto magnificantes bona si feci aliqua, « *adversum me jurabant,* » conspirando latenter contra me. Isa. VIII, 12 : *Omnia quæ loquitur populus iste, conjuratio est.* Isa. III, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt,* ad te decipiendum tendunt, sicut et ipsi Christo faciebant, cui in ore dicebant illud, Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces :* et concilia faciebant latenter, qualiter ipsum perderent [1].

« *Quia cinerem.* » Hic secundum, in quo ponit rationes quas habebant inimici exprobrandi. 10

Et dividitur in duas partes, secundum duplicem miseriam, propter quam exprobrant, quam tangit. Prima miseria, quæ voluntarie suscepta est. Videntes enim voluntarie miserum, exprobrabant. Secunda, a Deo propter peccatum inflicta, propter quam et irridebant, ibi, ℣. 11 : « *A facie iræ.* »

In prima duo, secundum duplicem miseriam voluntariam. Prima est carnis mortificatio. Secunda, vera cordis devotio, ibi, « *Et potum meum.* »

Dicit ergo : Sic exprobraverunt mihi inimici mei. Cur hoc? « *Quia,* » agens pœnitentiam, « *comedebam panem,* » panem, inquam, nigrum et asperum, « *tamquam cinerem :* » plus agens quam rex Ninive qui sedebat in cinere [2], et quam Job, qui dicit, XLII, 5 et 6 : *Nunc oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Pœnitens enim debet uti iis quæ prius erant ei abominabilia. Job, VI, 7 : *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc, præ angustia, cibi mei sunt.* Item, cineres sunt ignis reliquiæ, et peccatorum signa. Joel, I, 19 : *Ignis comedit speciosa deserti :* et de quodam peccato,

Per cineres reliquiæ peccatorum designantur.

[1] Cf. Joan. XI, 47 et seq.

[2] Jonæ, III, 6 : *Et pervenit verbum,* Jonæ scilicet, *ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere.*

scilicet de luxuria, Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Et de avaritia, Proverb. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Per cineres ergo reliquiæ peccatorum designantur, quas pœnitens tamquam ignem devorat, quia paulatim illas annihilat. Isa. x, 27 : *Computrescet jugum*, peccati scilicet, *a facie olei.* Et, ibidem, xiv, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et germen, et reliquias, et progeniem.*

« *Et potum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Aspera comedebam, propter quod irridebant : « *et*, » etiam « *potum meum*, » ad litteram, « *miscebam cum fletu*, » tanta erat cordis contritio, et devotio. Alibi, in Psal. lxxix, 6 : *Potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Bona mixtura quam facit gratia contritionis, sed melior quam facit gratia devotionis, quando ad litteram calix bibitur cum lacrymis. Augustinus dicit de corpore Christi : « Iste panis, sanus « ægris, quem lacrymæ faciunt dulcem. » Et ego dico, iste calix. Proverb. ix, 5 : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Lacrymæ sanguis cordis sunt : ergo sanguini sanguis jungitur. Osee, iv, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit*, eo modo quo tangi potest. Ille enim gloriosus sanguis in venis est, sed exteriores spiritus junguntur, et miscentur.

11 « *A facie iræ.* » Hic tangit miserias a Deo propter peccatum inflictas. Dicuntur ergo duo. Primo, quod a Deo est ei miseria inflicta. Secundo, specificat per partes quæ sit illa, ibi, « *Quia elevans.* »

Dicit ergo : Sic cinerem comedo, lacrymas bibo : et hoc, « *a facie*, » a præsentia « *iræ*, » id est, percussionis et afflictionis, « *indignationis tuæ*, » id est, a tua indignatione, quasi procedente, et ipsam sequente. Quasi diceret : Primo indignatus est auferendo gratiam : secundo, iratus immittendo pœnam. Nahum, i, 6 : *Indignatio ejus effusa est ut ignis.*

De ira, Joan, iii, 36 : *Ira Dei manet super eum.* Ad Ephes. ii, 3 : *Eramus omnes natura filii iræ.*

« *Quia elevans.* » Hic tangit et specificat inflictas à Deo miserias, quas comprehendit in tribus. In ablatione dignitatis, hic prima. In brevitate vitæ et durationis, hic secunda, ibi, ℣. 12 : « *Dies mei.* » Tertio, in necessitate mortis, ibi, « *Et ego sicut fœnum arui.* »

Ait ergo : Bene dixi, quod affligis, et effectum irati in me exerces, quia « *elevans*, » me primo ad tantum honorem, ut essem ad imaginem tuam, secundum illud Genes. i, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem*, etc. Ut præessem cunctis animantibus terræ, et piscibus maris, et volatilibus cœli [1]. « *Allisisti me*, » statim propter peccatum inobedientiæ dejiciendo. Genes. iii, 23 : *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis.* Glossa : « Quanto « magis fuit in donis elevatus, tanto « gravior fuit casus. » Job, xxx, 22 : *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me.*

« *Dies mei sicut umbra.* » Hic secunda 12
miseria inflicta, scilicet brevitas vitæ, et necessitas moriendi. Et non tantum allisisti et dejecisti a dignitate, imo « *dies mei defecerunt*, » defectibiles facti sunt, « *sicut umbra.* » I Paral. xxix, 15 : *Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora.* In Psal. cviii, 23 : *Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum.* Nec tantum dies, sed anima transierunt sicut umbra [2]. Et nota, quod bene comparatur vitæ

[1] Genes. i, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.*

[2] Sapient. v, 9 : *Transierunt omnia illa tamquam umbra*, etc.

Vita nostra umbræ collata. nostræ brevitas umbræ. Primo, quia sicut umbra fit ex oppositione opaci corporis ad luminosum, sic brevitas vitæ nostræ facta est ex oppositione peccati ad Deum. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Item, quia umbra vana res, et vacua est : sic dies hominis vani, et vacui. De vanitate, Eccle. I, 2 : *Vanitas vanitatum,* etc. De vacuitate, Job, VII, 3 : *Ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.* Item, res obscura umbra : sic vita nostra ignorantia et obscuritate plena, imo obscuritas tota. Job, III, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.* Gregorius : « Valde mens humana affligitur, « quia ad intelligenda quæ Dei sunt, « excæcatur. » Item, cito transit sicut umbra vita nostra. Job, VII, 6 : *Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, et consumpti sunt absque ulla spe.* Et, ibidem, IX, 25 : *Dies mei velociores fuerunt cursore.* Isa. XXXVIII, 12 : *Dum adhuc ordirer, succidit me,* Item, retineri nequeunt dies, sicut nec umbra. Eccle. VIII, 8 : *Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis.* Item, similitudinem corporis habet, cum tamen corpus non sit : sic vita nostra vitæ similitudinem habet, et tamen mors est. Augustinus : « Idem « ipse homo simul est vivens et moriens : « et vivens, sed morti accedens, et a vita « discedens. » Quid enim est aliud nostrum vivere, nisi de vita transire ? Et hoc est mori. Propter hoc dicitur, Genes. II, 17 : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Item, umbra in fine diei longior apparet : sic homo, quo plus senescit, eo plus se vivere credit. Jerem. VI, 4 : *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi !*

« *Et ego.* » Ecce tertium, scilicet necessitas moriendi.

Ait enim : Sic dejectus a dignitate, sic in brevitate vita positus : « *et ego* » etiam « *arui sicut fœnum,* » id est, factus sum sicut fœnum aridum, quod necessario morietur, et statim evelletur. Psal. CXXVIII, 6 : *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.* Isa. XL, 7 : *Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos.*

« *Tu autem, Domine.* » Hic secunda pars principalis hujus Psalmi, in qua postquam egit de defectu humanæ mortalitatis, agit de immutabilitate æternitatis, ad quam transitus per Christum. **13** **Secunda pars Psalmi.**

Dividitur ergo hæc pars in duas. Primo, agitur de immutabilitate Christi, secundum quod Deus. Secundo, de data homini immutabilitate per Christum, ibi, ỷ. 14 : « *Tu exsurgens.* »

In prima duo. Primo, agitur de immutabilitate Christi absolute, secundum quod Deus. Secundo, de immutabilitate ejus in comparatione ad nos, ibi, « *Et memoriale.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, miser sum, et nihil nisi miseriam habeo : « *tu autem, Domine, in æternum permanes.* » Isa. XL, 8 : *Verbum Domini manet in æternum.* Thren. V, 19 : *Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem* [1]. Æternitas ergo tua meam labilem relevet temporalitatem.

« *Et memoriale.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic in te permanet, et in comparatione autem ad me, « *memoriale tuum,* » de quo Osee, XIV, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani,* scilicet permanet, « *in generationem et generationem,* » hoc est, in æternum. Quasi diceret : Mei perpetuam habes memoriam, ut exhibeas misericordiam. Psal. LXXVI, 10 : *Aut obliviscetur misereri Deus ?* Nullo modo, etsi iratus videatur. Habac. III, 2 : *Cum iratus fueris, mise-*

[1] Cf. ad Hebr. VI, 18 et 19.

ricordiæ recordaberis. Per memoriale nostri recordatur, quia in manibus et pedibus portat et latere. Isa. XLIX, 15 et 16 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui : ecce in manibus meis descripsi te.*

14 « *Tu exsurgens.* » Hic secundum totius hujus partis : tacta enim immutabilitate Christi secundum quod Deus est, hic agitur de immutabilitate data ab ipso Ecclesiæ, quæ est duplex. Altera præsentis vitæ, scilicet ædificatio in fide stabili. Altera in futuro, quæ est in mutatione corporis et animæ. De prima hic, de secunda, ibi, ỳ. 24 : « *Respondit ei,* » secundum unam lecturam, secundum aliam ibi, in medio ỳ. 24 : « *Paucitatem.* »

In prima duo. Primo, Ecclesiæ ædificatio in fide vera per Christum. Secundo, ipsius ædificatoris commendatio a fidelibus, ibi, ỳ. 19 : « *Scribantur hæc.* »

In prima duo. Primo, tangitur divina miseratio, tamquam fons et origo ædificationis. Secundo, ædificatio ipsa, ibi, ỳ. 15 : « *Quoniam placuerunt.* »

In prima duo. Primo, tempus miserationis. Secundo, opportunitas miserandi, ibi, « *Quia novit.* »

Dicit ergo : Bene dixi, quod mei habes memoriam : et « *tu exsurgens,* » quasi de quodam somno et torpore, in quo videris esse, « *misereberis Sion,* » id est, miseriæ Sion misericordiam exhibebis. In Psal. XI, 6, supra : *Propter miseriam inopum,* etc. Eccli. XXXVI, 15 et 16 : *Miserere civitati sanctificationis tuæ, Jerusalem.... Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis.*

« *Quia tempus miserendi ejus,* » supple, venit : et inculcat ex animi fervore, et propter certitudinem, « *quia venit tempus.* » Venit autem tempus placitum, Isa. XLIX, 8 : *In tempore placito exaudivi te.* Tempus acceptum, II ad Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Tempus opportunum, de quo Eccli. XXXV, 26 : *Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Tempus plenum, ad Galat. IV, 4 : *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Hoc tempus, de quo Isa. XIV, 7 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.*

« *Quoniam placuerunt.* » Hic est secundum. Tacta enim divina misericordia, 15
per quam facta est Ecclesiæ ædificatio, hic subjungitur de ædificatione ipsa : et dicuntur quatuor. Primo, per quem fuerit ædificata, tamquam quibusdam mediis. Secundo, de quibus fuerit ædificata, hoc est, qui fuerunt tamquam media, ibi, ỳ. 16 : « *Et timebunt.* » Tertio, quo actore fuerit ædificata, ỳ. 17 : *Quia ædificavit.* » Quarto, quare hoc, quo motivo, ibi, ỳ. 18 : « *Respexit.* »

In prima duo, secundum duo per quæ est ædificata Ecclesia. Primum, Apostolorum scientia quam habuerunt de prophetis. Secundum, misericordia qua pereuntibus miserti sunt, ibi, « *Et terræ ejus.* »

Dicit ergo : Bene dixi, quod ædificabis Sion, hoc est, Ecclesiam : et hoc, « *quoniam servis tuis,* » id est, Apostolis, « *placuerunt lapides ejus,* » Sion scilicet. Sion, Ecclesia : lapides super quos est fundata, Prophetæ : lapides vivi, imo vivacissimi. I Petr. II, 5 : *Vos ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis.* Illi lapides placuerunt servis Christi, Apostolis, quia in eorum scripturis et in imitatione eorum delectati sunt. Isa. LXI, 6 : *Vos sacerdotes Domini vocabimini* : *Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* Et hi servi ædificaverunt. II Esdræ, XVIII, 20, dicunt : *Surgamus, et ædificemus.* I ad Corinth. III, 9 : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.*

« *Et terræ ejus miserebuntur.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Placebit eis scientia prophetica, non Aristotelis, vel Hippocratis, vel Justiniani : et in ipsis erit misericordia : quia « *et terræ ejus,* » id est, Sion, hoc est, terræ ejus in Ecclesia, « *miserebuntur,* » imitatores tui facti, de quo in Psal. XXXII, 5 : *Misericordia Domini plena est terra.* Sapient. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes.* Sic miserebatur ille servus, qui dicebat, II ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror ?*

Bene miserentur terræ, qui eam doctrina et prædicatione convertunt in cœlum, et de obscurissima faciunt clarissimam, gratia juvante. II ad Corinth. III, 18 : *Transformamur de claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu.*

Thema pro festo sancti Stephani. Thema optimum in festo beati Stephani. Sanctis enim Dei lapides placuerunt, Jeremiæ virgini, et Stephano protomartyri, de quo dicitur : « Lapides torrentis « illi dulces fuerunt [1]. » Corpus atterebant, animam satiabant. Matth. IV, 3 : *Dic ut lapides isti panes fiant.* Non dicit Christus : sed lapides Stephani ei panes erant, qui lapidabatur a vobis, subductis falsis testibus, et de civitate ejectus, sicut significatum fuit in Naboth, de quo III Reg. XXI, 13 : *Eduxerunt eum,* scilicet Naboth, *extra civitatem, et lapidibus interfecerunt.* Et tamen terræ, miseris scilicet et terrenis se lapidantibus miserebuntur, quemadmodum beatus Stephanus positis genibus orabat pro lapidantibus [2].

16 « *Et timebunt.* » Hic secundum, de quibus est ædificata, quia de minoribus Gentium, quos tangit primo. Et de majoribus, quos secundo, ibi, « *Et omnes reges.* »

Dicit ergo : Sic erunt sapientes servi tui, sic charitativi, et misericordes : « *et timebunt,* » propter hoc, o « *Domine, Gentes* » communiter, « *nomen tuum.* » Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te, o rex Gentium ?* Apocal. XV, 4 : *Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum ?... Quoniam omnes Gentes venient, et adorabunt te.* Verum dicit. Isa. II, 2 : *Elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes Gentes.*

Nec solum minores, imo « *et omnes reges terræ,* » et majores, scilicet in Gentibus, et alios regentes, « *gloriam tuam,* » gloriosam potentiam tuam, supple, timebunt. Psal. LXXI, 11 : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Isa. XLIX, 23 : *Reges... vultu in terram demisso,* in signum humilitatis, *adorabunt te.*

« *Quia ædificavit.* » Hic tertium, in quo ostenditur, quo auctore fuerit ædificata : et quia actor sapiens non ædificat sine intentione, duo tangit. Primo, ædificationis actorem. Secundo, actoris intentionem, ibi, « *Et videbitur.* » 17

Dicit ergo : Bene per hæc ædificabitur, et a talibus, « *quia ædificavit,* » præteritum pro futuro certitudine prophetali, « *Sion.* » Ipse est actor principalis, non alius. Isa. XLV, 13 : *Omnes vias ejus dirigam : ipse ædificabit civitatem meam.* Et, ibidem, V, 2 : *Ædificavit turrim in medio ejus.*

« *Et videbitur.* » Ecce ædificantis intentio. Quasi diceret : Sic ædificavit Sion, id est, Ecclesiam : « *et videbitur,* » ab ea, propter hoc ædificavit ipsam, « *in gloria sua.* » Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Et, ibidem, XL, 5 : *Revelabitur gloria Domini,* quia, I Joan. III, 2 : *Videbimus eum sicuti est.* Matth. XXIV, 30 : *Et videbunt*

[1] Officium S. Stephani, protom. Ad Laudes, Antiph. 2.

[2] Act. VII, 58 et 59.

Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, et majestate [1]. Et mali expellentur, Isa. XXVI, 10 : *In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.* Et alia littera habet : « Tollatur impius ne videat gloriam Dei. »

18 « *Respexit in orationem.* » Hic quartum, scilicet quo motivo ædificavit illam, scilicet propter orationes humilium ipsum urgentes : de quibus tanguntur duo. Primum, quia preces illorum humilium suscepit. Secundum, quia susceptos exaudivit, ibi, « *Et non sprevit.* »

Dicit ergo : Sic ædificavit Ecclesiam : sed quare fecit hoc? quo movente? Certe quia « *respexit,* » oculo pietatis, « *in orationes humilium* : » quippe humiles elegit. I ad Corinth. I, 27 : *Infirma mundi elegit Deus.* Propter quod dicitur, Sapient. IV, 15 : *Et respectus in electos illius.* Iterum, Eccli. XXXV, 21 : *Non discedet donec Altissimus respiciat eam.* Propter hoc dicit illa Beata, quam respexerat, Luc. I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

« *Et non sprevit.* » Hic secundum. Quasi diceret : Nondum inspexit ut reciperet, « *et non sprevit precem eorum,* » quin petitum adimpleret. In Psal. XXI, 25 : *Non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.* Judith, IX, 16 : *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

19 « *Scribantur hæc.* » Hic secundum totius hujus partis, in qua agitur de Ecclesiæ ædificatione. Cum enim ostenderit quomodo, et per quem, et ex quibus, et a quo ædificata fuit, subjungitur hic actoris ædificationis commendatio : et dicuntur duo. Primo, quod laudabitur. Secundo, probatio, quod bene laudandus, ibi, ℣. 20 : « *Quia prospexit.* »

In prima duo. Primo, gestorum commendatio scripto, ut illorum maneat memoria. Secundo, quod sequens est ad hoc, laudis Christi continuatio, ibi, « *Et populus.* »

Dicit ergo : Sic ædificata est Ecclesia a Deo miserante orationibus humilium. « *Hæc* » ergo, ne in oblivionem veniant, « *scribantur,* » scripto commendentur, « *in generatione altera,* » futura. Isa. XXX, 8 : *Scribe ei super buxum, et in libro diligenter exara illud, et erit in die novissimo in testimonium usque in æternum.* Hæc fuit sapientia Evangelistarum, qui scripserunt quæ viderunt de Christo et audierunt, ad utilitatem sequentium. Joan. XX, 31 : *Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.*

« *Et populus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic moneo, quod scribantur : « *Et populus qui creabitur.* » Quis iste populus? jam enim aliqui populi non fiunt de nihilo, sicut Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Tropice, quando de peccatore fit justus. Peccatum enim facit hominem nihil esse. Ezech. XXVIII, 19 : *Nihili factus es,* dicitur peccatori angelo. Ergo cum de peccatore justus efficitur, creatur quodammodo. Propter hoc dicitur in Psal. L, 12 : *Cor mundum crea in me, Deus.* II ad Corinth. V, 17 : *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt.* Jacob. I, 18 : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.* Hic populus « *laudabit Dominum.* » Jerem. XXXI, 12 : *Et venient, et laudabunt in monte Sion.* Isa. LII, 8 : *Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.*

[1] Cf. Luc. XXI, 27.

20 « *Quia prospexit.* » Hic probat, quod vere laudandus, quia terræ misertus est : et tangitur primo miseratio. Secundo, monstratur in quibus, ibi, ℣. 21 : « *Ut audiret gemitus.* »

In prima duo. Primo, adspectum misericordiæ de excelsis direxit. Secundo, specificat ad quos, et unde direxerit.

Dicit ergo : Sic laudabit populus creandus, et justum erit : « *quia* » Dominus « *prospexit,* » propitius adspexit, « *de excelso sancto suo,* » habitaculo. Et specificat : « *Dominus adspexit in terram.* » Eccli. XVI, 30 : *Terram respexit, et implevit illam bonis suis.* Exod. II, 25 : *Respexit filios Israel, et cognovit eos.*

Et hoc, « *de cælo.* » Ecce excelsum sanctum suum. Psal. LXXIX, 15 : *Respice de cælo, et vide.* Prospicit ergo sanctum sicut est, quia propitius adspicit, et prospicit, quia procul adspicit. Primum, quantum ad bonos, sicut dictum est. Secundum, quantum ad malos, de quibus dicitur : *Prospicit Dominus quod veniat dies ejus*[1]. Vel, prospicit, id est, procul adspicit, etiam bonos ipsos ab æterno prædestinando, et adspicit eosdem gratiam infundendo, et justificando. Ad Roman. VIII, 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit,* etc.

21 « *Ut audiret.* » Hic secundum, in quo monstratur in quibus fuerit propitius, quia in tribus bonis, quæ contulit simplicibus hominibus et abjectis. Primum, solutio illorum a peccato et diabolica servitute. Secundo, deputatio ipsorum ad laudandum Deum post solutionem, ibi, ℣. 22 : « *Ut annuntient.* » Tertio, aliorum adunatio ad fidem de Christo per laudem, ibi, ℣. 23 : « *In conveniendo.* »

In prima duo. Primo, tangit meritum solvendorum, scilicet gemitum. Secundo, præmium, scilicet solutionis beneficium, ibi, « *Ut solveret.* »

Dicit ergo : Sic misertus est, et in hoc, « *ut audiret gemitus compeditorum.* » Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto : et clamorem ejus audivi*[2], tamquam existentium in compedibus peccati, de quibus II Reg. III, 34, dicitur in commendationem cujusdam : *Manus tuæ ligatæ non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati.* Et, Jerem. XXXIX, 7 : *Vinxit eum,* scilicet Sedeciam, *compedibus, ut duceretur in Babylonem.* Vel, in compedibus timoris Domini, de quibus Eccli, VI. 25 : *Injice pedem tuum in compedes illius.* Sed Dominus ab utrisque liberat, et solvit compeditos per gratiam. Sed sunt compedes indifferentes, infirmitas naturæ, de quibus Thren. III, 7 : *Aggravavit compedem meum.* Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Sed ab iis solvit conferendo gloriam.

« *Ut solveret.* » Hic primum gemitus præmium tangitur. Quasi diceret : Sic audivit gemitum, et ad hoc, « *ut solveret filios interemptorum,* » ad litteram mortuorum, et damnatorum in inferno, ut dicamus ei illud Psal. CXV, 16 : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Et alibi, Psal. CIV, 20 : *Misit rex, et solvit eum : princeps populorum, et dimisit eum.*

« *Ut annuntient.* » Hic secundum beneficium : et dicuntur duo. Primo, deputatio solutorum ad officium prædicationis. Secundo, ad officium laudis, ibi, « *Et laudem.* » 22

Ait ergo : Sic solvit. Ad quid? Ad hoc beneficium ulterius, « *ut annuntient nomen Domini,* » prædicando, dilatando, « *in Sion,* » in Ecclesia, quæ Deum per fidem contemplatur. I Petr. II, 9 : *Ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*

[1] Psal. XXXVI, 13.

[2] Cf. Act. VII, 34.

Psal. IX, 15 : *Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*

« *Et laudem ejus,* » dicant, vel annuntient, « *in Jerusalem,* » in Ecclesia, in qua sola videtur vera pax. Apocal. XIX, 5 : *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus : et qui timetis eum, pusilli et magni.* Eccli. XXXIX, 19 et 20 : *Benedicite Dominum in operibus suis, date nomini ejus magnificentiam.* Isa. IX, 18 : *Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.*

23 « *In conveniendo.* » Hic tertium, in quo tangitur de tertio beneficio, scilicet aliorum ad fidem Christi adunatio. Quid enim valeret dedisse ut annuntiarent, si nullum converterent ? Duo ergo tanguntur. Primo, minorum adunatio ad fidei unitatem. Secundo, majorum, ibi, « *Et reges.* »

Ait enim : Sic ad hoc solvit ut prædicent et laudent : et hoc « *in conveniendo populos,* » homines minores et populares, « *in unum.* » Joel, II, 15 et 16 : *Vocate cætum, congregare populum.* Osee, I, 11 : *Et congregabuntur filii Juda, et filii Israel : et ponent sibimet caput unum,* scilicet Christum, sicut factum est, quando verum fuit illud Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Ob hanc enim unionem faciendam Filius Dei mori voluit. Joan. XI, 50 : *Expedit ut unus moriatur homo pro populo,* dixit Caïphas, *et non tota gens pereat.* Quod exponens Joannes, ait, ℣℣. 51 et 52 : *Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit quod Jesus moriturus erat pro gente : et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

Concordia multum diligenda et appetenda.

Et nota, quod unitas et concordia diligenda est, et multum appetenda. Primo, quia Deus illam approbat, Eccli. XXV, 1 et 2 : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata sunt et coram Deo et hominibus : concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes.* Imo, quod plus est, non tantum approbat, sed diligit, Cantic. IV, 9 : *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui,* hoc est, in unione et concordia majorum et minorum. Hanc præcipit, Matth. V, 25 : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo.* Genes. XLV, 24, dixit Joseph fratribus suis : *Ne irascamini in via.* Ad Roman. XII, 18 : *Quod ex vobis est, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Angelorum consortes facit homines : ipsi enim unum sunt, et concordes. Job, XXV, 2 : *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Et, XXXVIII, 37 : *Concentum cœli quis dormire faciet ?* Vere ibi concentus, quia omnes in unum canunt illud Isaiæ, VI, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus,* etc. Fortitudinem et victoriam contra inimicum tribuit. Unde, Seneca : « Pugna « unanimiter aggressa victoriam parit. » I Reg. XI, 7 : *Egressi sunt quasi vir unus.* Et postea sequitur, ℣℣. 9 et seq., quod percusserunt Ammon, qui obsidebat Jabes Galaad. Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Religionem ædificat et construit, I Paralip. XXVIII, 3 et 5, dixit Dominus ad David : *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis... Sed et de filiis tuis elegi Salomonem,... qui ædificabit.* Eccli. XLVII, 15 : *Salomon imperavit in diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes, ut conderet domum in nomine suo, et pararet sanctitatem in sempiternum.* Efficaciam orationi tribuit, Matth. XVIII, 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et rursum, ℣. 19 : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis.* Per eam augetur gratia et crescit, Act. II, 1 et 2 : *Erant omnes pariter in eodem loco.* Et quid sequitur ? *Factus est repente de cœlo*

sonus, tamquam advenientis spiritus, etc.

Destruitur autem hæc unitas per discordiam, Proverb. xiii, 10 : *Inter superbos semper jurgia sunt.* Per invidiam, Jacob. iii, 14 : *Si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris.* Jacob. iv, 1 : *Unde bella, et lites in vobis ? Nonne hinc ? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris ?* Per ambitionem dignitatum, sicut canes contendunt pro osse sibi projecto. Genes. xxxviii, 29 : *Divisa est propter te maceria*, potest dici ambitioso, qui primus vult nasci ad dignitatem. Propter nimiam imperantis austeritatem. Exemplum, III Reg. xii, de Roboam. Ezech. xxxiv, 4 : *Cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia.* Per singularitatem, Deuteur. xii, 13 et 14 : *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco,... sed in eo quem elegerit Dominus.* Exod. xxvi, 1 et seq., omnes cortinæ, et omnia saga tabernaculi unius mensuræ erant, et sibi invicem adhærebant. Psal. lxxx, 14 : *Singularis ferus depastus est eam.*

24 « *Respondit ei.* » Hic secundum secundæ partis totius Psalmi. Postquam enim actum est de Ecclesiæ ædificatione, in via a Christo jam in æternitatem translato, subjungitur de transitu Ecclesiæ ejusdem ad æternitatem quam desiderat, ad quam suspirantes gemimus in misera vita.

Tria ergo dicuntur in hac parte. Primo, desiderium et petitio pro transitu ad æterna, et fine præsentis vitæ. Secundo, persuasio quod sit petitioni acquiescendum, ibi, ỳ. 26 : « *Initio tu, Domine.* » Tertio, læta conclusio, pro certitudine adipiscendi quod petitum est, ibi, ỳ. 29 : « *Filii servorum.* »

In prima duo. Primo, determinatio status petentis. Secundo, petitio, ibi, « *Paucitatem.* »

Notandum tamen, quod secundum unam litteram, quam primo ponit Augustinus, hoc primum ordinatur ad antecedentia, ut sit sensus : Sic Dominus solvit a compedibus miseros, ut annuntient in Sion, et in Jerusalem laudent. « *Et Sion,* » id est, Ecclesia vel Jerusalem, et est idem, « *respondit ei,* » id est, Deo in suis prædicatoribus, hoc est, fructum fecit : sicut terra dicitur cultori respondere, quando fructum reddit. Sic habes quid respondit, quia bonam operationem : cui respondit, Deo : sed ubi existens ? « *In via virtutis suæ.* » Virtus Ecclesiæ omnis est a Deo. Luc. xxiv, 49 : *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Jacob. i, 17 : *Omne datum optimum*, etc. Sed via virtutis quæ venit a Patre luminum, Christus est. Job, xxxviii, 24 : *Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram ?* per Christum. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via.* Secundum hanc lecturam de antecedentibus est hic Psalmus.

Sed aliter potest legi, sicut divisum est. Quasi diceret : Sic ædificata est Ecclesia, et ipsa existens, id est, perseverans, et fortiter stans, « *in via virtutis suæ,* » id est, in fide, quæ est via virtutis. II ad Corinth. v, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.*

« *Respondit ei,* » Deo loquenti in suis prædicatoribus. Quid ? Ea quæ sequuntur : « *Paucitatem :* » et sunt tria, quæ petenda dicit. Primum, ut vita misera finiatur. Secundum, ut finita non revertatur, ibi, ỳ. 25 : « *Ne revoces me.* » Tertium est ut æterna conferatur, ibi, « *In generatione.* »

Dicit ergo : Existens in hoc statu respondit. Quid ? Hoc : « *Paucitatem dierum meorum.* » Job, xiv, 5 : *Breves dies hominis sunt.* Genes. xlvii, 9 : *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali.* « *Nuntia mihi.* » Quasi diceret : Cito fac finem. Hanc paucitatem supra, in Psal. xxxviii, 5, tangit : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Hanc ipso facto sibi nuntiari desiderabat, qui dicebat, ad Philip. i, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et es-*

se cum Christo. Hanc nolebat, qui plorans annos ter quinos impetravit [1].

Vel, potest esse vox Ecclesiæ loquentis Christo capiti, quod Ecclesia existens in fide respondit : « *Nuntia mihi paucitatem dierum meorum.* » Dicunt enim hæretici, Judæi, et pagani, hic actu finituram, sed tu, nuntia quid verum sit : quod facit, Matth. XXIV, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

25 « *Ne revoces me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Paucitatem dierum meorum nuntia, et « *ne revoces me,* » postquam finivero vitam, « *in dimidio dierum meorum,* » ad litteram, sicut Ezechiam regem, qui bene voluit revocari ad vitam, et quindecim anni sunt ei additi [2]. Vel sic secundum Glossam : « Petii vitæ terminum nuntiari mihi, et « tamen, « *ne revoces me in medio die-* « *rum meorum,* » id est, totam vitam per- « mitte currere, ne fiat mihi sicut pes- « simis, de quibus in Psal. LIV, 24 : *Viri* « *sanguinum et dolosi non dimidiabunt* « *dies suos.* » Job, XV, 32 : *Antequam dies ejus impleantur, peribit.* Isa. XXXVIII, 10 : *Ego dixi : In dimidio dierum meorum,* etc.

« *In generationem.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic non me revoces, sed anni tui, mihi a te dati, sint « *in generationem et generationem,* » sicut æterni. Vel sic dicatur : « *Anni tui,* » ad litteram, sunt « *in generationem et generationem* » id est, æterni. In hoc quod ejus annos commendat, tales suos fieri postulat. Psal. CI, 28 : *Anni tui non deficient.* Job, XXXVI, 26 : *Numerus annorum ejus inæstimabilis.*

26 « *Initio tu, Domine.* » Hic secundum, in quo subjungitur persuasio, quod debeat transferri ad immutabilitatem, et in ipsam mutari, per hoc quod Deus alia minus nobilia immutabilia faciet, ipse manens immutabilis : unde dicuntur duo. Primo, agit de mundi immutatione in formam immutabilem. Secundo, ne Deus transmutans crederetur mutabilis, subjungit Dei immutabilitatem, ibi, ℣, 28 : « *Tu autem idem ipse es.* »

In prima tria. Primo, quasi incipere volens altius, tangit de creatione. Secundo, de creatorum corruptione quantum ad formas, quas nunc habent, ibi, ℣. 27 : « *Ipsi peribunt.* » Tertio, de corruptorum immutatione quantum ad formam meliorem, ibi, « *Et sicut opertorium.* »

In prima duo. Primo, tangit de terræ creatione. Secundo, cœli, ibi, « *Et opera.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, peto, et hoc potes, et debes, quia o « *tu, Domine,* » non alius : « *fundasti,* » fundatam et stabilem creasti, « *terram,* » ad litteram, « *et opera manuum tuarum,* » tuæ scilicet potentiæ, « *sunt cœli.* » Verum est, Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Isa. XLVIII, 13 : *Manus mea fundavit terram, et dextera mea mensa est cœlos.* Et, LI, 13 : *Tetendit cœlos, et fundavit terram.* Vel, si est in textu, « *initio,* » tunc legendum : « *Fundasti terram initio,* » id est, per initium, scilicet Filium. Sapient. VIII, 27 et 30 : *Quando præparabat cœlos, aderam... Cum eo eram cuncta componens.* Et Glossa hoc modo exponit verba Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram.*

« *Ipsi peribunt.* » Hic secundum, in quo ostendit corruptionem creatorum : 27
et dicuntur duo. Primo, corruptio. Secundo, modus in corrumpendo, ibi, « *Et omnes sicut.* »

In prima duo. Primo, ipsorum corruptio. Secundo, ne forte crederet quis

[1] Cf. Isa. XXXVIII, 2 et seq.

[2] Ibidem.

Deum cum iis corrumpi, obviat opinioni falsæ, ibi, « *Tu autem permanes ?*

Qualiter cœli mutabuntur ? Ait ergo : Sic creasti cœlos, et tamen « *ipsi peribunt,* » secundum formam in qua nunc sunt, non secundum substantiam suam. I ad Corinth. VII, 31 : *Præterit figura hujus mundi.* Quasi diceret : Non substantia. Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum stat :* multo ergo fortius cœlum.

« *Tu autem permanes :* » cum his non peribis, sed ipsa tenebis in eo quod erunt, aliter penitus defluerent in nihilum. Gregorius : « Essentia eorum ad nihilum « omnino tenderet, nisi actor omnium « manu regiminis eam teneret. » Malach. III, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Eccli. XLII, 17 : *Nonne fecit Dominus sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua ?*

« *Et omnes.* » Ecce secundum, in quo subjungit transeundi modum.

Ait enim : Sic cœli peribunt, « *et omnes veterascent,* » priorem formam amittent, « *sicut vestimentum,* » longo usu primam amittit formam. Sed quomodo dicit, *sicut vestimentum ?* vestimentum paulatim et successive formam amittit, sed illa subito amittent. Isa. LI, 6 : *Cœli sicut fumus liquescent.* II Petr. III, 10 : *Cœli magno impetu transient.* Responsio posset esse, quod non attenditur similitudo quantum ad modum in pereundo, sed quantum ad id quod perire debet. Quasi diceret : Sicut ibi forma, sic hic. Vel hæc similitudo sumitur quantum ad id propter quod totum dicitur, quantum scilicet ad hominem, in quo omnia mutabuntur sicut vestimentum. Compositum enim est humanum corpus ex omnibus, et ipsum animæ vestimentum. Job, X, 11 : *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus,* etc. Hoc autem mutabitur, et omnia elementa superiora quæ per cœlos, inferiora quæ per terram intelliguntur.

« *Et sicut opertorium.* « Hic secundum, in quo ostendit corruptorum reparationem in meliorem formam, et hoc per duplicationem immutationis, et exemplum.

Ait enim : Sic dico, quod peribunt, sicut vestimentum veterascendo, hoc est, primam formam amittendo. « *Et mutabis eos sicut opertorium,* » mutatur ab homine in melius, « *et mutabuntur,* » in veritate non destruentur. Hinc sumpsit Paulus quod dixit ad Hebr. I, 12 : *Velut amictum mutabis eos, et mutabuntur.* II Petr. III, 13 : *Novos cœlos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus.* Apocalyps. XXI, 1 : *Vidi cœlum novum, et terram novam.*

« *Tu autem idem ipse es.* » Dicta rerum mutabilitate, hic subjungitur de Dei immutabilitate, a qua est illa mutabilitas : et ostenditur non esse ex mutatione aliqua primo. Et non tendere in mutabilitatem aliquam secundo, ibi, « *Et anni.* » 28 Deus immutabilis.

Ait enim : Sic meliorabuntur alia, in quo mutabuntur : « *tu autem,* » illorum immutator et meliorator, « *idem ipse es,* » non mutatus ex priori. Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum :* non qui fui, vel ero.

« *Et anni tui,* » duratio scilicet tua, « *non deficient,* » ut muteris in aliud, vel tendas in non esse. Gregorius : « Anni ejus non deficiunt, quia sicut ejus « æternitas nullo initio incipit, ita nullo « fine terminatur. »

Et nota hic, quod est opertorium bonum, charitas. Proverb. X, 12 : *Universa delicta operit charitas.* Et, I Petr. IV, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Pœnitentia. Josue, II, 6 : *Operuit eos stipula lini,* id est, humili confessione, et pœnitentia peccati. Sic loquitur pœnitens, ubi dicit in Psal. XXXI, 1 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Verecundia. Unde de Rebecca dicitur, Genes. XXIV, 65 : *At illa tollens pallium suum,* Opertorium multiplex bonum et malum.

tamquam verecunda, *operuit se*. Taciturnitas. Numer. xix, 15 : *Vas, quod non habuerit operculum aut ligaturam desuper, immundum erit*. Tribulatio. Genes. vii, 19 : *Operti sunt*, scilicet aquis diluvii, *omnes montes excelsi sub universo cœlo*. Sed malum est triplex. Culpæ, scilicet hypocrisis. Zachar. xiii, 4 : *Nec operientur pallio saccino, ut mentiantur*. Ignorantiæ. Exod. xix, 16 : *Nubes densissima operuit montem*. Pœnæ æternæ. Isa. xiv, 11 : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes*.

29 « *Filii servorum*. » Hic est tertium principale hujus partis. Postquam præcessit supplicatio pro adeptione æternitatis, et persuasio ut sibi acquiescatur, hic subjungitur conclusio læta, quod sic fiet ut petitum est : et dicuntur duo. Primo, quod Apostolorum successores ad æternitatem et immutabilitatem transferentur. Secundo, tangit meritum translationis, scilicet bonas operationes, ibi, « *Et semen eorum*. »

Dicit ergo : Sic æternus es, et tibi jungi petii, et video, quod « *filii*, » id est, imitatores, « *servorum tuorum*, » Prophetarum scilicet, et Apostolorum, « *habitabunt*, » terram viventium, participes æternitatis facti. Et alludit illi facto, quod filii illorum qui exierunt de Ægypto, meruerunt terram promissionis : ipsi autem non intraverunt nisi duo, Caleb, filius Jephone, et Josue[1] : quamvis non sit simile, quoad hoc quod illi non intraverunt, servi intrant quales ipsi fuerunt. Matth. xxv, 21 : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca*, etc. Supra, in Psal. xiv, 1 : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis*, etc. Responsio: Servi, et imitatores servorum : propter hoc Paulus volens habere tales filios dicebat, I ad Corinth. xi, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*. Et Joannes dicebat quibusdam in I canon. ii, 18 : *Filioli, novissima hora est*. Glossa aliter exponit, etiam appellans filios opera bona, ut sit sensus : « *Filii servorum habitabunt*, » causaliter, id est, bona opera servorum, quæ sunt tamquam eorum filii, habitare facient. Psal. cxxxix, 14 : *Habitabunt recti cum vultu tuo*. Joan. xvii, 24 : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum*.

« *Et semen eorum*. » Hic secundum. Quasi diceret : Tales habitabunt : « *Et*, » id est, quia « *semen eorum*, » opera scilicet illorum bona, quæ sunt tamquam quædam illorum semina, defigitur ab eis per rectitudinem intentionis, et per hoc dirigit eos ut totum vadat simul, et operans, et operatum, « *in sæculum*, » id est, in æternitatem. Eccli. xiv, 21 : *Omne opus electum justificabitur : et qui operatur illud, honorabitur in illo*. Cassiodorus : « Nihil pravum, nihil potest esse ibi distortum : sed sancti ejus cum Domino stabili voluntate gaudebunt. » Ad quam stabilitatem, et ad quod gaudium nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. Numer. xiv, 30, et xxxii, 12.

PSALMUS CII.

Omnes creaturas invitat ad recolenda Dei beneficia.

1. *Ipsi David.*
Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.
2. Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus :
3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas :
4. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus:
5. Qui replet in bonis desiderium tuum : renovabitur ut aquilæ juventus tua.
6. Faciens misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus.
7. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.
8. Miserator et misericors Dominus : longanimis, et multum misericors[1].
9. Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.
10. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.
11. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se:
12. Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.
13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se :
14. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum:
Recordatus est quoniam pulvis sumus :
15. Homo, sicut fœnum dies ejus : tamquam flos agri sic efflorebit.
16. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : et non cognoscet amplius locum suum.
17. Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.
Et justitia illius in filios filiorum,
18. His qui servant testamentum ejus,
Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.
19. Dominus in cœlo paravit sedem suam, et regnum ipsius omnibus dominabitur.
20. Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.
21. Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.
22. Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus.
Benedic, anima mea, Domino.

[1] Exod. xxxiv, 6 ; Numer. xiv, 18.

IN PSALMUM CII

COMMENTARIUS.

« *Psalmus* [1] *ipsi David* [2]. »

Psalmus hortatur ad laudem Dei et gratiarum actionem.

« *Benedic, anima mea.* » Hic est Psalmus centesimus secundus in toto libro, secundus in tertia parte libri.

Cum enim in præcedenti Psalmo præcesserit vox pauperis anxiati, usque ad panis comestionem similis cineri, hic convertitur ad beneficiorum Dei recordationem et laudem ipsius, propter illa, ne forte ruat in desperationem.

Et præponitur titulus jam frequenter expositus : « *Psalmus ipsi David :* » quod est : « *Psalmus* » subjectus, « *ipsi David,* » id est, Christo, per quem omnia bona in nobis sunt, quo mediante omnia in nos influunt, est cantandus.

Et dividitur Psalmus in duas partes principales. Primo, invitat ad benedicendum Deum proprium spiritum. Secundo, Angelicum, et omne simul creatum, ibi, ỳ. 20 : « *Benedicite Domino.* »

In prima dicuntur duo. Primo, invitatio animæ propriæ ad benedicendum, et Dei beneficia recolendum. Secundo, probatio, quod acquiescendum est persuasioni : vel magis enumeratio beneficiorum, propter quæ benedicendus, et commendandus est, ibi, ỳ. 3 : « *Qui propitiatur.* »

In prima duo. Primo, invitat ad benedicendum. Secundo, ad recolendum beneficia a benedicendo recepta, ibi, in medio ỳ. 2 : « *Et noli oblivisci.* »

In prima duo. Primo, invitatio. Secundo, invitationis inculcatio, ibi, ỳ. 2 : « *Benedic, anima,* » secundo loco positum.

In prima duo. Primo, invitatio animæ ad laudandum in se simpliciter. Secundo, ex totis viribus universaliter, ibi, « *Et omnia.* »

[1] In Vulg. deest verbum *psalmus*.

[2] Comme les psaumes XXV, XXVII, XXXIV, XXXVI, celui-ci a simplement pour titre en hébreu : « de David. » Il n'y a rien dans le fond des idées qui ne puisse être convenablement attribué au pieux roi ; ce serait une œuvre de sa vieillesse, comme le note d'ailleurs la version syriaque. Toutefois, quelques particularités de langage aux ỳỳ. 3 et 4 inspirent des doutes à plusieurs commentateurs. Jennings les formule en ces termes : « Le style « du psaume (comme celui du psaume suivant « qui semble avoir été composé pour être la « contre-partie du CIIme, et paraît être de la « même main) est certainement plus uniforme « que celui de la plupart des psaumes incon« testablement de David. C'est plutôt le style « de la période qui suivit l'exil, joyeux, ryth« mique, bien approprié à l'usage liturgique. « De plus, les coups d'œil rétrospectifs sur « l'histoire d'Israel, qui se trouvent ỳỳ. 7 et « suivants, sont plus communs dans les com« positions d'une période postérieure, et se « trouvent à peine dans les psaumes de David. « Nous concluons donc que ce psaume et le « suivant sont plus récents que David, le style « et les traits généraux, pensons-nous, doi« vent les faire ranger parmi ceux qui furent « composés à la fin de l'exil. » Delitzsch ne croit pas non plus qu'on puisse accepter le titre hébreu, et M. le Hir pense qu'il faut dater le psaume du retour de la captivité ; le titre indiquerait seulement que nous avons là une imitation des chants de David. Ce sentiment nous paraît le plus probable.

Les pensées du psalmiste ont rarement revêtu une forme plus noble et plus pathétique. « Ce psaume, l'un des plus beaux de David, « dit la Harpe en tête de sa traduction, peut « s'appeler le cantique des miséricordes du « Seigneur. Elles n'ont jamais été célébrées « d'un ton plus sublime, et jamais le sublime « n'a été plus touchant. » Aussi cette belle prière est-elle une de celles qui sont restées le plus vivantes dans le psautier, et le cœur chrétien aurait peine à trouver une expression plus évangélique et plus affectueuse de sa reconnaissance, particulièrement quand il vient de recevoir le pardon de ses péchés.

H. Lesêtre.

1 Dicit ergo : « *Benedic, anima mea, Domino.* » Tob. XIII, 19 : *Anima mea, benedic Dominum, quoniam*, etc.

« *Et omnia.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic, anima, benedic ex teipsa, « *et omnia quæ intra me sunt,* » motivæ vires et apprehensivæ, supple, benedicite « *nomini sancto ejus,* » laudando, gratias referendo, ipsum medullitus appetendo. Omnia enim quæ intra sunt, benedicunt,quando non repugnantes in voluntate ipsum desiderant et appetunt. Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* I ad Corinth. XIV, 15 : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Et est sacrificium multum placens Deo, intima cordis oratio. Chrysostomus : « Oratio est spirituale tributum animæ. »

2 « *Benedic, anima mea, Domino.* » Hic secundum, scilicet invitationis ad majorem expressionem inculcatio.

« *Et noli oblivisci.* » Præmissa invitatione ad benedicendum, hic invitat ad recolendum beneficia, unde surgit laus, et benedictio. Deuter. VI, 13 : *Cave diligenter ne obliviscaris Domini,qui eduxit te de terra Ægypti.* Duo autem sunt, quæ faciunt oblivisci beneficiorum Dei. Mundana prosperitas. Succedentibus prosperis pincerna oblitus est interpretis sui[1]. Deuter. VIII, 11 et seq. : *Cave... ne postquam comederis et satiatus fueris,... non reminiscaris Domini Dei tui.* Superbia, Osee, XIII, 6 : *Et levaverunt cor suum, et obliti sunt mei.*

[Ben]eficia jugiter [reco]lenda.

Nullus deberet oblivisci, quia magna beneficia non cito oblivioni traduntur : et beneficia recreationis magna sunt. In Psal. CX, 2 : *Magna opera Domini, exquisita*, etc. Item, quia nova et inconsueta : et talia sunt Dei opera. Jerem. XXXI, 22 : *Dominus creavit novum super teram.* Item, quia aliqua signa in memoriam relicta sunt : et Dominus magnum signum reliquit nostræ recreationis, Altaris sacramentum. Psal. CX, 4 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Multi tamen obliviscuntur beneficii passionis Christi, contra illud Eccli. XXIX, 20 : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam.* Beneficii liberationis a potestate diabolica. Eccle. IX, 15 : *Inventus est in ea*, scilicet civitate, *vir pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* Quotidianæ et assiduæ subventionis. Isa. XVII, 10 : *Oblita es Dei salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata.*

« *Qui propitiatur.* » Hic est secunda pars primæ partis totius Psalmi. Præmissa enim exhortatione de benedicendo Deo, et de recolendo ejus beneficia, hic ostendit quæ sunt illa beneficia, ut sic probet juste benedicendum, et monstret quid jugiter recolendum. 3

Tangit ergo primo beneficia sibi exhibita specialiter, hoc est, ipsi animæ suæ. Secundo, beneficia in aliis, et cum aliis, ibi, ℣. 6 : « *Faciens misericordias.* »

In prima quinque secundum quinque beneficia, quæ tangit. Primum est culpæ remissio. Secundum est infirmitatis contractæ ex culpa sanatio, ibi, « *Qui sanat.* » Tertium, redemptio a pœna inflicta pro originali culpa, ibi, ℣. 4 : « *Qui redimit.* » Quartum, largitio coronæ pro redemptionis victoria, ibi, in medio ℣. 4 : « *Qui coronat.* » Quintum est omnis desiderati adeptio, et omnis contrarii remotio, ut plena sit beneficentia et perfecta, ibi, ℣. 5 : « *Qui replet.* »

Dicit ergo : Sic benedic, et beneficia recole, et debes, « *qui,* » id est, quia ille, « *propitiatur,* » non tantum aliquibus, sed « *omnibus iniquitatibus tuis,* » culpas remittendo. Daniel. IX, 9 : *Tibi,*

[1] Cf. Genes. XL, 23.

Domino Deo nostro, misericordia et propitiatio. Penitus delendo. Isa. XLIV, 22 : *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.*

« *Qui.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic benedic, quia remittit culpas, et etiam « *qui,* » id est, quia ille « *sanat omnes,* » non tantum aliquas, « *infirmitates tuas.* » In Psal. CXLVI, 3, infra : *Qui sanat contritos corde, et alligat omnes contritiones eorum*, quæ derelictæ sunt ex peccato. Sic sanari petebat Jeremias, XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor.* Augustinus : « Aliud est infixum telum « de corpore demere, aliud vulnus, quod « relictum est, sanare. In primo est pro- « pitiatio, in secundo salvatio. » Luc. X, 34, Samaritanus appropiavit sauciato, ecce propitiatio : vulnera ejus alligavit, ecce curatio.

4 « *Qui redimit de interitu.* » Hic est tertium, quod est redemptio a pœna pro culpa originali debita. Quasi diceret : Sic benedic propter prædicta, et etiam « *qui,* » id est, quia ille « *redimit,* » vel redimet, « *vitam tuam de interitu,* » de corruptione quam incurrit propter culpam originalem, de qua dicitur, Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Sed ab hac redempti sumus per Christi sanguinem, I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

« *Qui coronat.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Et ob hoc benedic : « *qui,* » id est, quia ille « *coronat te,* » post tentationum victoriam, non tuis meritis, sed « *in misericordia et miserationibus* » suis. Misericordia refertur quasi ad affectum, miseratio ad officium. Jacob. I, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Propter hoc dicebat Paulus tentationum victor, II ad Timoth. IV, 8 : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, et victoriæ. Cantic. IV, 8 : *Veni de Libano, veni, coronaberis.* Corona gloriæ si fuerit de simpliciter salvandis, de qua Apocal. III, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Corona gloriæ et honoris, si fuerit de privilegiandis, martyr, virgo, vel prædicator. De utraque, in Psal. VIII, 6 : *Gloria et honore coronasti eum, Domine.* Exod. XXV, 28, et seq., Super mensam posita erat aurea, et aureola [1].

« *Qui replet in bonis.* » Hic quintum beneficium, in quo dicuntur duo. Primo, tangit beneficium. Secundo, modum exhibendi ipsum, ibi, « *Renovabitur.* » 5

Dicit ergo : Sic benedic propter hoc Deum, « *qui,* » id est, quia ille « *replet desiderium tuum,* » non in malis, quæ post pugnam nulla omnino poterit velle, sed « *in bonis.* » Proverb. XI, 23 : *Desiderium justorum omne bonum est.* Implebit intellectum splendore, et luce, Isa. LVIII, 11 : *Implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit.* Affectum suavitate, Proverb. XIII, 2 : *De fructu oris sui homo satiabitur bonis.*

Quod si quæris, qualiter hoc fiet : Respondeo :

« *Renovabitur juventus tua,* » quæ nunc vadit veterascendo : et hoc, « *ut aquilæ* » renovantur : vel, ut juventus æquilæ renovatur, per renovationem scilicet habetur. Renovaberis enim anima et corpore, Ad Ephes. IV, 23 : 24 : *Reno-*

[1] Exod. XXV, 23 et seq. : *Facies et mensam de lignis setim... Et inaurabis eam auro purissimo : faciesque illi labium aureum per circuitum, et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis : et super illam, alteram coronam aureolam.*

vamini spiritu mentis vestræ, ecce animæ renovatio : *et induite novum hominem*, exteriorem, qui est sicut vestimentum interioris, ecce renovatio corporis. Ad Roman. XII, 2 : *Reformamini in novitate sensus vestri*. An non bene renovatur ut aquila, qui deposito carnis pondere volat quasi assumptis pennis ad cœlum empyreum ? Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*, donec veniant ad cœlum empyreum, imo ad ipsum Christum, Matth. XXIV, 28 : *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.*

Forma renovationis.

Et nota, quod si volumus ad illam renovationem venire, oportet quod primo renovemur mente tamquam homines, Ad Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ :* quod fit per charitatem, quæ est mandatum novum. Joan. XIII, 34 : *Mandatum novum do vobis*. Secundo, pelle, id est, conversatione exteriori, ut serpentes in arcto pœnitentiæ. Matth. X, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes*. Ad Coloss. III, 9 : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*. Tertio, plumis, id est, cogitationibus et desideriis, quæ oriuntur de corde, sicut plumæ de carne. Job, XXXIX, 26 : *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter ?* Ad Coloss. III, 1 : *Quæ sursum sunt quærite*, qui ante quærebatis quæ deorsum, sicut ille qui dicebat, ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*. Quarto, rostro sicut aquilæ, id est, sermone, ut prius loquentes maneamus in silentio. Eccli. XXXII, 10 : *Loquere in tua causa vix*. Et hoc rostrum allidendo petræ, id est, Christum imitando, qui est petra, sicut dicitur, Isa. LIII, 7 : *Sicut agnus coram tondente se obmutescet*. Quinto, cornibus, sicut cervi, id est, potentia et fortitudine, sicut fit per humilitatem. Psal. LXXIV, 11 : *Cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.*

« *Faciens misericordias Dominus*. » Hic 6
secundum hujus partis, in quo ponit rationes quare benedicendus. Positis enim beneficiis sibi exhibitis in se, vel etiam exhibendis, tangit exhibita in aliis.

Et primo, tangitur divina misericordia quasi generaliter. Secundo, effectus misericordiæ specialiter, ibi, ỳ. 8 : « *Miserator et misericors*. »

In prima duo. Primo, misericordiæ exhibitio. Secundo, notificatio exhibitæ, ibi, ỳ. 7 : « *Notas fecit*. »

In prima duo. Primo, qualiter misericordiam exhibuit, quia cum judicio. Secundo, quibus exhibuit, ibi, « *Omnibus injuriam*. »

Dicit ergo : Hæc fecit tibi Deus, o anima, propter quod benedicendus. Et etiam ipse est « *Dominus faciens misericordias*. » Exod. XX, 5 et 6 : *Ego sum Dominus,... faciens misericordiam in millia his qui diligunt me*. Non tamen sine judicio quo punit, et hoc ipsum est misericordia. Eccli. XXXV, 22 : *Dominus non elongabit, sed judicabit justos, et faciet judicium*. Jerem. XXIII, 5 : *Faciet judicium, et justitiam in terra.*

Et hoc, « *omnibus injuriam patientibus*. » Psal. CXLV, 7 : *Facit judicium injuriam patientibus : dat escam*, etc. Misericordias ergo exhibet bonis, ita tamen quod judicat in malis qui bonos oppresserunt, si tamen patientes fuerint, vel per suos minstros, quibus hoc præcipit, Isa. I, 17 : *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*, etc. Vel, per seipsum, Deuter. XXXII, 35 : *Mea est ultio et ego retribuam*. Eccli. XXVIII, 1 : *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam.*

« *Notas fecit*. » Hic secundum, miseri- 7
cordiarum sic exhibitarum, et talibus manifestatio : et dicuntur duo. Primo, cui manifestatæ sunt primo et principaliter. Secundo, quibus secundario et per primum, ibi, « *Filiis Israel*. »

Dicit ergo : Sic fecit misericordiam, et

judicium : quomodo hoc scis ? quia « *notas fecit Moysi,* » servo suo, « *vias suas,* » quæ comprehenduntur in his duobus. In Psal. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Osee, XIV, 10 : *Rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis.* Sed non sic impii, imo de ipsis, in Psal. XCIV, 11 : *Ipsi vero non cognoverunt vias meas*, quia nolunt. Job, XXI, 14 : *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Maxime autem Prophetis revelat secreta sua. Amos, III, 7 : *Non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.*

« *Et filiis Israel,* » per ipsum Moysem, « *voluntates suas,* » non carnalibus : hi enim ignorant quid Deus velit. Isa. I, 3 : *Israel me non cognovit, et populus*, etc. : sed veris Israelitis qui Deum vident pura fide. Genes. XVIII, 17 : *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum ?* Joan. XV, 15, dicit veris Israelitis : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Quæ autem sint ejus voluntates quas notas fecit, dicitur Eccli. XXXV, 5 : *Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate.* I ad Thessal. IV, 3 : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

8 « *Miserator et misericors.* » Hic secundum, in quo descendit ad monstrandum effectus misericordiæ, ex quo sunt cogniti. Et primo, tangit illos quodammodo implicite. Secundo, explicite, ibi, ℣. 9 : « *Non in perpetuum.* »

In prima tria. Primo, tangitur effectus primus in culpæ deletione et pœnæ relaxatione. Secundo, secundus in longanimi relabentium exspectatione, ibi, « *Longanimis.* » Tertio, tertius in peccantium revocatione diversis et variis modis, ibi, « *Et multum.* »

Dicit ergo : Sic est faciens misericordias et judicium, et hoc verum est : quoniam ipse est « *miserator* » in actu, « *et misericors* » in habitu, peccata remittendo. Eccli. II, 13 : *Pius et misericors est Dominus, et remittet in die tribulationis peccata.* « *Longanimis,* » in peccantium exspectatione. Ad Roman. II, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* « *Et multum misericors,* » peccantes revocando multis modis, qui tanguntur in Glossa Isa. LV, 7 : *Multum est ad ignoscendum.* I Paral. XXI, 13 : *Multæ sunt miserationes ejus.* Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ.*

« *Non in perpetuum irascetur.* » Hic secundum, in quo plus descendit ad monstrandum explicite effectus : primo, miseratoris et misericordis Secundo, longanimis sive patientis, ibi, ℣. 13 : « *Quomodo miseretur.* » Tertio, multum misericordis, ibi, ℣. 17 : « *Misericordia autem Domini.* » 9

In prima duo. Primo, ostendit se misericordem in relaxatione pœnæ a primis parentibus contractæ. Secundo, in relaxatione pœnæ culpæ ab homine voluntarie perpetratæ, ibi, ℣. 10 : « *Non secundum peccata.* »

In prima duo. Primo, relaxatio pœnæ contractæ quam patimur in præsenti. Secundo, ad quam obligamur in futuro, ibi, « *Nec in æternum.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod miserator est et misericors, et vere, quia « *non in perpetuum irascetur,* » pœnam et miseriam infligendo pro peccato primorum parentum. Isa. LVII, 16 : *Non in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar.* Psal. LXXVI, 8 : *Numquid in æternum projiciet Deus ? aut non adjiciet ut complacitior sit adhuc ?*

« *Nec in æternum comminabitur,* » æternam pœnam comminando, quæ infligenda est in futuro, quam comminatur, Isa. I, 20 : *Quod si nolueritis,* audire me scilicet,... *gladius devorabit vos.* Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii.* Et hic est ignis

æternus ille, de quo Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum*, etc.

10 « *Non secundum.* » Hic secundum, in quo ostendit relaxationem pœnæ culpæ ab homine voluntarie perpretatæ : et dicuntur duo. Primo, relaxatio. Secundo, plena dimissio, ibi, ℣. 11 : « *Quoniam secundum altitudinem.* »

In prima duo. Primo, relaxatio quantum ad minora peccata. Secundo, quantum ad majora, ibi, « *Nec secundum iniquitates.* »

Dicit ergo : Sic relaxat pœnam omnem pro culpa originali debitam, et etiam, « *non secundum peccata nostra*, » quæ nostra sunt, quia voluntarie facimus illa, « *fecit nobis*, » pœnam infligendo, sed magis pepercit. « *Nec secundum iniquitates nostras*, » majores, « *retribuit nobis.* » Job, xxxiii, 27 : *Peccavi, et vere deliqui, et ut eram dignus, non recepi.* Job, xi, 5 et 6 : *Utinam Deus loqueretur tecum,... et intelligeres quod multa minora exigaris ab eo quam mereatur iniquitas tua* ! Psal. cxxix, 3 : *Si iniquitates observaveris*, etc.

11 « *Quoniam secundum altitudinem.* » Hic secundum, scilicet plena dimissio, et est hæc pars divisa in duas. Primo, confirmatio misericordiæ. Secundo, ipsa dimissio, ibi, ℣. 12 :« *Quantum distat ortus.* »

Dicit ergo : Sic non punit nos secundum quod meruimus, « *quoniam corroboravit misericordiam suam*, » hoc est, misericordiam roboratam exhibuit, « *super timentes se.* » Psal. cxvi, 2 : *Confirmata est super nos misericordia ejus.* Proverb. xxxi, 17 : *Roboravit brachium suum*, misericordiam scilicet suam, quæ est unum ejus brachium, quo attrahit peccatores. Et bene dicit, *super timentes se*, quia illos maxime misericorditer protegit. Eccli. xxxiv, 19 : *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris.*

Et hoc, « *secundum altitudinem cœli a terra.* » Quasi diceret : Sicut cœlum se habet ad terram, quæ punctum est ad ipsum in distantia, sic misericordia est ad homines quasi infinita. Isa. lv, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ*, etc. Et sicut leges cœli æternæ sunt, sic misericordia Domini ad homines est æterna. Jerem. xxxi, 36 : *Si defecerint leges cœli coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israel deficiet ut non sit gens coram me.* Iterum cœli beneficia multa influunt in terram, sic a Deo, super timentes se. Unde nota Glossam : « Cœlum enim undique terram « circuit. »

« *Quantum distat.* » Hic secundum, ipsa dimissio, et hæc est pars indivisa. 12

Ait enim : Sic misericordiam suam super timentes se corroborat, et ex hoc accidit, quod, « *longe fecit a nobis iniquitates nostras.* » Mich. vii, 19 : *Deponet iniquitates nostras, et projiciet*, procul jaciet, *in profundum maris omnia peccata nostra*, ita longe faciet iniquitates. Proverb. xxx, 8 : *Vanitatem et verba mendacia longe fac a me.*

« *Quantum distat ortus ab occidente*, » claritas scilicet a tenebris, inter quæ nulla convenientia potest esse. II ad Corinth. vi, 14 : *Quæ societas luci ad tenebras ?* Cassiodorus : « Tantum iniquitates nostræ « longe sunt cum nobis peccata nostra di- « mittuntur, quantum potest præclara dies « a nocte tenebrosa distare. » Propter hoc quibusdam conversis dicit Paulus, ad Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Eccle. ii, 13 : *Et vidi quod tantum præcederet sapientia*, quæ est vera in cavendo malum et faciendo bonum, *stultitiam*, quæ est in opposito, *quantum differt lux a tenebris.* Et, in eodem, ℣. 14 : *Sapientis oculi in capite ejus, stultus autem in tene-*

Justificatio impii miraculosa. *bris ambulat.* Propter hoc miraculum Dei maximum in justificatione impii, quia de tenebris fit lux. II ad Corinth. iv, 6 : *Qui dixit de tenebris lumen splendescere.*

13 « *Quomodo miseretur.* » Hic secundum, in quo postquam ostendit explicite effectus misericordis, et miseratoris, ostendit effectus longanimis in misericordia : et dicuntur duo. Primo, misericors exspectatio ad pœnitentiam. Secundo, ratio hujus misericordis longanimitatis, ibi, ỳ. 14 : « *Quoniam ipse cognovit.* »

Dicit ergo : Sic ostendi, quod vere misericors et miserator sit, et etiam longanimis, « *quoniam misertus est timentibus se.* » Deuter. ix, 24 et 25 : *Timeamus Dominum Deum nostrum..., eritque nostri misericors.* Sed quomodo ? Ita : « *Quomodo miseretur pater filiorum,* » scilicet longanimiter exspectando. Nec mirum, pater enim est. Isa. lxiv,8 : *Et nunc,Domine,pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu,et opera manuum tuarum omnes nos.* Matth. vi, 9 : *Pater noster, qui es in cœlis.* Et patris est filios supportare. Deuter. i, 31 : *Portavit te Dominus Deus tuus, ut* Deus corrigit ut pater. *solet homo gestare parvulum suum.* Et si affligit, miseretur ut pater. Augustinus : « Sæviat quantum vult, pater est : « si flagellat et affligit, pater est. Fili, si « ploras, sub patre plora, quod patris « medicina est, non pœnæ castigatio, « non damnatio : noli flagellum repelle« re, si non vis repelli ab hæreditate. » Judith, vii,20 : *Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras.*

14 « *Quoniam ipse cognovit.* » Hic secundum hujus particulæ, in qua ponit rationem longanimitatis hujus, scilicet cognitionem humanæ fragilitatis, quam monstrat tripliciter. Primo, in ingressu hujus vitæ. Secundo, in progressu, ibi, ỳ. 15 : « *Homo, sicut fœnum.* » Tertio, in egressu, ibi, ỳ. 16 : « *Quoniam spiritus.* »

Quantum ad ingressum ostendit miseriam duplicem : quantum ad animam, quia ex nihilo : quantum ad corpus, quia de luto, ibi, « *Recordatus est.* » Duplex hominis miseria in ingressu.

Dicit ergo : Sic miseretur. Quare ? « *Quoniam ipse cognovit,* » certissime, « *figmentum nostrum,* » quid sit, quantum possit, sicut fictor. Psal. xxxii, 15 : *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Ad Roman. ix, 20 : *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic ?* Novit ergo, quod corda nostra, animas nostras fecit de nihilo. Cognovit etiam figmentum nostrum, quod nos fingimus. Quilibet enim fingit sibi idolum, illud scilicet quod amat super omnia, et hoc ipse cognoscit. Sapient. xv, 17 : *Cum sit mortalis,* homo scilicet, *mortuum,* denarium qui est res mortua, *fingit manibus iniquis,* illud sibi faciens idolum.

Nota etiam, quod Deus fortes, aureos, et argenteos nos fecit, scilicet in Adam, sed ipse peccando fictiles nos fecit : quod deplorat Jeremias, Thren. iv, 2 : *Filii Sion inclyti, et amicti auro primo : quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ?*

« *Recordatus est.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic novit quod sumus figmentum ex parte animæ : et etiam « *recordatus est quoniam pulvis sumus,* » secundum corpus. Genes. iii, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Et, xviii, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Augustinus : « Pulverem tuum cogita, noli extolli : « quidquid melius es, misericordia Dei « es. »

« *Homo, sicut fœnum.* » Hic secundum, in quo monstratur fragilitas in progressu : et dicuntur duo. Primo, vitæ brevitas. Secundo, prosperitatis in vita vanitas et instabilitas, ibi, « *Dies ejus.* » 15

Hominis vita brevis, et prosperitas instabilis

Dicit ergo : Sic misertus est attendens miseriam in ingressu et quantum ad corpus, et quantum ad animam : et etiam hoc recordatus, quoniam « *homo,* » vita scilicet hominis, « *sicut fœnum,* » quod cito valde transit. Isa. XL, 6 : *Omnis caro fœnum.* Supra, in Psal. XXXV, 2 : *Et quemadmodum olera herbarum cito decident.* In Psalmo immediato, CI, 12 : *Et ego sicut fœnum arui.* I Machab. II, 63 : *Hodie extollitur, et cras non invenitur.* Et tamen hoc fœnum Dei potentia et virtute solidabitur in vitrum gloriosum. Augustinus : « Noli mirari te participem « æternitatis Christi, qui primo particeps « factus est fœni tui : quod excelsum est » tibi non negabit, qui prius pro te, quod « est humile, suscepit. »

« *Dies ejus.* » Hic est secundum. Quasi diceret : Sic brevis est vita, et prosperitas instabilis et vana, quia « *dies ejus,* » et, id est, prosperitas et gloria et pulchritudo, « *efflorebunt* [1], » extra florebunt, et apparebunt, sed « *tamquam flos agri,* » qui cito cadit et vanus valde est. Isa. XXVIII, 4 : *Erit flos decidens gloriæ exsultationis ejus.* Et, XL, 6 : *Omnis gloria ejus quasi flos agri.* Job, XIV, 2 : *Quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra.* Isa. XVIII, 5 : *Ante messem,* ante mortem scilicet, *totus effloruit,* tota ejus pulchritudo, prosperitas, et gloria abscessit.

16 « *Quoniam spiritus pertransibit.* » Hic tertium, scilicet miseria in egressu : et tanguntur duo. Primo, separatio spiritus a carne. Secundo, omnium possessionum amissio a spiritu separato, ibi, « *Et non cognoscet.* »

In prima duo. Primo, separatio spiritus a carne. Secundo, status post separationem, ibi, « *Et non subsistet.* »

« Dicit ergo : Dies ejus efflorebunt : « *quoniam spiritus in illo,* » supple, existens, « *pertransibit.* » Perfectus in se manens transibit. Psal. CXLV, 4 : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam.* Et perfectus manens in suis naturalibus. Supra, in Psal. XXXVIII, 7 : *In imagine pertransit homo,* interior scilicet.

« *Et non subsistet* » corpus, homo exterior. Job, VII, 8 : *Oculi tui in me, et non subsistam.* Et, infra, ỳ. 21 : *Et si mane me quæsieris, non subsistam,* ablato spiritu omnia vivificante et tenente. Aristoteles : « Recedente anima, cor« pus decidit et marcescit. » Infra, in sequenti Psalmo, CIII, 29 : *Auferes spiritum eorum, et deficient.*

« *Et non cognoscet,* » ipse scilicet, « *amplius locum suum,* » domum et possessiones alias, ut revertatur ad illas. Non agnoscit etiam forte ipsum suum locum, quia statim homine mortuo transit ad alium. Job, VII, 10 : *Nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus ejus.* Ad ipsum etiam corpus in hunc modum non redibit, sed magis corpus ad spiritum transibit in resurrectione generali factum perpetuum, sicut animæ sunt perpetuæ.

« *Misericordia autem Domini.* » Hic 17
tertium totius illius partis, in qua ostendit explicite effectus bonitatis divinæ. Ostenso enim in quibus, et quomodo est miserator et misericors, in quibus longanimis, hic ostendit in quibus multum misericors, quia in duobus quæ tanguntur hic : in conservando perpetuo suos a malo, ne recidivent scilicet in peccatum. Secundo, in remunerando pro bono, quod tangitur ibi, « *Et justitia illius.* »

In prima duo. Primo, duratio divinæ misericordiæ quasi a parte ante, a parte scilicet principii. Secundo, a parte finis, ibi, « *Et usque.* »

Dicit ergo : Sic ostendi, quod bene miserator et misericors, et bene longani-

[1] Vulg. habet : *Homo, sicut fœnum dies ejus : tamquam flos agri sic efflorebit.*

mis : et etiam recte dixi multum misericordem, « *autem*, » quia « *misericordia Domini ab æterno*, » a mundi principio, ex quo fuerunt timentes eum, « *super timentes se.* » Psal. xxiv, 6 : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.* Et etiam ab æterno proprie, « *et usque in æternum*, » supple, erit. Eccli. xl, 17 : *Misericordia in sæculum permanet.* Thren. iii, 22 : *Non defecerunt*, non sunt defectibiles, *miserationes ejus.* Propter hoc dicitur, Eccli. ii, 9 : *Qui timetis Dominum, sperate in illum : et in oblectationem veniet vobis misericordia.* Aliter subtrahet misericordiam, si non timetis, et necessario ibitis in ruinam. Eccli. xxvii, 4 : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.*

« *Et justitia illius.* » Ecce secundum, in quo ostendit multum misericordem in reddendo illis quod meruerunt : et est hæc misericordia Dei justitia. Et primo, tangitur bonorum absoluta remuneratio. Secundo, comparative ad malos, quibus dominabuntur, ibi, in medio ỳ. 19 : « *Et regnum.* »

In prima duo. Primo dicit, quod remunerabit bonos. Secundo, quod remunerare poterit illos, ibi, ỳ. 19 : « *Dominus in cælo.* »

In prima duo dicuntur. Primo, quos remunerabit. Secundo, quare, ibi, ỳ. 18 : « *His qui servant.* »

Dicit ergo : Si ex misericordia continue et perpetuo servat timentes se, et etiam « *justitia*, » remuneratio scilicet justa, « *illius*, » ab ipso scilicet facta, « *in filios filiorum.* » Quasi diceret : Non tantum remunerat patres primos, qui justi fuerunt, sed filios, et iterum filios eorum. Et appellat hic non filios carnales : multi enim justos nullos carnales habuerunt, et multi filii justorum carnalibus filiis caruerunt. Propter hoc dicendum, quod filios appellat imitatores, sicut e contrario, Exod. xx, 5 : *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, usque in tertiam et quartam generationem.*

« *His qui servant.* » Hic secundum, 18
in quo addit, quare remunerabit : et dicuntur duo. Primo, quod ob hoc salvat, quia testamentum ejus custodiunt. Secundo, quia diligentes in custodiendo sunt, ibi, « *Et memores.* »

Dicit ergo : Sic remunerationem facit, et hoc « *his qui servant testamentum ejus.* » Eccli. xliv, 12 : *In testamentis stetit semen eorum*, boni scilicet filii. Qui sunt hi, Deuter. xxxiii, 9 et 10, dicitur : *Qui dixit patri suo, et matri suæ, Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel.* De malis e contrario, Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.*

« *Et memores sunt.* » Hic secundum. Quasi diceret : Illos remunerat, qui testamentum servant et custodiunt. Nec tantum hoc, imo « *memores sunt mandatorum ipsius.* » Psal. lxxvii, 7 : *Non obliviscantur operum Domini, et mandata ejus exquirant.* Deuter. viii, 11 : *Observa, et cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus.* Et hoc, « *ad faciendum ea.* » Si enim sunt memores ad dicendum, vel reddendum sicut pueri, et nihil faciendum, parum merentur. Cassiodorus : « Si quis psalterium voce reddat, non « est memor Dei, nisi quæ præcipiuntur « effecerit. » Augustinus : « Memoria est « retinentibus mandata ejus, non ut illa « reddant, sed ut illa faciant. » Tunc sequitur remuneratio. Apocal. xx, 13 : *Judicatum est de singulis secundum opera illorum.*

19 « *Dominus in cœlo.* » Hic secundum, in quo postquam ostendit quod remunerabit, ostendit quod possit. Quasi diceret : Sic remunerabit facientes, et poterit, quia « *Dominus,* » cum in infirmitate assumpta pro nobis crucifixus sit, nihilominus « *paravit sedem suam in cœlo,* » ut judicet. Supra, in Psal. x, 15 : *Dominus in cœlo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.* Ad Hebr. I, 8 : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi*[1]. Et, in eodem, ỳ. 3 : *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.*

« *Et regnum.* » Hic secundum, scilicet remuneratio suorum comparatione ad malos.

Ait enim : Sic remunerabit in justitia sanctos, gloriam conferendo, « *et regnum ipsius,* » justi scilicet regnum facti secundum illud I Petr. II, 9 : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Apocal. I, 6 : *Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* « *Dominabitur omnibus,* » malis ipsis sub pedibus positis. Psal. x, 5 : *Omnium inimicorum suorum dominabitur,* supple, ejus regnum. I ad Corinth. xv, 25 : *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.* Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.*

20 Secunda pars Psalmi. « *Benedicite Domino.* » Hic secundum totius hujus Psalmi, in quo postquam ad Dei laudem rationabilem creaturam, humanam scilicet, animam suam propriam invitavit, hic convertit sermonem secundo ad alias creaturas, et invitat illas ad laudem. Primo, angelicam specialiter. Secundo, ipsam et omnem aliam universaliter, ibi, ỳ. 22 : « *Benedicite Domino, omnia opera.* » Tertio, ne videretur excludere animam propriam, repetit exhortationem ad illam singulariter, ibi, in fine ỳ. 22 : « *Benedic, anima mea, Domino.* »

In prima duo. Primo, invitat Angelos inter nos et Deum mediatores, quantum ad cognoscenda. Secundo, quantum ad agenda, ibi, ỳ. 21 : *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus.* » Angeli [me]diatores [in]ter Deu[m et] homin[es].

In prima duo. Primo, invitat Angelos simpliciter. Secundo, specificat quos, ibi, « *Potentes virtute.* »

Dicit ergo : Sic invitavi animam ad benedicendum : sed o vos, « *omnes Angeli ejus,* » Domini scilicet, « *benedicite Domino.* » Infra, in Psal. CXLVIII, 2 : *Laudate eum, omnes Angeli ejus* Isa. VI, 3 : *Seraphim clamabant : Sanctus, Sanctus, Sanctus,* etc. Apocal. IV, 8 : *Requiem non habebant die et nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Nec est hæc invitatio vel exhortatio ad Angelos quia indigeant, sed ut monstret quod voluntati Angelorum concordet.

« *Potentes virtute.* » Hic specificat quibus loquatur, et describit eos ab habitu primo. Post, ab actu, ibi, « *Facientes.* »

Dicit ergo : Benedicite eum omnes Angeli ejus, qui estis « *potentes virtute,* » in vobis existente, data vobis a vero creatore, non repleti vino sicut mali, in tantum ut dicamini *Virtutes Dei.* Daniel. III, 61 : *Benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.*

« *Facientes.* » Hic ab actu : et tanguntur duo. Primo, actus. Secundo, finis actus, ibi, « *Ad audiendam.* »

Dicit ergo : Sic estis potentes virtute, et « *facientes verbum illius,* » ad homines : et hoc, « *ad audiendam,* » id est, ut homines audiant « *vocem sermonum ejus,* » per vos scilicet. Angeli Abrahæ voluntatem Dei manifestaverunt de XVII, circumcisione[2], de Sodomitarum submersione[3], et Lot de evasione incendii[4] : Moysi de cultura Dei, et tabernacu-

[1] Cf. Psal. XLIV, 7.
[2] Cf. Genes. XVII, 10 et seq.
[3] Ibidem, XVIII, 16 et seq.
[4] Ibidem, XIX, 17 et seq.

li institutione [1]. Tob. xii, 11, dixit unus e talibus : *Manifesto vobis veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem.* Daniel. x, 14 : *Veni ut docerem te ea quæ ventura sunt populo tuo.*

21 « *Benedicite Domino.* » Hic secundum, in quo invitat Angelos mediatores quantum ad agenda : in quo tanguntur tria, quæ sunt in Angelis illis. Primo, virtus. Secundo, officium, ibi, « *Ministri ejus.* » Tertio, opus, ibi, « *Qui facitis.* »

Dicit ergo : Sic benedicite vos, qui nos instruitis. « *Benedicite* » etiam ipsum, « *omnes virtutes ejus,* » Vel, ad unum ordinem, sicut est dictum, loquitur specialiter : vel ad omnes, quia sicut sunt alii mediatores in illuminando et docendo nos, sic in agendo. Quasi dicat : Benedicite illum, qui sic vos virtutibus replevit, ut *Virtutes* dicamini. Psal. cl, 2 : *Laudate Dominum in virtutibus ejus.*

« *Ministri ejus.* » Hic tangit officium. Daniel. vii, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena*, etc. Ad Hebr. i, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi*, etc.

« *Qui facitis voluntatem ejus,* » quam in ipso legitis, et videtis. Cassiodorus : « Angelis verbum Domini est voluntas « ejus, quia cum Dominum intuentur, « voluntatis ejus veritatem agnoscunt, « quam statim faciunt. » Propter hoc, Matth. vi, 10, monet ut oremus : *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra :* sicut in cœlo ab Angelis, sic in terra a nobis.

22 « *Benedicite Domino.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo postquam invitavit ad benedicendum Deum creaturam angelicam specialiter, invitat simul omnem : et dicuntur duo. Primo, invitatio ad benedicendum. Secundo, ne crederetur quod non esset benedicendus nisi in Judæa vel in templo, determinat locum in quo benedicendus, ibi, « *In omni loco.* » Vel, secundum aliam litteram, probatio est quod sit benedicendus ab omni creatura.

Dicit ergo : Sic benedicite Dominum Angeli, imo « *omnia opera ejus,* » Dei scilicet, « *benedicite Domino.* » Tob. viii, 7 : *Domine, Deus Patrum nostrorum, benedicant te cœli et terræ, mareque, et fontes, et flumina, et omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt,* Et, xii, 18 : *Ipsum benedicite, et cantate illi.*

Et hoc, « *in omni loco dominationis ejus,* » non in uno tantum. Cassiodorus : « Sicut nulla creatura a laudibus Domi« ni jubetur excipi, ita nec locus quis« quam relinquitur qui a tali munere se« gregetur. » Malach. i, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Vel, secundum aliam litteram, quæ habet, « dominationes : » Sic dixi : Benedicite, et debetis : « quoniam dominationes ejus sunt in omni loco, » nullo excepto. Cassiodorus : « Cum in « omni loco dicitur, nihil excipitur, quia « in omni loco dominatur. » **Deus semper et ubique benedicendus.**

« *Benedic, anima mea.* » Hic tertium, in quo redit ad animæ exhortationem, ne crederetur eam in omnibus operibus non comprehendisse.

Ait enim : Sic omnia opera benedicite, et tu, « *anima mea, benedic Domino :* » sicut dicit Glossa : « A quo incipit, « in hoc terminatur Psalmus, ut mon« stretur quod debet esse circularis Dei « benedictio, et sine fine, secundum « illud : *Benedicam Dominum in omni* « *tempore* [2]. » Benedic ergo, o anima mea, ut benedicat te Deus noster illa benedictione, de qua, Matth. xxv, 34 : *Venite, benedicti Patris mei, possidete*

[1] Exod. xx et seq.

[2] Psal. xxxiii, 2.

paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quod nobis præstet, qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CIII.

Benedicendus Deus propter ejus opera et providentiam.

1. *Ipsi David.*
Benedic, amina mea, Domino. Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.
Confessionem et decorem induisti,
2. Amictus lumine sicut vestimento.
Extendens cœlum sicut pellem,
3. Qui tegis aquis superiora ejus :
Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum :
4. Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem [1].
5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.
6. Abyssus sicut vestimentum amictus ejus : super montes stabunt aquæ.
7. Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.
8. Ascendunt montes, et descendunt campi in locum quem fundasti eis.
9. Terminum posuisti quem non transgredientur : neque convertentur operire terram.
10. Qui emittis fontes in convallibus : inter medium montium pertransibunt aquæ.
11. Potabunt omnes bestiæ agri : exspectabunt onagri in siti sua.
12. Super ea volucres cœli habitabunt : de medio petrarum dabunt voces.
13. Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra
14. Producens fœnum jumentis, et herbam servituti hominum :
Ut educas panem de terra,
15. Et vinum lætificet cor hominis :
Ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis confirmet.
16. Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit :
17. Illic passeres nidificabunt,
Herodii domus dux est eorum :
18. Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.
19. Fecit lunam in tempora : sol cognovit occasum suum.
20. Posuisti tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ :
21. Catuli leonum rugientes ut rapiant, et quærant a Deo escam sibi.
22. Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.
23. Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperum.
24. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti : impleta est terra possessione tua.

[1] Ad Hebr. 1, 7.

25. Hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus,
Animalia pusilla cum magnis.
26. Illic naves pertransibunt:
Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.
27. Omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore.
28. Dante te illis, colligent : aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.
29. Avertente autem te faciem, turbabuntur : auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur.
30. Emittes spiritum tuum, et creabuntur : et renovabis faciem terræ.
31. Sit gloria Domini in sæculum : lætabitur Dominus in operibus suis.
32. Qui respicit terram, et facit eam tremere : qui tangit montes, et fumigant.
33. Cantabo Domino in vita mea : psallam Deo meo quamdiu sum [1].
34. Jucundum sit ei eloquium meum : ego vero delectabor in Domino.
35. Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint : benedic, anima mea Domino.

IN PSALMUM CIII

COMMENTARIUS.

« *Psalmus* [2] *David* [3]. »

« *Benedic, anima mea, Domino.* » Hic est Psalmus centesimus tertius, in quo postquam monuit animam, et Angelos, imo omnem creaturam ad Dei laudem, et gratiarum actionem, hic subjungit causam, quia propter opera creationis : ipsa enim cum attenduntur diligenter, conditor cognoscitur, cognitus benedicitur, et benedicto gratiæ referuntur, secundum illud Sapient. XIII, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Et, ad Roman. I, 20 : *Invisibilia ipsius*, scilicet Dei, *a creatura*

Argumentum Psalmi : iterum ad laudem Dei admonet ex consideratione operum naturæ et gratiæ.

[1] Infra, CXLV, 2.

[2] Vulg. habet : *Ipsi David.*

[3] Dans le psaume précédent, l'auteur sacré célébrait l'action de Dieu dans le domaine de la grâce : dans celui-ci, il célèbre cette action dans le domaine de la nature. Le psalmiste pourrait être ici David ; c'est lui que nomment les Septante, dont plusieurs manuscrits ont même ce titre : « Psaume de David, sur la création du monde. » On n'a point de raisons bien fortes pour lui en refuser la composition ; mais la plupart des commentateurs modernes croient cette hymne plus récente. Rosenmüller la fait écrire aux premières années du second temple, et Patrizi y reconnaît des caractères qui ne sont pas communs aux autres psaumes de David. On ne peut méconnaître d'ailleurs les analogies qu'elle a avec la précédente ; c'est en particulier le même refrain qui commence et qui termine les deux morceaux. Ils ont donc très probablement le même auteur, et il est assez à présumer que cet auteur est autre que David.

Quant à la magnificence de cette ode inspirée, elle n'a d'égale que celle de l'hexaméron mosaïque, dont elle est le développement poétique. Elle faisait l'admiration d'Alexandre de Humboldt (Cosmos, II, 1, ap. Perowne), et Chateaubriand parlant de ce chef-d'œuvre déclarait qu' « Horace et Pindare sont restés bien « loin de cette poésie. » Génie du Christ. II, 3, 2. Et même « dans la poésie des hébreux, il y « a peu de morceaux qu'on puisse comparer à « ce psaume pour la fermeté des traits et la « délicatesse des transitions, comme aussi « pour le vif sentiment de la nature et de ses « créatures, et pour la beauté des images. » Riehm. Le psalmiste a sous les yeux deux livres ouverts : celui de la Genèse et celui de la nature, et de ce qu'il a lu dans l'un et l'autre, il tire une sorte d'élévation à Dieu sur les merveilles de la création. Tout en suivant pas

mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : *sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.* Et Augustinus dicit : « Videtis fabricam mundi amplam, ex « cœlo et terra, et omnibus quæ in eis « sunt : ex hujus fabricæ magnitudine et « pulchritudine, magnitudo Creatoris et « pulchritudo ostenditur. »

Titulus autem præpositus nihil habet novi, sed communi modo indicat quod subjectum est cum auctore : « *Psalmus David.* »

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Prima est invitatio animæ propriæ ad laudandum et glorificandum Deum, propter magnificentiam operum creationis. Secundo, invitationis inculcatio in fine Psalmi, ibi, in fine ℣. 35 : « *Benedic*, etc. »

In prima duo. Primo, invitatio ad benedicendum Deum. Secundo, quod majus est, ad perpetuo glorificandum, ibi, ℣. 31 : « *Sit gloria Domini in sæculum.* »

In prima duo. Primo, invitatio animæ

à pas le récit de Moïse, il ne s'y attache pas servilement, comme il ressortira d'une brève comparaison entre l'hexaméron et le psaume. — Premier jour mosaïque : la lumière ; dans le psaume, ℣℣. 1, 2. — Deuxième jour : l'*expansum*, le firmament de la Vulgate ; le psalmiste, ℣℣. 2 4, décrit l'étendue des cieux, ou les hauteurs atmosphériques avec les eaux qui s'y condensent sous formes de nuages. — Troisième jour : séparation des continents et des océans, et première apparition des plantes sur la terre. Dans le psaume, ℣℣. 5-18, description poétique de la séparation des mers et de la terre ferme ; puis apparition des plantes de toutes natures, depuis l'herbe des champs jusqu'au cèdre du Liban. Seulement le poète oriental ne peut s'imaginer la verdure sans cours d'eau pour lui donner la fraîcheur et la vie ; il chante donc avant les plantes, les sources d'eau avec tous les bienfaits qu'elles apportent au monde végétal, au monde animal, et conséquemment à l'homme lui-même ; car sans l'eau rafraîchissante, ni l'herbe et les arbres pour les animaux, ni le blé, la vigne et l'olivier pour l'homme. — Quatrième jour : apparition des astres. En parlant à cet endroit de la lune et du soleil, le psalmiste, ℣℣. 19-23, témoigne spécialement de sa fidélité à suivre le texte de la Genèse. — Cinquième jour : création des reptiles ou grands sauriens et des oiseaux. Le psalmiste a fait allusion aux oiseaux en parlant des sources ; ici, ℣℣. 24-26, il dit un mot des animaux qui remplissent la terre et fourmillent dans la mer. — Sixième jour : création des mammifères. Le psalmiste ne revient point sur ce qu'il a décrit plus haut à propos des sources ; il célèbre seulement la bonté de la Providence à l'égard de tous les êtres animés. Le psaume suit donc dans ses grandes lignes l'ordre de l'hexaméron. « Mais la création de la Genèse est celle du passé, la création du psaume est celle du présent. L'une « décrit le commencement de l'ordre éternel, « l'autre est un spectacle perpétuel et vivant : « aussi l'ode a-t-elle plus d'animation que le « récit. » Perowne. Les grands dogmes de la révélation y sont d'ailleurs affirmés comme dans le livre de Moïse. « Il y a deux vérités « capitales mises en lumière par ce cantique « de louange unique en son genre, où l'adora- « tion se mêle l'action de grâces. Il nous « montre un Dieu personnel et vivant, antérieur « et supérieur au monde créé par lui. Ce « monde lui-même n'est point un tout indé- « pendant, parce qu'il n'est pas le produit de « forces agissant aveuglément en lui pour le « constituer. Au contraire, les choses qui sont « en lui et les lois qui s'exécutent en lui sont « ce qu'elles sont, et agissent comme elles « agissent, uniquement parce que Dieu le veut « et depuis qu'il le veut. » Loch. Ajoutons que le psaume ne révèle pas seulement un Dieu créateur ; il chante aussi avec des accents émus la bonté de la Providence conservatrice dont la notion n'était qu'implicite dans l'hexaméron. Le psalmiste ne se préoccupe en aucune façon de la division de l'œuvre créatrice en jours ou périodes ; il suit l'ordre du récit sans en reproduire la chronologie. Ce silence s'explique par le point de vue où se place l'écrivain : ce n'est pas un historien racontant comment les choses ont été faites successivement, mais un admirateur qui contemple ce qui est. Toutefois peut-être pourrait-on tirer de là quelque lumière pour éclairer la première page de la Genèse d'une nouvelle clarté, et aider à mieux distinguer encore le tableau de la création du cadre de la semaine divine dans lequel Moïse l'a exposé.

H. Lesêtre.

propriæ ad benedicendum. Secundo, probatio quod benedicendus sit, per opera creationis, ibi, in medio ℣. 1 : « *Domine Deus meus.* »

1 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic, anima mea, monui ut Deo benedicas, et adhuc dico, o « *anima mea, benedic Domino.* » Et, in Psal. CXLV, 2, infra : *Lauda, anima mea, Dominum.* Quid autem sic benedicere Deum, dicit Cassiodorus : « Benedicere Deum est « ejus magnalia confiteri. » Bene autem dicit : *Anima, benedic*, non os : multi enim ore benedicunt, qui maledicunt corde. Psal. LXI, 5 : *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Ambrosius : « Cum vox in ore, corpus in choro « et cor in foro, tunc male dividitur ho- « mo. »

« *Domine Deus meus.* » Hic secundum, in quo probat quod benedicendus, quia magnificatus multum : unde duo dicuntur. Primo, magnificatum vehementer asserit. Secundo, specificat in quibus magnificatus sit, ibi, « *Confessionem.* »

Dicit ergo : Sic, anima, monui ut Domino benedicas, quod et debes, quia o « *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.* » I Paralip. XXIX, 11 : *Tua est, Domine, magnificentia, et potentia.* Eccli. XLIII, 32 : *Admirabilis magnificentia* Domini, tam vehemens, tam mirabilis, ut non habeat finem. Psal. CXLIV, 3 : *Magnitudinis ejus non est finis.* Non habet parem, I ad Corinth. VIII, 5 et 6 : *(Siquidem sunt dii multi, et domini multi), nobis tamen unus est Deus.* Nec habet investigatorem, Eccli. XVIII, 3 et 4 : *Quis investigabit magnalia ejus? Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit?* Et, ibidem, XLIII, 35 : *Quis videbit eum, et enarrabit? Et quis magnificabit eum sicut est ab initio?*

« *Confessionem et decorem.* » Hic secundum, in quo ostendit in quibus magnificatus sit, quia in duobus. Primo, quia magnificus in operibus naturæ. Secundo, quod in operibus etiam gratiæ, ibi, ℣. 30 : « *Emittes spiritum.* »

In prima duo. Primo, ostendit magnificatum in operibus naturæ generaliter. Secundo, descendit quasi ad opera ipsa specialiter, ibi, in medio ℣. 2 : « *Extendens cœlum sicut pellem.* » Deus magnificus in operibus naturæ.

In prima tria, secundum tria quæ tangit in omni creatura generaliter. Primo, quod est laudis divinæ materia. Secundo, quod decora in se. Tertio, quod luminosa, quasi aliis communicando se.

Dicit ergo : Sic dixi, Domine, « *quoniam magnificatus es :* » et vere hoc dixi, « *quia confessionem induisti,* » creaturarum scilicet universitatem, materiam confessionis laudis præbentem, « *et decorem,* » eamdem scilicet creaturam formatam, et pulchram.

« *Amictus lumine,* » eadem creatura luminosa, et aliis se communicante sicut lux, « *tamquam vestimento.* » Quasi diceret : Sicut homo latet in suo vestimento, sic tu in tuis latitas creaturis, in omnibus existens, et ipsas implens. Jerem. XXIII, 24 : *Numquid non cœlum et terram ego impleo, dicit Dominus.* Et ipsas sustines, et portas omnes sicut homo vestimentum suum. Ad Hebr. I, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* 2

Potest etiam legi de incarnatione : Filius enim Dei carnem nostram induit tamquam vestimentum. Proverb. XXXI, 13, de sapientia Dei : *Quæsivit lanam et linum*, suavem et mundissimam Virginis carnem, *et operata est consilio manuum suarum*, sibi vestimentum. Et inde laudatur et glorificatur : unde ipsa confessio laudis dicitur, quasi confessionis causa. Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo.* Et iterum, ℣. 20 : *Reversi sunt pastores glorificantes, et laudantes Deum in omnibus quæ audierant*, etc. Et ipsa decora sine culpa omni. I Petr. II, 22 : *Qui*

peccatum non fecit[1]. Et, Psal. XLIV, 3 : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Et ipsa lumen, quia ad litteram in resurretione facta est lucidior sole. Hominibus, qui sunt lux, amictus est tamquam vestimento. Ad Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et circumdantibus se dixit, Matth. v, 14 : *Vos estis lux mundi.* Isa. XLIX, 18 : *Vivo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris.*

Active etiam legi potest. Ipse enim est qui nos induit confessione, dans gratiam confitendi peccata, in qua sordida culpæ deponimus vestimenta, et decore nos induit virtutum. Quod significatum fuit, Esther, IV, 4 : *Deposuit vestimenta ornatus sui, et circumdata est gloria sua.* Augustinus : « Induimus confessionem, quan« do Domino universaliter confitemur : « decorem, quando virtutibus ornamur. » Item, idem : « Accusando incipe confite« ri, a confessione incipis decorari, deco« rata a specioso præ filiis hominum in« cipis amari. » Ipse tamen amictus est lumine sicut vestimento, ut quantumcumque coneris, non possis comprehendere. I ad Timoth. VI, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Quippe ipsemet sibi est indumentum. Et, I Joan. I, 5, dicitur : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.*

« *Extendens cœlum.* » Hic secundum, in quo descendit ad specificandum opera naturæ, in quibus Deus magnificatus est : et dicuntur duo. Primo, in dispositione creaturarum. Secundo, in conservatione dispositarum, ibi, ℣. 11 : « *Potabunt omnes bestiæ.* »

In prima duo. Primo, monstratur magnificentia in dispositione superiorum. Secundo, in dispositione inferiorum, ibi, ℣. 5 : « *Qui fundasti.* »

In prima duo, quia primo monstratur magnificentia in dispositione irrationabilium superiorum. Secundo, rationabilium, ibi, ℣. 4 : « *Qui facis Angelos.* »

In prima duo. Primo, ostendit magnificentiam in dispositione cœli relata ad contenta. Secundo, relata ad continens, ibi, ℣. 3 : « *Qui tegis aquis.* »

Dicit ergo : Sic es creaturis circumdatus, et es « *extendens cœlum sicut pellem,* » quia sicut pellis sua extensione totum animal comprehendit, sic cœlum omnia corporalia hæc. Isa. XLIV, 24 : *Extendens cœlos solus, stabiliens terram.* Jerem. LI, 15 : *Dominus... prudentia sua extendit cœlos.* Et, in Isa. XL, 22 : *Qui extendit velut nihilum cœlos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.*

« *Qui tegis aquis.* » Ecce secundum. 8
Quasi diceret : Sic cœlos disponis ad continendum, et etiam « *tegis aquis superiora ejus,* » ad litteram. Hoc dicit propter cœlum crystallinum, quod est quasi aquæ congelatæ, et est immobile suscipiens lucis influentiam ab empyreo. Genes. I, 6 : *Fiat firmamentum in medio aquarum : et dividat aquas ab aquis.* Daniel. III, 60 : *Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino.*

Justus est cœlum quod Deus multipliciter extendit.

Item, justus cœlum est, in quo sedet et quiescit Deus. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea,* supple, est. Et extendit illud propter eleemosynarum largitionem, Proverb. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas* etc. Per perfectam obedientiam, Joan. XXI, 18 : *Extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Per contemplationem, Ezech. II, 9 : Extendit, vel *expandit illum,* scilicet librum involutum, *coram me.* Sed sicut pellem, per carnis mortificationem, ut inde faciat sibi tentorium. Job, XXXVI, 29 : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum.*

Glossa etiam aliter legit, ut per cœlum intelligatur sacra Scriptura. Isa. XXXIV,

[1] Cf. Isa. LIII, 9.

4 : *Complicabuntur sicut liber cœli.* In his autem altiora sunt duo charitatis præcepta. Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ.* Et hæc superiora aquis teguntur, scilicet Spiritu sancto, qui dicitur aqua, Joan. VII, 38 et 39 : *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.*

« *Qui ponis nubem.* » Hic secundum, in quo ostendit Dei magnificentiam quantum ad cœlum æreum per duo quæ tangit, quæ Deus in illo facit. Nubes congregat, in quibus etiam ascendit, et ventos creat, quibus velocius currit, ibi, « *Qui ambulas.* «

Dicit ergo : Sic magnificus es in firmamento, cœlo scilicet sidereo, et magnificus, « *qui,* » id est, quia tu « *nubem,* » quam facis in aere, et congregas, « *ascendis,* » in tua ascensione, vere ab infimo nubes elevas. Jerem. X, 13 : *Elevat nebulas ab extremitatibus terræ.* III Reg. XVIII, 44 : *Ecce nubecula parva ascendebat de mari.* Et in nube ascendit, Act. I, 9 : *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

Dominus in nube suspiciendus.

Et nota, quod Dominus in nube venit ad nos, quam ascendit mundum ingressurus, scilicet carnem suam. Isa, XIX, 1 : *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum.* In eadem nube conversatus est inter nos. Exod. XIV, 19 et 20, columna ignis et nubis erat cum filiis Israel, ipsos protegens et regens. In nube abiit a nobis, sicut jam dictum. Et, Numer. X, 34 : *Nubes Domini super eos erat per diem cum incederent.* IV Reg. II, 11, Elias ascendit in cœlum in turbine, hoc est, in nube. Nubes nobis deserviunt ad irrigandum nos, de quibus, Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant,* etc. *?* id est, Apostoli. In nube nobiscum remansit ad nutriendum nos, scilicet in sacramento altaris. III Reg. VIII, 12 : *Dominus dixit ut habitaret in nebula.* Eccli. XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* In nube redibit. Luc. XXI, 27 : *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate.*

« *Qui ambulas super pennas ventorum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic tu es « *qui ambulas super ventorum pennas,* » id est, velocius quam illi currant tu curris : unde quod dixi, super nubem ascendis, non propter indigentiam tuam hoc dixi, sed propter prophetiam. In Psal. XVII, 11 : *Volavit super pennas ventorum.* Et ab eo est discursus nubium, unde illis non indiget. Deuter. XXXIII, 26 : *Magnificentia ejus discurrunt nubes,* veræ, et litterales, et spirituales.

« *Qui facis Angelos.* » Hic secundum, 4
scilicet illa pars in qua monstratur magnificus et magnificatus in superioribus, quantum ad creaturas rationabiles : et dicuntur duo. Primo, quod illas ad ministrandum ordinat. Secundo, quod ministrantes amore sui nihilominus inflammat, ibi, « *Et ministros.* »

Dicit ergo : Sic magnificatus es, quia hoc facis in cœlis : et « *qui,* » id est, quia tu « *facis Angelos tuos,* » id est, nuntios tuos (Angelus enim est nomen officii, non naturæ) « *spiritus,* » id est, substantias spirituales, eas mittendo ad ministrandum eis. Ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis ?* Nuntiaverunt Abrahæ voluntatem Dei de Sodoma subvertenda, et Isaac nascituro [1] : et Jacob locuti sunt [2] : et Moysen de lege Dei instruxerunt [3] : et Manue locuti sunt de filio nascituro, Samsone scilicet [4] : et in

Angeli enuntiant voluntatem Dei hominibus

[1] Cf. Genes. XVIII, 1 et seq.
[2] Ibidem, XXXII, 24 et seq.
[3] Exod. XXII, 1 et seq.
[4] Judicum, XIII, 9 et seq.

multis Scripturæ locis leguntur nuntii fuisse.

« *Et ministros tuos,* » id est, ut tibi ministrent, « *flammam urentem* » facis, id est, Angelos, qui lucent et ardent toti charitate. Isa. vi, 6 : *Volavit ad me unus de Seraphim,* quod interpretatur *ardens.*

Quales debent esse prælati?

Hic notatur quales debent esse nuntii Dei, Prælati, quia Angeli. Malach. ii, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Spiritus esse debent, ut non vivant secundum carnem. Ad Roman. viii, 12 : *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus,* sed secundum spiritum. Item, debent esse ignis ardens zelo honoris Dei, et Ecclesiæ. Gregorius : « Qui non ardet, « non incendit. » Zachar. xii, 6 : *Ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis.* Propter hoc a Petro instituendo requiritur amor, et quasi triplex. Primus amor, amor simplex : secundus amor, zelus : tertius amor, ardor [1].

5 « *Qui fundasti terram.* » Hic secundum, in quo monstrata Dei magnificentia comparatione ad superiores creaturas, hic monstrat comparatione ad dispositionem inferiorum. Et primo, tangitur dispositio ante diluvium, ibi, in medio ỳ. 6 : « *Super montes.* » Tertio, post diluvium, ibi, ỳ. 7 : « *Ab increpatione.* »

In prima duo. Primo, terræ dispositio. Secundo, aquæ, ibi, ỳ. 6 : « *Abyssus.* »

In prima duo. Primo, notatur terræ stabilitas. Secundo, stabilitatis perpetuitas, ibi, « *Non inclinabitur.* »

Dicit ergo : Sic magnificatus es, quantum ad superbiam : et etiam « *qui,* » id est, quia tu « *fundasti terram.* » Isa. xlviii, 13 : *Manus mea fundavit terram,* etc. Et si Dominus fundavit terram, et hoc, « *super stabilitatem suam,* » id est, dedit ei propriam naturam et stabilitatem, propter quam stat tamquam ab illa sustentata, et in illa fundata. Hæc autem stabililas est forte humiditas, per quam stat. Infra, in Psal. cxxxv, 6 : *Qui firmavit terram super aquas.* Et supra, Psal. xxiii, 2 : *Super maria fundavit eum,* etc., orbem scilicet terrarum.

« *Non inclinabitur,* » quin stet fortiter, « *in sæculum sæculi,* » hoc est, in æternum. Contra, Luc. xxi, 33 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea,* etc. Respondeo : Transibunt non ut non sint, sed ut meliora sint et pulchriora, et sic non erunt ad non esse inclinata. Terra autem est Ecclesia fluens lacte et melle [2]. Sed hæc est fundata « *super stabilitatem suam,* » petram scilicet firmissimam Christum. Matth. vii, 25 : *Fundata erat supra petram.* Propter hoc non cadit, sed stat in æternum. Eccle. i, 4 : *Terra autem in æternum stat.* Fundata etiam est super fidem Christi, quæ deficere non potest, quidquid agant mali. Matth. xvi, 18 : *Et super hanc petram,* fidem scilicet quam confitebatur Petrus, *ædificabo Ecclesiam meam.* In Psal. xlv, 6 : *Deus in medio ejus non commovebitur.*

Ecclesiæ stabilitas.

« *Abyssus sicut vestimentum.* » Hic tangitur dispositio aquæ. 6

Quasi diceret : Sic disponis terram, et « *abyssus,* » mare scilicet, et omnis aquarum congeries, « *et amictus ejus sicut vestimentum.* » Ad litteram, aquæ marinæ et flumina operiunt terram. Isidorus dicit quod « Oceanus dicitur ip« sum mare, eo quod orbem circumdat, « ut possit dicere terra illud Jonæ ii, 6 : « *Abyssus vallavit me.* » Sic Ecclesia abysso tribulationum circumdatur et vallatur. II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Sed sicut vestimentum quod fovet indutum. In his enim non destruitur, sed magis fovetur, et calor

[1] Cf. Joan. xxi, 15 et seq.

[2] Cf. Exod. iii, 17.

charitatis in ea conservatur. Exod. i, 12: Filii Israel, quo plus affligebantur, eo plus crescebant, et multiplicabantur[1].

« *Super montes.* » Hic secundum, in quo tangitur de dispositione creaturarum inferiorum in ipso diluvio.

Ait enim : Sic aliquando abysso circumdabatur terra, et tantum crevit, quod « *aquæ abyssi,* » supple, stabunt tua dispositione « *super montes,* » elevatæ supra cubitis quindecim, sicut habetur, Genes. vii, 20. Et iterum, ℣. 19 : *Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo.*

Aqua deliciarum et voluptatum modo operuit montes, Prælatos et magnos homines, ascendens usque ad summum illorum. In Psal. lxviii, 2 : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

7 « *Ab increpatione.* » Hic tertium, in quo tangitur magnificentia Dei in dispositione creaturarum inferiorum post diluvium : et dicuntur quatuor. Primo, ostenditur Dei magnificentia in diminutione aquarum. Secundo, in apparitione montium, et camporum, ibi, ℣. 8 : « *Ascendunt montes.* » Tertio, in relusione aquarum in propriis alveis, ibi, ℣. 9 : « *Terminum posuisti.* » Quarto, in recuperatione soliti cursus, et originum suarum, ibi, ℣. 10 : « *Qui emittis fontes.* »

In prima duo. Primo, Dei magnificentia in cohibitione fluxus inordinati aquarum. Secundo, in diminutione cohibitarum, ibi, « *A voce tonitrui.* »

Dicit ergo : Sic ante diluvium erant aquæ, sic in diluvio, et post « *fugient,* » quasi retrocedendo, non fluendo jam amplius, « *ab increpatione tua,* » hoc est, ac si essent a te de inordinato fluxu increpatæ. Nahum, i, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.* Supra, in Psal. xvii, 16 : *Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.*

« *A voce tonitrui tui,* » hoc est, venti terribilis, et sicci, « *formidabunt,* » fugientes, et evaporationibus dispersæ et diminutæ. Genes. viii, 1 : *Adduxit Dominus spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi.* Quia vero, sicut dicit Glossa, in futuro loquitur, non in præterito, magis ad sensum spiritualem recurrendum. Aquæ ergo populi sunt, secundum illud Apocal. xvii, 15 : *Aquæ quas vidisti,... populi sunt, et gentes, et linguæ.* Sed istæ fugiunt peccata ab increpatione Dei per flagella. Eccli. xi, 29 : *Malitia unius horæ oblivionem facit luxuriæ maximæ.* Et a voce prædicationis, tamquam a voce tonitrui divini formidant. Habac. iii, 2 : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui.* Osee, xi, 10. *Leo rugiet, et formidabunt filii maris.*

« *Ascendunt montes.* » Hic secundum, in quo ostenditur magnificentia in montium et camporum apparitione. Primo, montium. Secundo, camporum, ibi, « *Et descendunt.* » 8

Ait enim : Sic aquas compescuisti : et tunc « *ascendunt montes,* » id est, elevati se ostendunt : « *et descendunt campi,* » ostendunt tamquam descenderint inferius se deprimi : et hoc, « *in loco quem fundasti eis,* » quem fundando eis statuisti. Genes. viii, 5 : *Apparuerunt cacumina montium,* et exsiccata est superficies terræ. Montes sunt Prælati, qui debent ascendere sursum in loco quem fundavit eis Deus, scilicet ut vita eorum emineat super alios ab humero et sursum. I Reg. x, 23, ab humero et sursum fuit Saul eminentior omni populo. Campi autem sunt subditi in inferno, et in lata via positi. Supra, in Psal. lxiv, 12 : *Campi tui replebuntur ubertate.* Hic etiam locus a Deo fundatur, scilicet no-

[1] Exod. i, 12 : *Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, et crescebant.*

vissimus, ut sint obedientes et humiles. Luc. xiv, 10 : *Vade, et recumbe in novissimo loco.* Eccle. x, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.*

9 « *Terminum posuisti.* » Hic tertium, in quo monstratur magnificentia in reclusione aquarum in alveis suis : et dicuntur duo. Primo, illarum reclusio in alveis suis. Secundo, causa et ratio sic recludendi et reprimendi illas ne terram operiant, sicut in diluvio, ibi, « *Nec convertentur.* »

Tentationum et afflictionum termini.

Dicit ergo : Sic aquas minuisti, et apparuerunt montes, et campi : et etiam « *terminum posuisti illis,* » alveos proprios, « *quem non transgredientur.* » Job, xxxviii, 10 et 11 : *Circumdedi illud,* scilicet mare, *terminis meis,... et dixi : Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Jerem. v, 22 : *Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit.*

« *Nec convertentur.* » Ecce ratio sic comprimendi. Quasi diceret : Sic posuisti terminum : « *nec convertentur,* » amplius ab alveis suis, « *operire terram,* » sicut in diluvio. Genes. ix, 15 : *Recordabor fœderis mei vobiscum,... et non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem.* Sic Dominus aquas tribulationum comprimit, ne opprimant Ecclesiam. I ad Corinth. x, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Isa. xliii, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.*

Et nota hic, quod sunt termini et mensuræ tentationis, sicut hic. Et sunt termini terrenitatis, de quibus supra. Psal. lxiv, 9 : *Et timebunt qui habitant terminos a signis tuis.* Et prælationis : cuilibet enim mensuratum est in quo possit. II ad Corinth. x, 13 : *Nos non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos*[1]. Proverb. xxii, 28 : *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Et vitæ, Job, xiv, 3 : *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.*

Modus loquendi præscribitur.

Et nota, quod aquæ etiam sunt locutiones superfluæ, de quibus, Prov. xvii, 14 : *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* His terminum Dominus posuit quando dixit, Matth. xii, 36 : *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Hunc terminum loquaces homines transgrediuntur, in vanis tempus perdentes. Bernard : « Nemo vestrum, fratres, parum æstimet « tempus, quod in verbis consumitur « otiosis. Volat verbum irrevocabile, vo« lat tempus irremeabile : nec advertit « insipiens quid amittat. Libet fabulari, « aiunt, donec hora prætereat. O ! donec « pertranseat tempus, donec pertranseat « hora, quam tibi ad agendam pœniten« tiam, ad obtinendam veniam, ad ac« quirendam gratiam, ad gloriam pro« merendam, miseratio conditoris indul« get[2]. »

« *Qui emittis fontes.* » Hic quartum, 10
in quo ostenditur magnificentia in restitutione originum et solitorum cursuum fluviorum : et secundum hoc duo dicuntur. Primo, restitutio originum. Secundo, cursuum, ibi, « *Inter medium montium.* »

Dicit ergo : Sic magnificus es aquas includendo in propriis alveis : et etiam, « *qui,* » id est, quia tu « *emittis,* » ad litteram extra terram mittis, « *fontes in convallibus,* » ubi duo montes concurrunt, ibi enim frequentius sunt fontes. In Psal. xvii, 16, supra : *Apparuerunt fontes aquarum.* Cassiodorus : « Certum

[1] Cf. ad Ephes. iv, 8.

[2] S. Bernardus, Serm. de triplici custodia.

« est convalles aquis abundare copiosis, « fontiumque ibi esse frequentiam maxi« mam, ubi sunt arva jacentia. »

« *Inter medium montium.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Reddis originem et debitum cursum quia aquæ fluentes et collectæ de fontibus « *pertransibunt inter medium montium,* » in convallibus scilicet. Job, vi, 15 : *Torrens qui raptim transit in convallibus.* Spiritualiter autem convalles sunt humiles propter humilitatem duplicem, in quibus Dominus fontes gratiarum emittit, et doctrinarum. Jacob. iv, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Isa. xli, 18 : *Aperiam in medio camporum fontes,* id est, humilium. Hi enim implent illud Isa. xii, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Montes autem sunt superbi, qui remanent aridi. II Reg. i, 21 : *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos !* Sed debent nihilominus currere inter montes, inter duo Testamenta, ut fervore gratiarum regatur doctrina scripturarum. Isti sunt montes ænei, de quibus egrediuntur quatuor quadrigæ[1].

In humilitate hominum aquæ divinæ semper æstuant.

11 « *Potabunt omnes.* » Hic secundum illius partis, in qua specificando monstrat Dei magnificentiam, per comparationem ad creaturas. Monstravit enim magnificentiam in comparatione ad dispositionem creaturarum, tam superiorum quam inferiorum : hic quantum ad conversationem : et dicuntur duo. Primo, ostendit magnificentiam in conservatione creaturarum in terra. Secundo, in mari, ibi, ℣. 25 : « *Hoc mare magnum.* »

In prima iterum dicuntur duo. Primo, monstratur per quem fit conservatio. Secundo, ostenditur magnificentia ex tali conservatione, ibi, ℣. 24 : « *Quam magnificata sunt !* »

In prima tria, secundum tria quæ tangit, per quæ est conservatio. Primum, cibi et potus ministratio. Secundum, loci competentis ad inhabitandum procuratio, ibi, ℣. 16 : « *Saturabuntur.* » Tertio, temporum variatio ad fastidium alleviandum, ibi, ℣. 19 : « *Fecit lunam.* »

In prima duo. Primo, cibi ministratio irrationabilibus silvestribus. Secundo, domesticis, ibi, ℣. 14 : « *Producens fœnum.* »

Et primo, irrationabilibus silvestribus gressibilibus. Secundo, volatilibus, ibi, ℣. 12 : « *Super ea volucres cœli.* »

In prima duo. Primo, ministratio silvestribus irrationabilibus habitantibus in propinquo ad homines. Secundo, habitantibus in remoto, ibi, « *Exspectabunt onagri.* »

Dicit ergo : Sic pertransibunt aquæ, nec pro nihilo, quia « *potabunt omnes bestiæ agri,* » non deserti, ut intelligas quod de magis proximis loquitur, quæ frequentant loca ab hominibus culta : hæ enim exspectant a te sustentationem. Joel. i, 20 : *Bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te.* Et tu exaudis, dicens illud Jerem. xii, 9. *Omnes bestiæ agri, properate ad devorandum.*

« *Exspectabunt onagri,* » asini silvestres, qui habitant in desertis remotissimis, « *in siti sua,* » habere a te potum. Jerem. xiv, 6, de his onagris : *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones :* ut inde aliquo modo refocillentur, donec a te potentur. Bestiæ agri Gentiles sunt, vel simplices, qui potantur aquis doctrinæ. Isa. xliii, 20 : *Glorificabit me bestia agri,... quia dedi in deserto aquas,...ut darem potum populo meo.* Onagri vero superbi et Judæi, qui nolunt nunc bibere, sed exspectant usque ad finem suum, hoc est, usque ad conversionem reliquiarum. Daniel. v, 20 et 21 : *Quando elevatum est cor ejus,* scilicet regis, *et spiritus illius ob-*

[1] Cf. Zachar. vi, 1 et seq.

firmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est: et a filiis hominum ejectus est, sed et cor ejus cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio ejus. Moraliter per bestias, carnales homines designantur. Eccli. x, 13: *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes,* dæmones qui portabunt animam, *et bestias,* carnales parentes qui devorabunt substantiam, *et vermes,* qui comedent carnem. Onagri autem viri justi, quos libenter venatur diabolus, si potest. Eccli. xiii, 23: *Venatio leonis, onager in eremo.* Bestia ergo bibit, quia carnalis homo delectationibus præsentibus se reficit: sed onager exspectat, et sustinet sitim, donec de plenitudine bonorum se reficiat, dicens illud Psal. xvi, 15: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

12 « *Super ea volucres.* » Hic secundum, scilicet conservatio silvestrium volatilium: et ostenditur conservatio quantum ad cibum, et quasi ex consequenti ut monstret de quibus loquitur quantum ad locum, ibi, « *De medio petrarum.* »

Ait enim: Sic conservas animalia silvestria quadrupedia: et etiam « *super ea,* » scilicet fontes et flumina, et convalles: vel « super eos » secundum aliam litteram, id est, montes, « *habitabunt volucres,* » ut ab aquis habeant cibum. Volucres, inquam, cœli aeris. Matth. xiii, 4: *Volucres cœli comederunt illud.* Matth. vi, 26, dicit Dominus, quod Deus pascit volatilia, quamvis non seminent, nec metant.

« *De medio petrarum,* » in quibus quasi secure habitant, et inde procul vident, « *dabunt voces,* » ad te pro refectione. Job, xxviii, 41: *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, eo quod non habeant escas?*

Anima cum horto comparatur.

Et nota, quod anima existens in gratia, est quasi hortus pulcherrimus. Cantic. iv, 12: *Hortus conclusus soror mea, sponsa.* Sed post peccatum fit solitudo et desertum, Joel, ii, 3: *Quasi hortus voluptatis terra coram eo, et post eum solitudo deserti.* Et ad hunc hortum veniunt volucres cœli, scilicet Angeli, de quibus, Job, xxviii, 21: *Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cœli latet.* Et resident super arbores, scilicet super virtutes. Daniel. iv, 9: *In ramis ejus conversabantur volucres cœli.* Matth. xiii, 32: *Volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.* Et dulces cantus personant, scilicet dulces cogitationes et affectiones sanctas excitant. Et hoc, « *de medio petrarum,* » scilicet duarum naturarum in Christo, quæ dicuntur petræ, Job, xxxix, 28, de aquila: *In petris manet,* in duabus Christi naturis, *et in præruptis silicibus commoratur,* in Angelorum ruinis.

13 « *Rigans montes.* » Hic secundum. Postquam enim actum est ad Dei magnificentiam demonstrandam de conservatione irrationabilium silvestrium, hic de conservatione domesticorum, et hoc per cibi procurationem.

Duo autem tanguntur in hac parte. Primo, origo nutrimentorum et causa. Secundo, ipsius nutrimenti multiplicatio, ibi, ℣. 14: « *Producens fœnum.* »

In prima duo. Primo, montium irrigatio. Secundo, inferiorum, per quam irrigatonem surgit herba, ibi, « *De fructu.* »

Dicit ergo: Sic omnia tam silvestria quam volatilia conservas, cibum providendo, et etiam « *rigans montes,* » litterales: et hoc, « *de superioribus suis,* » cœlis scilicet, vel « *tuis,* » quia cœli tui sunt. Psal. cxiii, 16: *Cœlum cœli Domino.* Deuter. xi, 11: *Terra... montuosa est et campestris, de cœlo exspectans pluviam.*

« *Et terra,* » inferiora quæ sunt in plano sub montibus, « *satiabitur,* » abundanter irrigata, et hoc « *de fructu operum tuorum,* » id est, per fructuosa opera

tua, non humana diligentia. Ezech. xxxiv, 26 : *Deducam imbrem in tempore suo : pluviæ benedictionis erunt.* Ecclesia terra est, sicut supra dictum fuit, habens montes, majores scilicet in Ecclesia, quos irrigat Deus gratia sua. Genes. II, 6 : *Fons ascendebat*, Christus scilicet. Esther, x, 6 : *Parvus fons qui crevit in fluvium* magnum, ad irrigandam universam superficiem terræ : ergo montes. Terra infima sunt minores, quos rigat Dominus pluvia abundantissima gratiæ suæ. Psal. LXIV, 10 : *Visitasti terram, et inebriasti eam.* Tunc germinant bene operando. Psal. LXIV, 11 : *In stillicidiis ejus lætabitur germinans.*

Et tunc satiatur etiam operibus bonis, quæ tuorum operum sunt fructus. Proverb. XXXI, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum.* Joan. xv, 16 : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

14 « *Producens fœnum.* » Hic secundum, in quo tacta causa multiplicationis nutrimenti, sequitur de ipso nutrimento, quod tangit duplex. Primo, nutriuntur in hieme. Secundo, in vere et æstate, scilicet per herbam, ibi, « *Et herbam servituti hominum.* »

Dicit ergo : Sic irrigas inde producens fœnum jumentis, quo nutriuntur in hieme. In Psal. CXLVI, 9, infra : *Qui dat jumentis escam ipsorum*, etc. « *Et herbam,* » qua vivunt in æstate, « *servituti hominum,* » jumentis, quæ serviunt hominibus. In Psal. CXLVI, 8, infra : *Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum.* Jumenta in Ecclesia Dei, activi boni, qui portant onera, et laborant ut alii sustententur. Job, XII, 7 : *Interroga jumenta, et docebunt te.* Boni Prælati et Doctores. His dat Dominus fœnum temporalium, nam debentur eis temporalia. I ad Corinth. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Quasi diceret : Non. Et ibidem, ỷ. 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* « *Herbam servituti hominum,* » eisdem : quid enim sunt ipsi nisi aliorum servi ? I ad Corinth. IX, 19 : *Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci.*

« *Ut educas panem.* » Hic secundum. Postquam enim ostensa est Dei magnificentia in sustentatione creaturarum irrationabilium, ostenditur et bonitas in nutrimento creaturarum rationabilium. Et dicuntur duo. Primo, monstratur magnificus in origine. Secundo, in diversitate nutrimenti, ibi, ỷ. 15 : « *Et vinum.* »

Dicit ergo : Sic rigas, ut nutrimentum jumentis proferat, ipsam terram : et etiam « *ut educas panem,* » quod est hominis nutrimentum, « *de terra.* » Isa. XXX, 23 : *Dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra : et panis frugum terræ erit uberrimus.* Proverb. XII, 11 : *Qui operatur terram suam, satiatur panibus.* Panis hic petitur, Matth. VI, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.*

« *Et vinum.* » Hic secundum, in quo 15
monstratur magnificentia in diversitate nutrimenti. Primo, in hoc quod pertinet ad potum. Secundo, in hoc quod ad condimentum, ibi, « *Ut exhilaret.* » Tertio, in hoc quod ad cibum, ibi,« *Et panis.* »

Dicit ergo : Sic rigas, ut des homini nutrimentum : et etiam facis, ut vinum lætificet cor hominis. Eccli. XXXI, 35 : *Vinum in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem, ab initio.*

Et nota, quod est vinum malum, vinum scilicet erroris, de quo Proverb. XXXI, 4 : *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum.* Hoc inebriat diabolus Ægyptum. Isa. XIX, 14 : *Errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius et vomens.* Et libidinis. Hoc inebriat multos fortiter, et inflammat. Proverb. XX, 1 : *Luxuriosa res,* Multiplex vinum.

vinum, ardoris, et concupiscentiæ, et libidinis. Et est vinum bonum compunctionis, de quo in Psal. LIX, 4: *Potasti nos vino compunctionis.* Et spiritualis consolationis, de quo Proverb. XXXI, 6 et 7: *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo: bibant, et obliviscantur egestatis suæ.* Et æternæ jucunditatis. Matth. XXVI, 29: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Sacramenti altaris, quod in re sanguis est, scilicet vinum spiritus, de quo Eccle. IX, 7: *Vade, et comede in lætitia panem tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum.* Hoc vinum lætificat, Eccle. XXXI, 36: *Exsultatio animæ et cordis vinum moderate potatum.* III Esdræ, III, 20: Vinum *omnem mentem convertit in securitatem et jucunditatem.* Vinum floridum quantum ad incipientes, qui per cor, incipientes florere virtutibus, illud transfundunt. Vinum ferratum quoad proficientes, qui intus fortiter tribulantur ut ferrata. Vinum rosatum quoad perfectos, qui jam dissolvi cupiunt et esse cum Christo [1]. Rosæ enim natura sunt dissolutivæ.

« *Ut exhilaret.* » Hic secundum, scilicet olei collatio. Quasi diceret: Sic rigas terram ut vinum lætificet cor hominis, et etiam « *ut exhilaret faciem* hominis *in oleo.* » Ad litteram, ungere solebant antiquitus capita sua et facies in signum lætitiæ. Matth. VI, 17: *Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava.* Oleum etiam est spiritualis lætitia, quæ exhilarat spiritualem faciem, mentem scilicet. Deuter. XI, 14: *Ut colligatis frumentum, et vinum, et oleum.* Hoc oleo unctus est perfectus vir, cui dicitur: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* [2]: ut dicatur de eo illud Genes. XXVII, 37: *Frumento, et vino,* et oleo [3] *stabilivi eum:* ut semper ungatur hoc oleo, juxta illud Eccle. IX, 8: *Et oleum de capite tuo non deficiat.*

« *Et panis.* » Hic tertium, scilicet ejus quod pertinet ad cibum. « *Et panis confirmet,* » productus de terra, « *cor hominis:* » si enim pane corpus primo reficiatur, nihilominus ipsum cor confirmatur. Act. IX, 19, de Paulo dicitur: *Et cum sumpsisset cibum, confortatus est.* Et est panis vitæ, Christus scilicet. Joan. VI, 51: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Hic de terra educitur, de Virgine Maria. Isa. XLV, 8: *Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Et hoc cibat suos, Eccli. XV, 3: *Cibabit illum pane vitæ et intellectus.* Ad confirmandum cor, III Reg. XIX, 8: *Comedit* Elias panem, *et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.* I Reg. XXX, 12: *Cum comedisset* Saül, *reversus est spiritus ejus, et refocillatus est.* Genes. XVIII, 5: *Ponam buccellam panis, et confortate cor vestrum.*

Christus panis vitæ.

« *Saturabuntur ligna campi.* » Hic 16
secunda pars illius partis, in qua agitur de magnificentia Dei in conservatione sensibilium. Ostensa enim magnificentia ex ministratione cibi, hic ostenditur ex præparatione loci: et secundum hoc dicuntur duo. Primo, locorum præparatio volatilibus. Secundo, gressibilibus, ibi, ℣. 18: « *Montes excelsi.* »

In prima duo. Primo, Dei magnificentia in loci origine. Secundo, in habitatione volatilium in illo loco, ibi, ℣. 17: « *Illic passeres.* »

Locus volatilium sunt arbores. Primo ergo monstratur Dei magnificentia in origine arborum, ad locandum aves in

[1] Cf. ad Philip. I, 23.
[2] Psal. XLIV, 8.
[3] In Vulgata, Genes. XXVII, 37 deest *et oleo.*

terra plana. Secundo, in montuosa, ibi, « *Et cedri.* »

Dicit ergo : Sic effundis pluvias, quibus herbæ crescant ad nutrimentum jumentorum : et etiam illis pluviis « *saturabuntur,* » ut crescant et condensa fiant « *ligna campi,* » ligna scilicet in plana terra sita. Ezech. xxxi, 5 : *Elevata est altitudo ejus super omnia ligna regionis.* Et, ibidem : *Multiplicata sunt arbusta ejus, et elevati sunt rami ejus præ aquis multis.* Dicuntur autem *saturari* figurative, sicut plaudere. Isa. lv, 12 : *Omnia ligna regionis plaudent manu.* Et simile, in Psal. xcvii, 8, supra : *Flumina plaudent manu.*

« *Et cedri.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic saturabuntur arbores in plano, « *et* etiam *cedri Libani,* » qui est magnus mons in Phœnice, « *quas* » cedros ipse Deus ibi « *plantavit,* » non alius. Eccli. xxiv, 17 : *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Altissimæ enim sunt.

Sed nota, quod per *ligna campi* designantur minores. Psal. cxxxi, 6 : *Invenimus eam in campis silvæ,* scilicet inter abjectos et humiles per sapientiam, secundum illud Proverb. xi, 2 : *Ubi humilitas, ibi est sapientia.* Per *cedros Libani,* majores et perfecti, qui jam sunt in culmine perfectionis. Isa. xli, 19 : *Dabo in solitudine,* in religione et in claustro, *cedrum.* Hos et illos plantat Deus : aliter cito eradicantur. Matth. xv, 13 : *Omnis plantatio quam non plantaverit Pater meus, eradicabitur.* Hi et illi gratiæ pluvia nutriuntur et crescunt, Matth. xiii, 32 : *Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus.* Comedunt enim, et saturantur pane, et vino, de quibus ante immediate. De pauperibus, in Psal. xxi, 27, supra : *Edent pauperes, et saturabuntur.* Et de divitibus, paulo post in eodem, ℣. 30 : *Manducaverunt, et saturati sunt omnes pingues terræ.*

17 « *Illic passeres.* » Hic magnificentia in locatione volatilium in loco præparato. Et primo, volatilium inter homines conversantium. Secundo, silvestrium, ibi, « *Herodii domus.* »

Dicit ergo : Sic arbores præparas in montibus, et in campis. « *Illic* » autem, id est, in sic præparatis, « *passeres nidificabunt,* » qui sunt quasi domesticæ aves. Isa. xviii, 6 : *Æstate perpetua erunt super eum volucres.* Cassiodorus : « Passer minuta et cautissima nimis avis « est, monachorum significans parvita« tem, qui in cedris Libani, id est, patri« monio potentium Christianorum, velut « in quibusdam ramis monasteria sibi « quasi nidos aliquos ædificare mon« strantur. » Supra, in Psal. lxxxiii, 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi.* Daniel. iv, 9 : *In ramis ejus conversabantur volucres cœli.*

« *Herodii domus.* » Hic tangitur secundum, scilicet magnificentia Dei in provisione loci volatilibus silvestribus, volens, quantum potest intelligi de littera, quod de loco maximo provideatur eis, quæ maxime sunt silvestres.

Ait enim : Sic passeres nidificant in campis, et in cedris : « *et domus,* » id est, nidus, « *herodii est dux eorum* : » tantus est in montibus, et tam altus, quod ubicumque volent, eos tamen adducit ad se, se illis, herodiis scilicet ostendendo. Dicitur enim quod herodii in maxima cedro nidificant, et nidum maximum ibi faciunt. Cassiodorus : « Hero« dius avis rapacissima omnium major, « quæ et aquilam vincere dicitur, et ip« sam habere escam. » Vel sic ut intelligatur hæc avis, nullum nidum habere sibi proprium sicut aliæ aves, sed ubicumque nox eam accipit, ibi habet nidum. Sensus ergo est : « *Herodii domus dux eorum,* » hoc est, ubi herodius ducitur, ibi domum habet. Cassiodorus : « Herodii non sicut aliæ aves nidos ha« bent sibi constitutos, ut vadant ad ve« speram : sed ubicumque apprehende« rint eos tenebræ, ibi dormiunt. »

Allegoria de S. Paulo.

Hæc allegorice de Paulo possunt legi. Herodius enim est avis rapax, et designat tribum Benjamin, de qua dicitur, Genes. XLIX, 27 : *Benjamin lupus rapax*. Hujus ergo herodii domus dux est passerum, quia Paulus est ductor humilium, qui de hac tribu fuit : et etiam cedrorum, quia et magnos convertit. Ipse enim dicit, ad Roman. I, 14 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum*. De Christo etiam secundum aliam litteram, allegorice exponitur, et vide Glossas.

Per herodium intelliguntur pauperes, per cervos contemplativi.

Moraliter autem per herodium, qui domum non habet, pauperes intelliguntur, qui non habent manentem civitatem, sed futuram inquirunt, qui dicunt cum Christo, Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Et tales habent domum Deum, Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus*. I Joan. IV, 16 : *Qui manet in charitate, in Deo manet*, etc. Qui dux est passerum. Deuter. XXXII, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus*.

18 « *Montes excelsi*. » Hic magnificentia Dei, ex provisione gressibilibus. Primo, majoribus, sicut cervis. Secundo, etiam minoribus, ibi, « *Petra refugium*. »

Dicit ergo : Sic provides de loco volatilibus et gressibilibus, quia « *montes excelsi cervis*, » supple, refugium sunt, ex littera sequenti : et hoc verum est ad litteram. Cantic. VIII, 14 : *Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum, super montes aromatum*.

« *Petra*, » etiam tua dispositione, est « *refugium herinaciis*, » hoc est, hericiis. Cassiodorus : « Herinacius est idem « quod hericius, cujus cutem invicem « setarum acutissimæ densissimæque « communiunt : sed ne aliqua fraude « possit interfici, refugium habet semper « in saxis. »

Nota ergo, quod per cervum, viri contemplativi significantur, qui transeunt lutosa luxuriæ, fossas superbiæ, et spineta avaritiæ. Habac. III, 19 : *Ponet pedes meos quasi cervorum*. Et sic facis eos habitare in montibus sublimioris vitæ. Unde statim sequitur in Habacuc, ℣. 19 : *Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem*. II Reg. XXII, 2 : *Dominus petra mea et robur meum*. Isa. II, 10 : *Ingredere in petram*.

« *Fecit lunam*. » Hic tertium totius partis, in qua ostenditur Dei magnificentia in creaturarum conservatione. 19

Postquam enim ostendit magnificentiam ex cibi administratione, et iterum ex loci competentis provisione, hic tertio ex temporum vicissitudine et mutatione. Vicissitudo autem temporum, ex duobus magnis luminaribus præcipue, luna scilicet et sole. Primo ergo quantum ad noctis successionem. Secundo, quantum ad successionem diei, ibi, ℣. 22 : « *Ortus est sol*. »

In prima duo. Primo, temporis nocturni dispositio. Secundo, animalium ordinatio et conservatio in illo, ibi, in medio ℣. 20 : « *In ipsa pertransibunt*. »

In prima tanguntur tria. Primo, Dei magnificentia in lunæ ostensione. Secundo, in solis absconsione, ibi : « *Sol cognovit*. » Tertio, in solis occasu, ibi, ℣. 20 : « *Posuisti tenebras*. »

Dicit ergo mutando personam : Hæc quæ præmisi, Deus fecit : unde magnificandus est. Et etiam « *fecit lunam in tempora* » determinata lucere. Vere fecit lunam, Psal. VIII, 4 : *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas*, etc. Et hoc ad lucendum in tempore suo, Genes. I, 14 : *Sint in signa, et tempora, et dies, et annos*. Psal. CXXXV, 9 : *Lunam et stellas in potestatem noctis*.

« *Sol cognovit occasum suum*, » hoc est, ita ad occasum declinavit regulariter et assidue, ac si ipsum locum cognosceret. Eccle. I, 5 : *Oritur sol, et occidit, et ad suum locum reverti-*

tur. Eccli. xvii, 30 : *Quid lucidius sole? et hic deficiet*. Jerem. xxxi, 35 : *Qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis*.

Luna spiritualiter loquendo est Ecclesia, quæ a sole lucet, non a se. Cantic. vi, 9 : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna?* Et hanc fecit in tempore, quia transeuntem ad æterna, non hic permanentem. Ad Ephes. v, 27 : *Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*, quando imple bitur illud Isa. xxx, 26 : *Erit lux lunæ sicut lux solis*. Et hæc non transit, quia ipse « *sol cognovit,* » præsciendo, approbando, « *occasum suum,* » transitum suum. Joan. xiii, 1 : *Siens Jesus quia venit hora ejus ut transeat*, etc. Supra, in Psal. lxvii, 5 : *Qui ascendit*, audacter, *super occasum*, id est, mortem, *Dominus nomen illi*.

20 « *Posuisti tenebras*. » Hic tertium. Quasi diceret : Sic lunam in tempore suo fecisti apparere, et solem occidere : et sic « *posuisti tenebras* » per mundum, et facta est nox, quia ipsæ tenebræ sunt nox. Genes. i, 5 : *Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem*. Isa. xlv, 7 : *Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras*. Bene autem spiritualiter post occasum solis, sequitur positio tenebrarum, quia vero sole moriente in cruce, id est, occidente, tenebræ factæ sunt per universam terram [1]. Amos, viii, 9 : *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis*. Sic post occasum solis gratiæ, in corde fiunt densissimæ tenebræ. Hæ sunt tenebræ Ægyptiacæ [2].

« *In ipsa pertransibunt*. » Hic secundum, magnificentia Dei in consolatione bestiarum, in noctis tempore, et ostendit hoc in silvestribus maxime. Et primo, tangit quasi naturam omnium generaliter. Secundo, aliquarum specialiter, ỳ. 21 : « *Catuli leonum*. »

Ait enim : Sic noctem fecisti, et « *in ipsa pertransibunt,* » vel transeundo ad loca sua, vel ad quærendum escas sibi, « *omnes bestiæ silvæ*. » Hæc est enim natura silvestrium animalium, maxime rapacium, ut de nocte transeant ad quærendum escas. Hic patet quod proprie loquitur Jeremias, Jerem. v, 6 : *Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos*.

Spiritualiter autem excæcatis Judæis in morte Christi, et tenebris factis super eorum corda, *bestiæ*, id est, vastatores dæmones et Romani, eorum bona omnia devastantes pertransierunt, per eos transierunt, totum devorantes, impleta prophetia Isaiæ, lvi, 9 : *Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum*. Sapient. xvii, 18 : *Mugientium valida bestiarum vox*, supple, venit super infideles. Ezech. xxxix, 17 : *Dic... cunctis bestiis agri : Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam*, etc.

« *Catudi leonum*. » Hic secundum, in quo ostendit specialiter Dei magnificentiam in procuratione de nocte aliquarum bestiarum specialiter. Quasi diceret : Sic in nocte quam parasti, pertransierunt bestiæ, scilicet « *catuli leonum rugientes ut rapiant,* » prædam aliquam, et portent ad foveam. Nahum, ii, 12 : *Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leænis suis : et implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina*. Et sic « *quærant* » sibi « *prædam a Deo*. » Psal. cxxxv, 25 : *Qui dat escam omni carni*. Leo diabolus est. I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens*, etc. Et catuli leonum, membra et filii diaboli. Joel, i, 6 : *Dentes ejus, ut den-* 21

[1] Cf Matth. xxvii, 45.

[2] Cf. Exod. x, 22 et seq.

tes leonis. In nocte ergo ignorantiæ invadunt miseras animas, et permittente Deo, tamquam in hoc eos cibante, eas devorant. Jerem. II, 15 : *Super eum*, scilicet Israel, *rugierunt leones.* Eccli. XIII, 23 : *Venatio leonis, onager*, scilicet religiosus rudis et ignorans, *in eremo.* Mich. v, 8 : *Quasi leo in jumentis silvarum, et quasi catulus leonis in gregibus pecorum : qui cum transierit, et conculcaverit, et ceperit, non est qui eruat.*

22 « *Ortus est sol.* » Hic secundum. Postquam ostendit magnificentiam quasi in conservatione et regimine animalium quantum ad noctem, hic quantum ad diem. Primo ergo ostenditur diei exhibitio. Secundo, regimen et dispositio creaturarum, in illo, ibi statim, « *Et congregati sunt.* »

Dicit ergo : Sic de nocte mirabiliter animalia regis : et post, « *ortus est sol*, » id est, fit dies. Eccle. I, 5 : *Oritur sol*, etc.

« *Et congregati sunt.* » Hic secundum, in quo dicuntur duo. Primo. dispositio silvestrium animalium. Secundo, hominum, quia illa sedantur et quiescunt, et homines a quiete surgunt, et ad laborem vadunt, ibi, ℣. 23 : « *Exibit homo.* »

In prima duo. Primo, revocatio animalium rapacium in unum. Secundo, quietatio adunatorum, ibi, « *Et in cubilibus.* »

Dicit ergo : Sic sol oritur, et statim « *congregati sunt*, » supple, catuli leonum, « *et collocabuntur*, » ad quietem, « *in cubilibus suis.* » Christus est sol illuminans intelligentias hominum justorum. Sapient. v, 6, dicturi sunt mali : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

Quadruplex Christi ortus. Hujus quadruplex est ortus. Primus, æternus de Patre, Luc. I, 78 : *Visitavit nos oriens ex alto*, ex Patre Deo. Secundus, temporalis de matre, de quo Zachar. VI, 12 : *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Tertius, similiter temporalis in resurrectione, quando est rutilans et gloriosus, de quo hic secundum Glossam, et Genes. XIX, 23 : *Sol ortus est super terram*, qui prius latebat intus, *et Lot ingressus est Segor.* Quartus, item temporalis in cordibus timentium eum per gratiam, Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Ad hunc ortum fugiunt dæmones statim, Job, XXIV, 17 : *Si subito apparuerit aurora*, quæ est nuntia ortus solis, *arbitrantur umbram mortis*, et dicunt illud quilibet pro se, Matth. XII, 44 : *Revertar in domum meam, unde exivi*, ad animam pigri, sed per confessionem mundati. Et ibi intrant et quiescunt. Isa. XXXIV, 13 : *Erit cubile draconum, et pascua struthionum.*

« *Exibit homo ad opus suum.* » Hic secundum, in quo monstratur Dei magnificentia in ordinatione hominum in tempore divino : et tanguntur duo. Primo, hominum exspergefactio ad laborandum. Secundo, virtus ad continuandum laborem, ibi, « *Et ad operationem.* » 23

Dicit ergo : Sic orto sole silvestria rapacia congregantur : et tunc « *exibit homo ad opus suum*, » supple, faciendum, exspergefactus a somno, « *et ad operationem suam*, » continuandam, « *usque ad vesperam*, » quando iterum quiescit. Job, VII, 4 : *Si dormiero, dicam : Quando consurgam ? et rursum exspectabo vesperam.* De luce ergo operandum. Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua.* Sed de nocte cessabit. Joan. IX, 4 : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est.* Sic dum gratia lucet in corde, dum est tempus gratiæ, exeundum est de mundo, et operationi bonæ intendendum. Exeundum autem propter officium, quia non potest bene fieri in mundo. II ad Timoth. II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

Suadet ut ex mundo exeamus et bonis operibus intendamus.

Matth. vi, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.* Propter periculum, Eccli. xiii, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea : et qui communicat superbo, induet superbiam.* Propter supplicium : nimis enim affligit suos, Exod. i, 13 et 14 : *Oderant filios Israel Ægyptii, et affligebant...eos operibus duris luti et lateris.* Jerem. xvi, 13 : *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Propter malitiam hominum mundanorum, Job. xxx, 29 : *Frater fui draconum, et socius struthionum.* Mich. vii, 2 : *Vir fratrem suum venatur ad mortem.* Propter miseriam et indigentiam, Luc. xv, 14 et seq., Filius prodigus serviens in porcorum nutritione, *cœpit egere* et esurire. Et tandem propter præmii magnitudinem, Genes. xii, 1, dictum est primo Abrahæ : *Egredere de terra tua.* Post, egresso, xv, 1 : *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* Matth. xix, 28 : *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia,* etc. Et tunc postquam homo exierit, est operandum instanter, Eccle. ix, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Joan. ix, 4 : *Venit nox, quando nemo potest operari.* Et proficiendum, Joan. xii, 35 : *Ambulate, dum lucem habetis.*

24 « *Quam magnificata.* » Hic secundum totius illius partis, in qua agit de Dei magnificentia in conservatione animalium in terra degentium. Ostensa enim mirabili conservatione, subjungitur admiratio, et exclamatio pro inspecta et cognita divina majestate. Et dicuntur tria. Primo, ex consideratione magnitudinis creaturarum, laudat divinam potentiam. Secundo, ex prudenti ordinatione et pulchra laudat sapientiam, ibi, « *Omnia in sapientia.* » Tertio, ex consideratione repletionis terræ bonis possessionibus et utilibus laudat bonitatem, ibi, « *Impleta est.* »

Dicit ergo : Hæc quæ præmisi, Domine, ordinasti, et fecisti, et propter hoc « *quam magnifitata sunt,* » magna scilicet, et multa sunt « *opera tua !* » Unde certum est quod procedunt ex multa et magna potentia. In Psal. xci, 6, supra : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! nimis,* etc. Isa. xii, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.*

« *Omnia.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic sunt magnificata, et ordinate facta, et disposita. « *Omnia in sapientia fecisti* : » unde commendanda sapientia. Proverb. viii, 29 : *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta disponens.* Sapient. viii, 1 : Sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Hæc est sapientia genita Filii Dei. I ad Corinth. i, 23 et 24 : *Nos prædicamus Christum,... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

« *Impleta est.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic sapienter facis omnia, et etiam « *terra impleta est possessione tua,* » possessionibus bonis, et utilibus, quod commendat tuam plenissimam bonitatem. Et optime dicit terram plenam possessione Domini, quia quidquid in terra est, possessio Domini est. Psal. xxiii, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus.* Et, Jerem. xxiii, 24 : *Numquid cælum et terram ego impleo, dicit Dominus* : possessionibus bonis, tamquam bonus.

« *Hoc mare magnum.* » Hic secundum. 25
Postquam enim monstravit Dei magnificentiam in conservatione creaturarum in terra, ostendit magnificentiam in conservatione earum, quæ in mari : et dicuntur duo. Primo, ostendit conservationem illarum quæ in mari sunt specialiter. Secundo, colligando simul cum illis omnia universaliter, ibi, in medio ℣. 28 : « *Aperiente te manum tuam.* »

In prima quatuor. Primo, monstratur magnificentia Dei quantum ad loci provisionem. Secundo, quantum ad multi-

plicationem conservatorum in loco illis proviso, ibi, « *Illic reptilia.* » Tertio, quantum ad appetitum et desiderium ad se ordinatum quasi naturaliter, ibi, ỳ. 27 : « *Omnia a te exspectant.* » Et quarto, quantum ad appetitus et desiderii complementum, ibi, ỳ. 28 : « *Dante te illis.* »

In prima duo. Primo, ostenditur Dei magnificentia in loci profunditate. Secundo, in latitudine. Primum intelligitur in eo quod dicit, « *magnum.* » Secundo, in hoc quod addit, « *spatiosum.* »

Dicit ergo : Sic magnificata sunt opera tua in terra, et etiam tua possessione impletum est « *hoc mare,* » ad litteram, « *magnum* » profunditate, « *et spatiosum* » latitudine. Et nota, quod *manibus* non habent Augustinus, nec Cassiodorus. Si autem placet exponere litteram, sic legendum : Prædicta tu fecisti, et etiam « *manibus,* » supple, tuis, id est, potentia tua fecisti « *hoc mare magnum et spatiosum,* » sicut prius. Hoc mare mundus est, et assignatæ fuerunt rationes supra [1], super illud Psal. VIII, 9 : *Et pisces maris, qui perambulant,* etc. Sed adde, quia mare omnes sordes recipit, et immundum est, et spumosum : sic et mundus. Augustinus : « O munde immunde, si sic fugiens ita « tenes, quid faceres si maneres ? » Et propter hoc illum, qui est fons omnis munditiæ, a se expellit. Job, XXVIII, 14 : *Mare loquitur : Non est mecum.* Hoc est magnum et spatiosum : homines enim mundani ambulant vias latas et spatiosas, quæ ducunt ad mortem [2]. Jerem. XXII, 14, dicit unus de piscibus hujus maris : *Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa.*

« *Illic reptilia.* » Hic secundum, in quo ostenditur magnificentia quantum ad multiplicationem conservatorum in mari : et tangit quatuor genera quæ conservantur in mari. Primo, reptilia quæ naturaliter ibi sunt omnino. Secundo, animalia quædam etiam quadrupedia, ibi, « *Animalia pusilla.* » Tertio, rationabilia quæ ibi conversantur artificialiter per naves, ibi, ỳ. 26 : « *Illic naves.* » Quarto et ultimo, monstruosa, ibi, « *Draco iste.* »

Dicit ergo : Sic mare, sic alia tu fecisti, et « *illic* » fecisti et posuisti « *reptilia,* » pisces, « *quorum non est numerus.* » Genes. I, 20 : *Producant aquæ reptile animæ viventis.* Et nota, quod reptilia etiam sunt terræ. Genes. I, 24 : *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas.* Per hoc designantur avari et cupidi, qui semper volunt repere ad divitias et altiores dignitates. Bernardus : « Circuit « sedulus explorator reptans pedibus et « manibus, si quo modo se ingerat in « patrimonium Crucifixi. » Et sunt reptilia aquarum, scilicet luxuriosi. Ezech. VIII, 10 : *Ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium,* etc. Isti sunt infiniti in mari mundi.

« *Animalia pusilla.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic sunt reptilia infinita, et etiam « *animalia pusilla,* » supple, ibi sunt, « *cum magnis :* » in mari enim conversantur quædam quadrupedia. Job, III, 19 : *Parvus et magnus ibi sunt.* Sic in mari mundi sunt magna animalia, magni pisces homines potentes. De magnis, Joan. XXI, 11 : *Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus.* De pusillis, Marc. VIII, 7 : *Et habebant pisciculos paucos.* Magni autem pusillos comedunt. Habacuc, I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.* Ibidem,

[1] Cf. Tomum XV, comment. in ỳ. 9 Psal. VIII.

[2] Cf. Matth. VII, 13 et 14 : *Lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam,* etc.

℣. 13, exponendo se : *Quare... taces devorante impio justiorem se ?*

26 « *Illic naves pertransibunt.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Non tantum sunt ibi reptilia, et animalia, sed etiam « *illic pertransibunt naves,* » et sic homines artificialiter ibi erunt. Sed nota, quod in mari hujus mundi sunt naves bonæ, quæ tandem venient ad portum salutis, scilicet viri justi : unde de forti muliere dicitur, Proverb. xxxi, 14 : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans*, etc. Et bene navi comparantur. Primo, quia fragiles portant pretiosa valde. II ad Corinth. iv, 17 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Item, navis ex parte maris clausa est, et superius aperta : sic justi quærunt quæ sursum sunt, non quæ infra. Ad Coloss. iii, 1 : *Quæ sursum sunt quærite*, etc. Item, navis transiens mare, calcat ipsum : sic justi calcant, et suppeditant sibi mundum. Ad Philip. iii, 8 : *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Chisti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbritror ut stercora*, etc. Item, navis habet malum altum, et velum in illud dependens : sic justus crucis Christi memoriam, et mundissimam ejus carnem, in ipsa dependentem et extensam. Thren. iii, 10 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ*, etc. Ventus autem agitans navem hanc Spiritus sanctus est. Ezech. i, 12 : *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cum ambularent.* Et habet anchoram spem. Ad Hebr. vi, 18 et 19 : *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Sed sunt naves quæ periclitantur in mari, cupidi hinc inde vento cupiditatis tempestuosæ agitati. I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli,... quæ mergunt homines in interitum.*

Comparatio justorum cum navi.

« *Draco iste.* » Hic quartum, ubi tangit de inhabitatione monstruosorum in mari. Quasi diceret : Sicut ibi sunt reptilia enumerabilia, sunt animalia pusilla, et magna, sunt homines navigantes. Et etiam « *draco iste,* » monstruosus, « *quem formasti,* » id est, fecisti in hac forma, ut cum natatilibus aquas inhabitaret, et cum volatilibus volaret, quod est monstruositas maxima, et sic « *ad illudendum eis* : » monstra enim ad illudendum videntur facta.

Spiritualiter autem hic draco est diabolus. Apocal. xii, 9 : *Projectus est draco ille magnus*, id est, diabolus. Et dicitur *draco*, quia sibilat suggerendo peccata suaviter. Sapient. xvii, 17 : *Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis.* Item, ignivomus est draco : sic diabolus ignem spirat per suos, Act. ix, 1 : *Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos*, etc. Et per se, Sapient. xi, 19 : *Ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes.* Item, in eremo et locis incultis habitat. Jerem, xlix, 33 : *Erit Asor in habitaculum draconum.* Asor *tollens foramen* interpretatur. Hi sunt qui nulla possunt perforari vel scindi disciplina. Item, in Babylone habitant dracones : et dæmones in illis qui sunt in peccati confusione. Isa. xiii, 21 : *Replebuntur domus eorum draconibus*, id est, Babyloniorum. Item, in arena : et dæmones in anima infructuosa : unde per Jeremiam comminatur Dominus, Jerem. ix, 11 : *Dabo Israel in acervos arenæ, et cubilia draconum.* Et in locis humidis et marinis, Ezechiel. xxix, 3 : *Ecce ego ad te,... draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Et, xxxii, 2 : *Leoni gentium assimilatus est, et draconi qui est in mari.* Multum vigilat : et dæmon numquam dormit. Job, xxx, 17 : *Qui me comedunt, non*

Quare diabolus dicitur draco ?

dormiunt. Cauda sua elephantem ligat, et sic cadere facit, et occidit : sic diabolus per adulatores magnos qui casti sunt, et magnæ vitæ, tamquam per caudam ligat, et in superbiam ducit, et sic occidit. Apocal. XII, 4 : *Cauda ejus*, scilicet draconis, *trahebat tertiam partem stellarum cœli*, in terram scilicet. Sed ei illuditur a Deo, quando aliquis quem jam tenebat, convertitur. Job, XL, 24 : *Numquid illudes ei quasi avi ?*

27 « *Omnia a te exspectant*. » Ecce tertium, scilicet ordinatio appetitus sui et desiderii ad ipsum Deum : non quod illa animalia ordinent, sed ipse Deus hoc facit vel ordinat naturaliter, non deliberative.

Ait enim : Sic locum præparas hujusmodi animalibus : et ipsa taliter multiplicas : et etiam te faciente, « *omnia*, » supple, hæc, « *exspectant a te ut des illis escam in tempore*. » Ipsi enim draconi providet in cibo, qui, sicut alibi dicitur, *dat escam omni carni* [1]. Draconi etiam spirituali dat escam, scilicet diabolo. Augustinus : « Si bene vixeris, « Christum cibum habebis : si male, « draconi cibus eris. » Jerem. LI, 34 : *Absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea*.

28 « *Dante te illis*. » Hic quartum, scilicet desiderii complementum. Quasi diceret : Sic ad te inhiant, « *et dante te illis* » cibum, « *colligent* » illum. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus*. Nec est contrarium, quod dicit Paulus, I ad Corinth. IX, 9 : *Numquid de bobus cura est Deo ?* Est enim Deo cura provisionis, sed non eruditionis, et legis, dando talibus in scripto sicut homini.

« *Aperiente autem te*. » Hic secundum totius hujus partis, in quo colligit in unum, et in generali quod dixerat in speciali, et per partes : et dicuntur duo. Primo, monstratur magnificentia Dei, quia sua largitate replet omnia. Secundo, quod subtrahente largitatem deficiunt, ibi, ℣. 29 : « *Avertente autem te*. »

Dicit ergo : Sic das cibum, et breviter : « *Aperiente te manum tuam*, » misericordiæ et largitatis tuæ, « *omnia implebuntur bonitate*, » bonis sibi ad necessitatem necessariis. Infra, in Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*. Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Eccli. XVI, 30 : *Deus in terram respexit, et implevit illam bonis suis*.

« *Avertente autem te*. » Hic secundum, scilicet defectus illorum, si subtrahat beneficium, in quo tria tanguntur secundum tres gradus qui sunt in defectu talium. Primus, afflictio, Secundus, mors spiritu ablato, ibi, « *Auferes spiritum*. » Tertius, incineratio corporis, ibi, « *Et in pulverem*. » 29

Dicit ergo : Sic aperiente te manum, bonitate implentur omnia : « *avertente autem te faciem*, » largitatis et misericordiæ, « *turbabuntur*. » Quid mirum ? Quia ipsemet David dixit de se, supra : *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* [2]. Deuter. XXXI, 17 : *Abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem*. Job, XII, 15 : *Si continuerit aquas*, scilicet beneficiorum suorum, *omnia siccabuntur*.

Administratio Dei qua mundus regitur.

« *Auferes spiritum*. » Ecce secundum. Quasi diceret : Turbabuntur te faciem avertente, et etiam « *auferes spiritum eorum*, » quo vivificantur, « *et deficient*, » ruendo in mortem, ut possint dicere illud Job, VI, 4 : *Sagittæ Domini*

[1] Psal. CXXXV, 25.

[2] Psal. XXIX, 8.

in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.

« *Et in pulverem suum,* » unde sumpta sunt, « *revertentur,* » pulvis facta. Eccle. XII, 7 : *Et pulvis revertatur in terram suam unde erat.* Spiritualiter aufert Deus spiritum elationis ab homine, quando vult, et tunc deficit in se, et humiliatur tamquam conversus in pulverem. Job, XXXIV, 14 et 15 : *Si direxererit ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul, et homo in cinerem revertetur* : deficiet carnalitas, et superbia in humilitatem convertetur.

30 « *Emitte*[1] *spiritum.* » Ecce secundum, in quo postquam Dei magnificentia ostensa est in operibus naturæ, ostenditur consequenter in operibus gratiæ : et dicuntur duo. Primo, magnificentia Dei in Spiritus sancti emissione. Secundo, in operibus, quæ per Spiritum sanctum fiunt, ibi, « *Et creabuntur.* »

Dicit ergo : Sic magnificatus es, Domine, in operibus naturæ superius enumeratis, sed multo magis in operibus gratiæ : unde rogo, Domine, « *Emitte spiritum tuum,* » ad instruendum et justificandum, post missionem Filii ad redimendum. Sapient. IX, 17 : *Sensum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?*

« *Et creabuntur.* » Hic secundum, in quo ostenditur divina magnificentia in iis quæ agit Spiritus sanctus : et sunt duo. Primum est peccatoris justificatio et conversio, quæ est quasi creatio ipsius. Secundum est conversi profectus, et ambulatio in bonum, imo de bono in melius, ibi, « *Et renovabis.* »

Dicit ergo : Rogo sic ut Spiritum emittas, « *et creabuntur,* » de nihilo ad fieri. Judith, XVI, 17 : *Misisti Spiritum tuum, et creata sunt.* Psal. L, 12 : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum,* etc. Ad Ephes. II, 10 : *Ipsius sumus factura, creati in Christo.*

« *Et renovabis.* » Hic secundum, scilicet profectus. Quasi diceret : Sic emisso spiritu creabuntur, « *et* » post, « *renovabis faciem terræ,* » ipsos in melius promovendo, secundum illud Apostoli, ad Ephes. IV, 24 : *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Ad Ephes. IV, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Cassiodorus : « Te toties Dominus « creat, quoties te de vetustate peccati « in novum hominem instaurare digna« tur. » Ezech. XXXVI, 26 : *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum.*

« *Sit gloria Domini.* » Hic secundum 31
divisionem superius factam est secunda pars totius hujus Psalmi, in qua postquam monuit Deum magnificare ex operibus creationis, et etiam recreationis, hic monet ad gratiarum actionem et glorificationem actoris pro operibus tantis : et dicuntur duo. Primo, admonitio ad laudem gloriosam, et gratiarum actionem pro tantis operibus. Secundo, determinatio temporis, in qua sunt illæ gratiarum actiones exhibendæ, ibi, ℣. 33 : « *Cantabo Domino.* »

In prima ergo duo. Primo, admonitio de gratiarum actione, et Dei glorificatione. Secundo, ratio quare est glorificandus, et gratiæ ei referendæ, ibi, « *Lætabitur.* »

Dicit ergo : Sic monui, o anima, ut Deum benedicas, quia magnificatus es ut ostendi : et etiam moneo, « *sit gloria Domini,* » a te illi data per gratiarum actionem multiplicem, « *in sæculum,* » id est, perpetuo : quia ipse est rex sæculorum. I ad Timoth. I, 17 : *Regi sæculorum immortali,* etc. Non sic gloria hominis, quæ valde cito transit. Isa. XL,

[1] Vulg. habet, *emittas.*

6: *Omnis gloria ejus quasi flos agri.* Ergo brevis et vilis certe in oculis Dei. I Machab. II, 62: *Gloria ejus stercus, et vermis.* Propter hoc sancti soli Deo dant gloriam, Isa. XLII, 12: *Ponent Deo gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt.* Sciunt enim illud Isa. XLII, 8: *Gloriam meam alteri non dabo.* Nec judicium occultorum, II ad Corinth. IV, 4: *Qui autem judicat me, Dominus est.* Nec vindictam, Deuter. XXXII, 35: *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore*[1].

« *Lætabitur.* » Hic secundum, ratio scilicet quare glorificandus. Et primo, generalis. Secundo, specialis multiplex, ibi, ℣. 32: « *Qui respicit.* »

Dicit ergo: Sic monui ut glorificetur Deus, quia « *lætabitur Deus in operibus suis,* » non faciet aliquid, unde debeat contristari: quippe, Genes. I, 31: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.*

32 « *Qui respicit.* » Hic specificantur opera, pro quibus est glorificandus: et tanguntur duo. Primo, opus misericordiæ in justificatione peccatoris. Secundo, superborum punitio in repressionem et condemnationem elationis, ibi, « *Qui tangit.* »

Dicit ergo: Sic Domino sit gloria in sæculum, etc., « *qui respicit,* » oculo misericordiæ, « *terram, et facit eam tremere,* » tremore contritionis et doloris de peccatis. Sic Petrum tremere fecit, Luc. XXII, 61 et 62: *Conversus Dominus respexit Petrum.* Et post tremore concussus, *flevit amare.* Psal. XXXII, 14: *De præparato habitaculo suo, respexit super filios hominum.* Sapient. IV, 15: *Et respectus ejus in electos illius.* Et hic respectus facit tremere illo tremore, de quo Paulus, ad Philip. II, 12: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* Job, IX, 6: *Commovet terram de loco suo.*

« *Qui tangit montes.* » Hic secundum superborum punitio. Quasi diceret: Sic respicit terram, et facit eam tremere: et etiam « *tangit montes,* » superbos scilicet et elatos, « *et fumigant,* » id est, compunguntur ad pœnitentiam. Tactus hic est illius digiti, de quo Exod. VIII, 19: *Digitus Dei est hic.* Psal. CXLIII, 5: *Tange montes, et fumigabunt.* Vel, tangit affligendo. Genes. XXVII, 21: *Accede huc, ut tangam te.* Job, II, 5: *Tange os ejus, et carnem.* « *Et fumigant,* » in inferno. Isa. LXV, 5: *Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.*

« *Cantabo Domino.* » Hic secundum, 33
in quo postquam monuit ad glorificandum, determinat et specificat magis, quamdiu glorificandus, et a quibus. Primum hic. Secundum, ibi, ℣. 35: « *Deficiant.* »

In prima duo. Primo, ponens se in exemplum, dicit quod psallet, et cantabit Deo. In secunda, petit quod exaudiatur ejus oratio, ibi, ℣. 34: « *Jucundum sit.* »

In prima duo. Primo, quod laudabit ore. Secundo, quod opere, ibi, « *Psallam Deo.* »

Semper laudes Domini velle probatur edicere.

Dicit ergo: Hæc quæ præmisi, et gratiæ et naturæ fecit Deus, et propter hoc « *cantabo* » tibi, o « *Domine*[2], *in vita mea,* » quæcumque illa sit, sive præsens, sive futura. Psal. CIII, 33: *Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.* Nec mirum: quia sicut dicitur, Eccli. XVII, 26: *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.* Psal. CXIII, 17: *Non mortui laudabunt te, Domine,* sed ego vivens cantabo. Psal. LXX, 6: *In te cantatio mea semper.*

« *Psallam Deo meo,* » bona operando, « *quamdiu sum.* » Ecce iste vult psallere. Psal. XXVI, 6: *Cantabo, et psalmum dicam Domino.* Habac. III, 19: *Super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.*

[1] Cf. Eccli. XXVIII, 1.

[2] Vulg. habet: *Cantabo Domino in vita mea.*

24 « *Jucundum sit ei.* » Hic secundum, in quo petit orationem suam Deo fieri acceptam : in quo ducuntur duo. Primo, petit ut sit accepta oratio. Secundo, ostendit quis fructus inde sequens sit, ibi, « *Ego vero.* »

Dicit ergo : Sic orabo, et cantabo Domino : sed quia aliter mihi valet, rogo : « *Jucundum sit ei eloquium meum,* » in psallendo et orando prolatum : ut non dicat mihi illud Amos, v, 23 : *Auferam a me tumultum carminum tuorum.* Et illud Isa. I, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Sed magis impleatur illud Psal. CXLVI, 1 : *Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio,* supple, nostra.

« *Ego vero,* » si ita fuerit, « *delectabor in Domino,* » non in aliquo alio nisi in ipso. Tob. XIII, 9 : *Ego et anima mea delectabimur in Domino*[1]. Hoc ipsum autem multum Deo placet, ut in ipso sit nostra delectatio. Cassiodorus : « Sit nobis divinitas dulcissima, ut et vita nostra ei reddatur accepta. » Cantic. VII, 10 : *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus,* delectationem cordi meo intendendo. Et ulterius quod rogatur et desiderium totum implet. Psal. XXXVI, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

35 « *Deficiant peccatores.* » Hic secundum, in quo ostendit a quibus laudandus sit, quia a justis, non a peccatoribus.

Ait enim : Sic laudabo, et delectabor, et ut meo exemplo laudare possint, « *deficiant peccatores a terra,* » non ut non sint, sed « *ita,* » ut peccatores « *non sint.* » *Peccatores* autem appellat, qui peccant in seipsos. « *Et iniqui,* » qui peccant in proximos, deficiant, repete, ita ut non sint impii. Psal. LXVII, 3 : *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores,* etc. Proverb. II, 22 : *Impii de terra perdentur,* in quantum impii sunt, secundum illud Proverb. XII, 7 : *Verte impios, et non erunt.* Unde non est imprecatio quod dicitur hic, sed magis oratio. Augustinus : « Peccatores « cupit converti. » Et Cassiodorus : « Magis est oratio quam maledictio, quia « omnes justos fieri cupit. »

« *Benedic, anima mea Domino.* » Hic secunda pars Psalmi, scilicet invitationis ad laudandum Deum inculcatio : unde Psalmus hic sicut et præcedens dicitur *circularis,* sive *periodalis,* quia a benedictione incipit, et terminatur in benedictionem, demonstrans, quod laus divina incipiens hic, durat etiam in futuro. Incipit hic, ut anima benedicens gratia repleatur. Proverb. XI, 25 : *Anima quæ benedicit, impinguabitur,* pinguedine devotionis et gratiæ, de qua supra, in Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Sed in futuro perseverabit, quia non poterit anima Deo conjuncta tantam pulchritudinem non laudare, quantam videbit. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem.* I Joan. III, 2 : *Videbimus eum sicuti est.* Joan. XIV, 21 : *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* In qua manifestatione, tota in laudem perpetuam prorumpet. Cassiodorus : « Laudabunt jugiter Dominum, quia semper « eum videbunt : dum illa pulchritudo « inenarrabilis excitat præconium sine « fine diligentis. » Ad quem statum nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Secunda pars Psalmi

[1] Vulg. habet, Tob. XIII, 9 : *Ego et anima mea in eo,* scilicet in Domino, *lætabimur.*

PSALMUS CIV.

Hortatur ad cultum Dei, memorans ejus beneficia.

Alleluia. (I *Paralip.* XVI, 8.)

1. Confitemini Domino [1], et invocate nomen ejus : annuntiate inter gentes opera ejus.
2. Cantate ei, et psallite ei : narrate omnia mirabilia ejus.
3. Laudamini in nomine sancto ejus : lætetur cor quærentium Dominum.
4. Quærite Dominum, et confirmamini : quærite faciem ejus semper.
5. Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus, et judicia oris ejus.
6. Semen Abraham, servi ejus : filii Jacob, electi ejus.
7. Ipse Dominus Deus noster : in universa terra judicia ejus.
8. Memor fuit in sæculum testamenti sui : verbi quod mandavit in mille generationes :
9. Quod disposuit ad Abraham [2], et juramenti sui ad Isaac :
10. Et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum :
11. Dicens : Tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis vestræ:
12. Cum essent numero brevi, paucissimi et incolæ ejus :
13. Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum :
14. Non reliquit hominem nocere eis : et corripuit pro eis reges.
15. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari [3].
16. Et vocavit famem super terram : et omne firmamentum panis contrivit.
17. Misit ante eos virum : in servum venumdatus est Joseph [4].
18. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; ferrum pertransiit animam ejus [5].
19. Donec veniret verbum ejus, Eloquium Domini inflammavit eum :
20. Misit rex, et solvit eum : princeps populorum, et dimisit eum [6].
21. Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ :
22. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.
23. Et intravit Israel in Ægyptum [7] : et Jacob accola fuit in terra Cham.
24. Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus [8].
25. Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.

[1] Isa. XII, 4.
[2] Genes. XXII, 16.
[3] II Reg. I, 14 ; I Paralip. XXVI, 22.
[4] Genes. XXXVII, 36.
[5] Genes. XXXIX, 20.
[6] Genes. XLI, 14.
[7] Genes. XLVI, 6.
[8] Exod. I, 7 ; Act. VII, 17.

26. Misit Moysen, servum suum [1], Aaron quem elegit ipsum.
27. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham [2].
28. Misit tenebras, et obscuravit [3] : et non exacerbavit sermones suos.
29. Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum [4].
30. Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum [5].
31. Dixit, et venit cœnomyia, et sciniphes in omnibus finibus eorum [6].
32. Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.
33. Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum, et contrivit lignum finium eorum.
34. Dixit, et venit locusta, et bruchus cujus non erat numerus [7] :
35. Et comedit omne fœnum in terra eorum : et comedit omnem fructum terræ eorum.
36. Et percussit omne primogenitum in terra eorum [8], primitias omnis laboris eorum.
37. Et eduxit eos cum argento et auro [9], et non erat in tribubus eorum infirmus.
38. Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.
39. Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem [10].
40. Petierunt, et venit coturnix : et pane cœli saturavit eos [11].
41. Dirupit petram, et fluxerunt aquæ [12], abierunt in sicco flumina :
42. Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham, puerum suum [13].
43. Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia.
44. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt :
45. Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.

IN PSALMUM CIV

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [14]. »

« *Confitemini Domino.* » Hic est Psalmus quartus in secunda parte libri, centesimus quartus in toto libro. Postquam enim monuit ex consideratione beneficiorum toti humano generi, imo toti creaturæ exhibitorum ad laudandum Deum, hic ad eamdem laudem ex consideratione beneficiorum exhibitorum Abrahæ et semini ejus : semini, inquam, spirituali in fide, non carnali procreato ex carne.

Argumentum Psalmi: Invitat pariter ad laudem Dei ex consideratione beneficiorum exhibitorum Abrahæ et semini ejus.

Quia vero beneficia talibus præparata ut exhibeantur, et jam exhibita, quasi

[1] Exod. III, 10, et IV, 29.
[2] Exod. VII, 10.
[3] Exod. X, 21.
[4] Exod. VII, 20.
[5] Exod. VIII, 6.
[6] Exod. VIII, 16, 24.
[7] Exod. X, 12.
[8] Exod. XII, 29.
[9] Exod. XII, 35.
[10] Exod. XIII, 21 ; Psal. LXXVII, 14 ; I ad Corinth. X, 1.
[11] Exod. XVI, 13.
[12] Numer. XX, 11.
[13] Genes. XVII, 7.
[14] Les Septante, dit M. l'abbé Lesêtre, donnent pour titre au psaume le mot ἀλληλούια qui, dans le texte hébreu, appartient à la fin du psaume précédent. Les quinze premiers

ineffabilia sunt, præponitur titulus huic Psalmo, « *Alleluia*, » quod interpretatur secundum Cassiodorum, « Laudate invisibilem : » quia *halelou* idem est quod *laudate*, *iah*, *invisibilis*. Dicitque Cassiodorus, quod « est carmen Angeli« cum, et a nullo interpretum muta« tum. »

Alleluia, carmen Angelicum.

Carmen vero Angelicum dici potest : quia si immunes a peccato debent laudare Deum, Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris :* illi specialiter qui omnino puri et mundi sunt a peccato, scilicet Angeli. Dicant ergo ipsi speciali privilegio : *Alleluia*. Item, suum est propter laudis exercitium et frequentiam. Si enim homo quasi ad tempus laudat : sed illi non cessant. Apocal. iv, 8 : *Requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus*, etc. Cantent ergo, qui cantare consueverunt *Alleluia*. Item, suum est propter continuam Dei fruitionem et perpetuam, qua excitantur ad laudem ut non possint non laudare. Matth. xviii, 10 : *Angeli eorum semper vident*, etc. Et in conspectus ejus, tantæ scilicet pulchritudinis, non possunt non laudare, nec silere a laude. Apocal. xiv, 3 : *Cantabant quasi canticum novum ante sedem*, Dei scilicet et Agni. Talis ergo titulus insinuat et Psalmi materiam, quia de laude Dei agit, et actoris intentionem, quia movere nos intendit ad Dei laudem.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, invitat ad Dei laudem. Secundo, subdit laudendi rationem, ibi, ℣. 7 : « *Ipse Dominus*. »

In prima duo. Primo, invitat ad laudem Dei exteriorem. Secundo, ad interiorem, ibi, in medio ℣. 3 : « *Lætetur cor meum*. »

In prima tria. Primo, invitat ad laudem Dei exteriorem. Secundo, determinat modum quo laudandus est, ibi, in medio ℣. 2 : « *Narrate omnia*. » Tertio, quare laudandus, ibi, ℣. 3 : » *Laudamini*. »

In prima duo. Primo, monet ad laudem

versets forment le début du cantique qui, d'après l'auteur du 1er livre des Paralipomènes, xvi, 7, etc., fut chanté à l'occasion du transport de l'arche à Sion. Le psaume est donc au moins contemporain de cet événement, car les auteurs protestants ou rationalistes qui l'attribuent à l'époque postérieure à la captivité, et supposent que le chroniqueur, en l'insérant dans l'histoire de David, l'a antidaté de plusieurs centaines d'années, ne donnent aucune raison pour appuyer leur sentiment. Leur affirmation ne saurait donc prévaloir contre celle de l'histoire sacrée. Dans les Paralipomènes, la forme exhortative remplace la forme narrative du psaume ; ainsi « recordamini, » ℣. 15 est mis au lieu de « memor fuit, » ℣. 8. Cette simple modification indique qu'on a voulu adapter le début du psaume à la circonstance, et qu'on s'est arrêté au ℣. 16 où l'adaptation devenait impossible. Du reste l'entrée solennelle de l'arche à Jérusalem était comme une nouvelle prise de possession du territoire de Chanaan, et le Seigneur prenait ainsi officiellement la place des Jébuséens, II Reg. v, 7, derniers restes des peuplades que Josué avait trouvées dans la terre promise. Il convenait donc de chanter en cette circonstance solennelle un cantique qui rappelait l'acte de donation de Jéhova, ℣. 11.

La liaison et la suite des idées entre les quinze premiers versets et le reste du psaume est si manifeste, qu'on ne peut guère douter que le texte du psautier ne soit antérieur à celui des Paralipomènes. L'auteur n'est point connu. Le livre historique dit seulement que David préposa Asaph et ses frères à l'exécution des cantiques sacrés ; mais rien n'indique que ce qui suit soit de David ou d'Asaph plutôt que d'un autre.

Le psalmiste retrace à grands traits l'histoire du peuple hébreu jusqu'à l'entrée dans la terre promise ; il montre par là l'accomplissement de la promesse rappelée au ℣. 11. Son cantique ressemble donc à l' « *Attendite* » d'Asaph, Psal. lxxvii ; seulement le point de vue des auteurs est différent. Asaph s'applique à mettre en relief la perpétuelle ingratitude du peuple ; ici au contraire le psalmiste ne songe qu'à rappeler avec reconnaissance les bienfaits du Seigneur. Le psaume forme aussi une sorte de trilogie avec les deux précédents, et la louange du Seigneur est empruntée successivement à l'ordre de la grâce, à l'ordre de la nature et à l'histoire.

oris. Secundo, operis: hæc enim duo exterius sunt, ibi, ỳ. 2: « *Et psallite ei.* »

In prima quatuor secundum quatuor quæ per ordinem se sequuntur. Primum, nominis ejus confessio, ut non sileatur tempore debito. Secundo, confessi invocatio in oratione privata, ibi, « *Et invocate.* » Tertio, confessi et invocati prædicatio aliis, ibi, « *Annuntiate.* » Quarto, in confesso, invocato, prædicato, dulcis modulatio, ibi, ỳ. 2: « *Cantate ei.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo: « *Confitemini,* » vos filii Abrahæ veri, « *Domino,* » id est, ad honorem Domini, non celantes ejus potestatem, et virtutem. Ad Roman. x, 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio*, etc.

« *Et invocate nomen ejus,* » in vestris orationibus secure, postquam illud confessi fueritis. Isa. LV, 6: *Invocate eum*, scilicet Dominum, *dum prope est*. Prope enim est, supple, confitenti. Propter quod dicitur alibi, in Psalmo, XVII, 4: *Laudans invocabo Dominum*. Isa. XII, 4: *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.*

« *Annuntiate.* » Ecce tertium. Quasi diceret: Sic annuntiate, sic invocetis, et post « *annuntiate opera ejus,* » prædicando, aliis publicando, « *inter gentes.* » Isa. XII, 5: *Annuntiate hoc in universa terra.* Act. XI, 20: *Loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum.* Tob. XIII, 3: *Confitemini Domino, filii Israel, et in conspectu gentium laudate eum.*

2 « *Cantate ei.* » Hic quartum. Quasi diceret: Sic confitemini, invocate, et prædicate: et etiam « *cantate,* » cum modulatione vocis, laudate aperte. Supra, in Psal. XCV, 2: *Cantate Domino, et benedicite nomini ejus.* Et alibi, Psal. XCVII, 1: *Cantate Domino canticum novum.*

« *Et psallite ei.* » Hic secundum. Postquam enim monuit laudare, hic monet laudare opere: hoc enim est psallere. Supra, Psal. XCVII, 5: *Psallite ei in cithara, in cithara et voce psalmi.*

« *Narrate omnia.* » Hic secundum. Postquam enim monuit ad laudem Dei ore et opere, hic subjungit modum quo laudandus est, quia nihil de mirabilibus ejus tacendum est. Modus laudandi Deum.

Ait enim: Sic monui ut laudetis, et etiam moneo, « *Narrate omnia mirabilia ejus.* » Tob. XII, 20: *Vos, benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.* Psal. IX, 2: *Narrabo omnia mirabilia tua.*

Sed contra: Nonne est hoc impossibile, omnia mirabilia Dei narrare? Constat quod sic. Infra, Psal. CV, 2: *Quis loquetur potentias Domini?* Quasi diceret: Nullus. Cassiodorus: « Non est humanarum virium enarrare omnia quæ virtus divinitatis operatur. » Respondeo. Omnia narrate, id est, nihil supprimite timore hominum, Matth. x, 28: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, etc. Vel pudore, Ad Roman. I, 16: *Non enim erubesco Evangelium: virtus enim Dei est.*

« *Laudamini in nomine.* » Hic tertium, in quo supponit laudis finem: finis enim laudis divinæ debet esse, ut homo qui laudat, in Deo laudetur, non in se: vel in nomine Domini, non in suo. 3

Ait ergo: Sic laudate, et sic « *laudamini:* » non in vestro nomine, sed « *in nomine sancto ejus.* » Augustinus: « Non velit quisquam de bono opere, tamquam in sua virtute laudari. » Psal. XXXIII, 3: *In Domino*, non in seipsa, *laudabitur anima mea.*

« *Lætetur cor.* » Hic secundum, in quo postquam monuit ad exteriorem Dei laudem, monet ad interiorem. Interius autem Deum laudat, qui ipsum desiderat, et recolit ejus beneficia, et ad me-

moriam revocat. Duo ergo dicuntur. Primo, monet Deum laudare. Secundo, continuare desiderium, ibi, in medio ỳ. 4 : « *Quærite faciem.* »

In prima tria. Primo, tangit modum quo vult Deum quæri et desiderari. Secundo, monet ad desiderium et inquisitionem, ibi, ỳ. 4 : « *Quærite.* » Tertio, ostendit fructum sequentem etiam in præsenti ex illo desiderio, ibi, « *Et confirmamini.* »

Dicit ergo : Sic exterius laudate : et si quæritur interius Deus desiderio, et aviditate, « *lætetur cor quærentium Dominum,* » hoc est, lætanter et jucunde quæratur : et dignum est, quia alibi, in Psal. XXXIII, 11, dicitur : *Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Et, Sapient, VI, 14 : *Præoccupat* eos *qui se concupiscunt.* Et, ibidem, ỳ. 13 : *Et invenitur ab his qui quærunt illam,* scilicet sapientiam pro Deo. Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus animæ quærenti illum.*

4 « *Quærite Dominum.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic est modus quærendi, ut quærens lætetur : et tale opus quod cum lætitia exercetur, libenter est implendum. Ergo quærite interius desiderando Dominum. Sapient. I, 1 : *In simplicitate cordis quærite illum,* et invenire cito poteritis. Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum dum inveniri potest : invocate eum dum prope est.* Luc. XI, 9 : *Quærite, et invenietis.*

Ratio multiplex, quare non debemus quærere mundum.

Quærite Dominum, non mundum. Primo, quia quærentes punguntur, sicut aliquando qui quærit rosam, incurrit punctionem : qui mellis dulcedinem, incurrit aculeum apis. Hieronymus : « Hoc « habet voluptas omnis, quod in fine « pungit. » Isa. VII, 18 : *Sibilabit Dominus muscæ,* punctioni scilicet et immunditiæ, *quæ est in extremo fluminum Ægypti,* delectationum scilicet mundi. Secundo, quia falluntur turpiter : credentes enim se aliquid invenire, nihil inveniunt. Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Eccli. XXXIV, 2 : *Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia.* Luc. V, 5 : *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* Tertio, quia tales fatigantur, et laborant pro parvo mirabiliter. Eccli. XI, 10 et 11 : *Si secutus fueris, non apprehendes : et non effugies, si præcucurreris. Est homo laborans, et festinans, et dolens impius, et tanto magis non abundabit.* Quarto, quia etsi aliqua sunt adepti, cito deficiunt. Sapient. V, 9 : *Transierunt omnia illa, tamquam umbra.* Joel, I, 5 : *Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine : quoniam periit ab ore vestro.* Quinto, quia etsi maneant, cito in fastidium veniunt. Numer. XI, 20, comederunt filii Israel usque ad nauseam. Jerem. XXV, 27 : *Bibite,* scilicet in aureo calice Babylonis, *et inebriamini, et vomite.* Ultimo, quia « possessa onerant, amata in- « quinant, et amissa cruciant, » sicut dicit Bernardus.

« *Quærite* ergo *Dominum, et confirmamini.* » Ecce fructus, id est, confirmabimini : quærentes enim Deum, sicut vult Glossa, fortes fient et illuminati, et hic infusa virtute, et in patria divina fruitione. De primo, Act. XVI, 5 : *Ecclesiæ confirmabantur fide.* I ad Corinth. XVI, 13 et 14 : *Confortamini : omnia vestra in charitate fiant.* De secundo dicit Anselmus : « Qui semel Deo fruetur, nec « timore torqueri poterit, nec falsitate « decipi, nec experiri indigentiam, ple- « nitudinem non amare non poterit, nec « Deus deseret amantem se, nec aliquid « potentius poterit eum superare. »

« *Quærite faciem.* » Ecce secundum, in quo monet ad perseverantiam in quærendo. Quasi diceret : Sic quærite, et « *quærite faciem ejus,* » Christum Filium, per quem cognoscitur, sicut homo per faciem : « *semper,* » et in præ-

senti, et in futuro. Psal. xxvi, 8 : *Faciem tuam, Domine, requiram:* non tantum quæram, sed requiram. Quasi diceret : Continuo et incessanter quæram.

5 « *Mementote mirabilium.* » Hic est secundum illius partis, in qua monet ad laudem Dei interiorem : monet enim ad ejus beneficia recolenda : in quo dicuntur duo. Primo, monet ad memorandum ejus mirabilia prodigia. Secundo, ostendit qui debeant in memoria habere illa, ibi, ℣. 6 : « *Semen Abraham.* »

In prima tria, secundum tria quæ vult haberi in memoria. Primo, beneficia eis exhibita in Ægypto, scilicet multiplicationem maximam. Secundo, exhibita ante eductionem illorum de Ægypto, ibi, « *Prodigia.* » Tertio, exhibita in ipsa eductione illorum de Ægypto, inimicos justo judicio submergendo et suffocando, ibi, « *Et judicia.* »

Dicit ergo : Sic laudate Deum, interius ipsum desiderando, et quærendo : et ut desiderium inflammetur, « *mementote mirabilium ejus quæ fecit,* » vos in Ægypto multiplicando mirabiliter, sicut habetur, Exod. i, 12 et seq. Job, v, 9 : *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus.*

« *Prodigia* » etiam mementote, quæ fecit ad educendum vos de Ægypto, a cap. vii Exodi usque ad cap. xiv. Exod. vii, 3 : *Multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti.*

« *Et judicia oris ejus,* » hoc est, ab ore ejus contra Pharaonem procedentia, quando in mari Rubro submersi sunt [1]. Exod. vii, 4 : *Educam exercitum et populum meum filios Israel de terra Ægypti per judicia maxima.*

6 « *Semen Abraham.* » Hic secundum, in quo ostendit quos recolere beneficia Dei velit. Et primo, quod ab Abraham seminatos. Secundo, quod natos de Jacob, ibi, « *Filii Jacob.* »

Ait ergo : Sic monui recolere Dei beneficia vos specialiter, qui estis « *semen Abraham,* » id est, imitatores Abrahæ, « *servi ejus,* » in fide. Ad Galat. iii, 16 : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus in sæcula.* Vocatur autem Abraham *servus* competenter, quia ipsi datum est primo præceptum de circumcisione, quod fuit initium servitutis : servi enim talibus signis solent signari [2]. Item, quia obedivit in filii immolatione, quantum in se fuit [3]. Circumcisi ergo, et obedientes, hi sunt veri filii Abrahæ, non carnales Judæi. Ad Roman. ix, 6 et seq. : *Non omnes qui Israel sunt, ii sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii :... id est, non qui filii carnis, hi sunt filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.*

Quare Abraham signanter dicitur servus Dei?

« *Filii Jacob,* » imitatione similiter, « *electi ejus,* » et hoc in bona operatione luctando contra carnem, mundum, et diabolum. Jacob enim *luctator* interpretatur : et dicitur *electus,* quia ab ipso utero, priusquam nati essent, reprobato Esau, a Deo electus est. Malach. i, 2 et 3 : *Nonne frater erat Esau Jacob? dicit Dominus : et dilexi Jacob, Esau autem odio habui.* Sic ergo addit optime filiis Abrahæ, per quos imbuti in recta fide, filios Jacob, ut sint etiam simul fortes in bona operatione. Parum enim est esse filium Abrahæ per fidem, nisi sis Jacob per bonam operationem. Jacob. ii, 20 : *Fides sine operibus mortua est.*

« *Ipse Dominus Deus noster.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi. Postquam enim invitavit filios Abrahæ et Jacob ad laudem, et beneficiorum Dei memoriam, hic assignat causam laudis, et ipsa beneficia, propter quæ laudandus 7

Secunda pars Psalmi.

[1] Cf. Exod. xiv, 6 et seq.
[2] Cf. Genes. xvii, 10.
[3] Ibidem, xxii, 1 et seq.

Sex beneficia Judæis divinitus collata.

est, specificat. Et secundum sex beneficia illi genti exhibita ad litteram, sunt sex partes. Primum est terræ Chananæorum promissio. Secundum est contra inimicos fratris protectio, ibi, ỳ. 12 : « *Cum essent numero.* » Tertium, ipsorum in terra Ægypti multiplicatio, ibi, ỳ. 24 : « *Et auxit populum.* » Quartum est a servitute Ægyptiaca liberatio, ibi, ỳ. 26 : « *Misit Moysen.* » Quintum, ipsorum sustentatio in deserto, ibi, ỳ. 39 : « *Expandit nubem.* » Sextum, ipsorum in terram promissam introductio, ibi, ỳ. 42 : « *Quoniam memor.* »

In prima quatuor. Primo, dicitur quis promisit. Secundo, quando et quomodo promisit, ibi, ỳ. 8 : « *Memor fuit.* » Tertio, quibus promisit, ibi, ỳ. 9 : « *Quod disposuit.* » Quarto, quid, ibi, ỳ. 11 : « *Dicens : Tibi dabo.* »

In prima duo. Describitur enim promittens a dominio duplici. In Judæis primo : et in Gentibus secundo.

Ait ergo : Sic laudate, et beneficia ejus recolite, quia ipse « *Dominus Deus noster,* » non tantum apud nos potest, imo, « *in universa terra judicia ejus* » currunt. Isa. LIV, 5 : *Deus omnis terræ vocabitur.* Sed contra, in Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Respondeo. Verum est primo et principaliter, sed omnibus manifestavit secundario, ut fieret ex Gentibus et Judæis unum ovile, et unus pastor in Christo.

8 « *Memor fuit.* » Hic secundum, quando et quomodo qui tantus est, promiserit : in quo dicuntur duo. Primo, innuit eum ab antiquo promisisse. Secundo, promissionem divulgasse, ibi, « *Verbi quod mandavit.* »

Dicit ergo : Ipse Deus noster, et Dominus, in universa terra « *memor fuit testamenti sui,* » promissionis suæ, « *in sæculum,* » id est, a sæculo, a longo tempore factæ. Luc. I, 72 et 73 : *Et memorari testamenti sui sancti : jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum.* Exod. XXXII, 13, dicebat Moyses : *Recordare Abraham, Isaac, et Israel, servorum tuorum,* fidelium scilicet, *quibus jurasti per temetipsum,* etc.

« *Verbi quod mandavit* » nuntiari et publicari, et « *in mille generationes,* » id est, in omnes. Finitum sumitur pro infinito, sicut vult Glossa. Psal. CX, 9 : *Mandavit in æternum testamentum suum.* Et si intelligatur de promissione litterali, tunc intelligenda est conditio, si mandatis meis obedierint. Si autem intelligatur spiritualiter, de Testamento Novo et promissionibus factis in illo, sicut vult Glossa, tunc planum est. In Psal. CXXXII, 3 : *Illic,* in Testamento scilicet Novo, *mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.*

« *Quod disposuit.* » Hic tertium, quibus promisit : et secundum tres quibus facta est illa promissio, hic dicuntur tria. Primum, Abraham. Secundum, Isaac, ibi, « *Et juramenti.* » Tertium, Jacob, ibi, ỳ. 10 : « *Et statuit illud.* » 9

Dicit ergo : Sic fuit memor testamenti, promissionis scilicet, « *quod* » testamentum « *disposuit ad Abraham* [1]. »

« *Et juramenti sui,* » repete, fuit memor, « *quod disposuit ad Isaac.* » Genes. XXVI, 3 : *Tibi et semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum.* Sic ad litteram de promissione litterali, sed de spirituali adhuc verius fuit, quæ fuit cum promissa est illis terra viventium. « Tantæ enim excellentiæ fuit « hoc beneficium, ut dicit Augustinus, « quod admirati sunt super hoc Angeli, « desiderabant antiqui, confundebantur « dæmones, et adorabant homines. » Et confirmata fuit promissio juramento, communi chirographo, et pignore certo. De juramento planum est, sed ipse

[1] Cf. Genes, XII, XV, XVII et XXII.

Christus, Deus et homo, fuit commune chirographum, et fuit certum pignus.

10 « *Et statuit illud.* » Ecce tertium, in quo ostendit promissum Jacob : sed quia binominis erat, ostenditur ei facta promissio secundum utrumque nomen.

Ait enim : Sic Abrahæ promisit, et Isaac : « *et* » etiam « *illud,* » promissionem illam scilicet, « *statuit Jacob in præceptum,* » dans illud, hoc est, præcipiens ut crederent illud firmiter adimplendum[1], quando adhuc tantum nomine Jacob vocabatur, Genes. xxviii, 14 et 15 : *Benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ... Et reducam te in terram hanc, nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi.*

« *Et Israel,* » ipsi Jacob jam Israel vocato, « *in testamentum æternum,* » æterno scilicet mansurum. Genes. xxxv, 12, quando jam vocabatur Israel : *Terram quam dedi Abraham, et Isaac, dabo tibi et semini tuo post te.* Vere æternum testamentum, quia in Psal. lxxxviii, 35 : *Non profanabo testamentum meum : et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Ipse enim mentiri non potest. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Numer. xxiii, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.* Malach. iii, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Jacob. i, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

11 « *Dicens : Tibi dabo.* » Hic quartum, in quo determinat quid eis sit promissum : in quo dicuntur duo. Primo, quid eis promissum sit ut detur. Secundo, modus quo dandum est id quod promittitur, ibi, « *Funiculum.* »

Sic talis et tantus, qui est Dominus, non tantum Judæorum, sed etiam Gentium promisit, et talibus « *dicens,* » determinando quid promitteret : « *Tibi,* » Abraham, Isaac, et Jacob, « *dabo terram Chanaan,* » sicut multis jam promissionibus est monstratum ad litteram. Sed quomodo dabo vobis ? « *Funiculum,* » mensuram scilicet cuilibet debitam, « *hæreditatis vestræ.* » Eccli. xliv, 26 : *Dedit* Dominus Jacob *hæreditatem,* id est, terram hæreditario jure possidendam, *et divisit illi partem in tribubus duodecim.* Psal. lxxvii, 54 : *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.*

Et nota spiritualiter, quod per Abraham, qui vocatur pater multarum gentium, signantur Prælati, qui aliis præficiuntur. Genes. xxvii, 29 : *Esto Dominus fratrum tuorum.* Per Isaac, qui interpretatur *risus,* incipientes subditi : ipsi enim sunt in quorum gaudio non admiscetur extraneus, et pro quibus gaudent et rident Angeli. Luc. xv, 7 : *Ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente,* etc. Per Jacob, proficientes, qui sunt in lucta et in pugna contra vitia, et dæmonia. Ad Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem, aut sanguinem,* etc. : et cum Deo in oratione, Osee, xii, 4 : *Invaluit ad Angelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum.* Per Israel, perfecti et contemplativi, qui jam quodammodo revelata facie Deum contemplantur, quantum in via est possibile. II ad Corinth. iii, 18 : *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de claritate in claritatem,* etc.

Quatuor status hominum.

His datur terra Chanaan, id est, terra humilium : sic enim Chanaan interpretatur. Matth. v, 4 : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et parum ante, ℣. 3 : *Beati pauperes spiritu,* etc. Et hoc secundum mensuram unicuique debitam a mensore Christo. Zachar. ii, 1 : *Ecce vir, et in manu ejus funiculus*

[1] « Serius additus est ℣. 11, qui oratione soluta verba promissionis e Genesi repetit. » Bickell.

mensoris. Joan. xiv, 2 : *In domo patris mei mansiones multæ sunt*. I ad Corinth. xv, 41 : *Stella differt a stella in claritate*. Et hoc in hæreditatem. Ista enim hæreditas est inamissibilis. Psal. xv, 6 : *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi*.

12 « *Cum essent in numero brevi*. » Hic tangitur secundum beneficium, propter quod Deus laudandus, et ipsi confitendum : scilicet protectio populi Israelitici, adhuc parvi numeri, et peregrinantis in terra : in quo dicuntur duo. Primo, conservatio illius populi ante ingressum in Ægyptum. Secundo, in ingressu, ibi, ℣. 16 : « *Et vocavit*. »

In prima duo. Primo, necessitas protectionis monstratur. Secundo, modus, ibi, ℣. 14 : « *Non reliquit*. »

Necessitas protectionis monstratur in duobus. In paucitate populi inter multos malos habitantis : et instabilitate transeuntis de extraneo loco ad extraneum, ibi, ℣. 13 : « *Et pertransierunt*. »

In prima duo. Primo enim monstratur paucitas propter numerum absolute. Secundo, comparatione ad culturam terræ : quantum enim ad hoc, erant non tantum pauci, sed et paucissimi, ibi, « *Paucissimi*. »

Dicit ergo : Sic confitendum Domino, quia promittere voluit terram : sed ne credas interim a Deo dimittendos, quia « *cum essent* adhuc *numero brevi*, » etiam tempore Jacob, et post reditum de Mesopotamia Syriæ, Gen. xxxiv, 30, dixit Jacob ad filios suos postquam occiderant Schimitas : *Nos pauci sumus : illi congregati percutient me, et delebor ego, et domus mea*. Neque hoc est contra hoc quod dictum est Abrahæ, Genes. xxii, 17 : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris* : non enim respiciebat ista promissio ad id tempus, sed magis ad istud quod modo est.

« *Paucissimi*. » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic cum essent pauci numero in se, et etiam « *paucissimi incolæ ejus*, » id est, ad colendum illam terram quam inhabitabant, cujus cultores erant ad litteram. Psal. civ, 23 : *Jacob accola fuit in terra Cham*. Genes. xxxiv, 10 : *Terra in potestate vestra est : exercete, negotiamini, et possidete eam*. Ad illud tempus redacta videtur Ecclesia in multis locis : pauci enim sunt numero in Ecclesiis, sed incolæ qui fructum faciant et laborem, paucissimi. Thren. i, 1 : *Quomodo sedet sola civitas*, Ecclesia scilicet, ut non sit jam colonus in ea, ad procurandum animarum salutem, *plena populo*, ad recipiendum fructum, et præbendam? Luc. x, 2 : *Messis quidem multa, operarii autem pauci*. Sufficient ergo pauci denarii, quando dicetur in fine illud Matth. xx, 8 : *Voca operarios*, colonos scilicet, *et redde illis mercedem suam, incipiens a novissimis usque ad primos*.

Operarii pauci in Ecclesia.

« *Et pertransierunt*. » Hic secundum, quod pertinet ad necessitatem protegendi, scilicet instabilitas. Et monstratur primo instabilitas. Secundo, instabilitatis quantitas, ibi, « *Et de regno*. » 13

Ait enim : Sic numero brevi fuerunt : et paucissimi ad colendum : « *et* » etiam *pertransierunt*, » tamquam peregrini, et instabiles, « *de gente* » una, « *in gentem* » alteram, quod totum fieri poterat in uno regno, et fiebat. Ad Hebr. xi, 9 : *Fide demoratus est* Abraham *in terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando*. Qui in casulis habitat, de loco currit ad locum, non moratur in uno. Et Isaac dicitur, Genes. xxvi, 1 et seq., Isaac peregrinatus est in terra Geraris. Et de Jacob, Genes. xxxiii, 17 : *Jacob venit in Sochot*. Sed numquid mansit ibi? Non. Sequitur enim, ℣. 18 : *Transivitque in Salem, urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan*.

« *Et de regno*, » repete, pertransie-

runt, « *ad populum alterum*, » alterius scilicet regni. Ecce vehemens instabilitas. Nota, sicut dicit Glossa, quod « terra illa « Chanaan non erat adhuc regnum, sed « postmodum fuit. » Sed contra : Nonne legitur, Genes. XIV, 18, quod Melchisedech, rex Salem, occurrit Abrahæ recedenti de victoria regum ? Sed respondet Paulus, ad Hebr. VII, 2, dicens, quod Melchisedech *interpretatur rex justitiæ, deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis*. Non dicitur ergo Melchisedech rex Salem, propter hoc quod illi civitati dominaretur tamquam rex, sed propter nominis interpretationem.

Sic nostri Patriarchæ, Prælati scilicet Ecclesiarum, pertranseunt tamquam peregrini de gente in gentem, de regno ad populum alterum. Cum enim in una civitate fuerint præbendati, dicunt illud Pauli ad Hebr. XIII, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Sed caveant ne et de ipsis non dicatur illud Apostoli, II ad Corinth. v, 6 : *Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino*. Non sunt de illis, de quibus idem Apostolus, ad Ephes. II, 19 : *Jam non estis hospites, et advenæ*, etc.

14 « *Non reliquit hominem*. » Hic secundum totius hujus partis. Ostensa enim necessitate protegendi eos, hic subjungitur modus protectionis : et dicuntur duo. Primo, protectio a minoribus. Secundo, et a majoribus, ibi, « *Et corripuit*. »

Dicit ergo : Cum essent pauci, et in se, et ad colendum terram, et instabiles, « *non reliquit*, » tamquam conservator eorum, « *hominem nocere eis*. » Verum est, Genes. XII, 11 et seq., de Abraham, cum descendit in Ægyptum. Et, XXVI, 1 et seq., de Isaac, in Geraram. Et, de Jacob dicitur, Genes. XXXV, 5 : *Cum profecti essent*, Jacob scilicet et domus ejus, *terror Domini invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes*.

« *Et corripuit*. » Hic secundum, scilicet illorum protectio in comparatione ad majores : et dicuntur duo. Primo, majorum repressio, ne illis nocerent. Secundo, declaratio modi per quem sunt repressi, ibi, ỳ. 15 : « *Nolite tangere christos meos*. »

Dicit ergo : Sic eis vel eos nocere hominem non reliquit : « *et corripuit pro eis reges*, » volentes injuriari, et nocere, sicut regem Ægypti per Abraham, cujus uxorem abstulerat [1], et Abimelech, regem Geraræ, per Isaac [2] .

« *Nolite tangere*. » Hic ostenditur modus reprimendi eos. Primo, reprimit eos a malitia in effectu. Secundo, in ipso affectu, ibi, « *Et in prophetis*. » 15

Ait enim : Sic pro eis corripuit reges, sed quomodo ? Dicens [3]: « *Nolite tangere*, » nolendo affectu, « *christos meos*, » Abraham, Isaac, Jacob. Ecce adhuc non erat materialis unctio in Judæis : incepit enim tempore Saülis : et Patriarchæ, *christi*, id est, *uncti* appellantur, et quasi Christiani : unde evidens est quod unctos intelligit unctione spirituali, qua omnes dicimur Christiani, de qua in Psal. LXXXVII,21 : *Inveni David, servum meum, oleo sancto meo unxi eum*. Sed præcique et abundantissime caput omnium Christianorum, Christus, de quo in Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Cassiodorus : « Attendendum est, quod Patriarchas *christos* appellavit, cum adhuc non esset « unctio celebrata. » A Saül autem ista unctio cœpit initium [4] : sed hic dicitur, quia erant in spiritu Christiani.

[1] Cf. Genes. XII, 17 et seq.

[2] Ibidem, pro Abraham, XX, 2 et seq., et pro Isaac, XXVI, 3 et seq.

[3] Verbum *dicens* non invenitur in Vulgata.

[4] Cf. I Reg. X, 1.

« *Et in prophetis.* » Ecce secundum, in quo cohibet affectum. Quasi diceret : Sic nolite tangere nocendo in effectu : et etiam « *nolite malignari,* » in interiori affectu, « *in prophetis meis,* » id est, contra Prophetas meos, scilicet Patriarchas : erant enim prophetæ. Genes. xx, 6 et 7 : *Non dimisi ut tangeres eam,* Saram scilicet, *nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est : et orabit pro te.* Nonne prophetavit de Christo, Genes. xxiv, 2, quando dixit famulo suo : *Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum,* etc.?

Uncti dicuntur Episcopi et sacerdotes, quos prohibet Dominus tangi ! Christi autem, uncti scilicet sunt Prælati, maxime Episcopi et sacerdotes, qui nulla ratione sunt tangendi. Ipsi sunt quibus dixit Dominus, Zachar. ii, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* I Reg. xxvi, 9 : *Quis extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit?* Quasi diceret : Nullus. Tanguntur autem à tyrannis, in personis aliquando, quod crudele est et horribile, II Reg. i, 14 : *Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini?* Tanguntur etiam in rebus suis, Job, i, 16 : *Ignis Dei cecidit e cœlo, et tactas oves puerosque consumpsit.* Tanguntur etiam debitum sustentamentum non præbendo, in quo se fortiter tangi conqueritur Dominus, Malach. iii, 8 : *Si affiget homo Deum, quia vos,* scilicet gens tota, *configitis me? Et dixistis : In quo configimus te? In decimis et in primitiis,* quas non solvitis. Prophetæ autem sunt Doctores contra quos non est malignandum [1]. Supra, in Psal. xxxvi, 9 : *Qui malignantur, exterminabuntur.*

16 « *Et vocavit famem.* » Hic secundum. Postquam enim ostendit protectionis beneficium, ante descensum populi in Ægyptum, hic tangit beneficium exhibitum in descensu : et tanguntur tria. Primo, provocatio ipsorum ad descensum. Secundo, protectio in descensu, ibi, ℣. 17 : « *Misit ante eos.* » Tertio, ingressus illorum, ibi, ℣. 23 : « *Et intravit Israel.* »

In prima duo dicuntur. Provocatio enim illorum ad descensum fuit. Primo ergo tangitur immissio famis. Secundo, causa et modus, quo est immissa fames illa, ibi, « *Et omne firmamentum.* »

Dicit ergo : Sic servavit eos, et protexit, et post hoc « *vocavit famem super terram,* » id est, ac si vocasset venire fecit. Vel, vocare dicitur famem, quia vocat Angelos malos, per quos ista fiunt, permittendo ut faciant. Genes. xii, 10 : *Facta est fames in terra,* scilicet Chanaan. Et iterum, Genes. xli, 56 : *Crescebat quotidie fames in omni terra.* Qualiter Deus immittit famem in mundum?

« *Et omne firmamentum.* » Ecce causa famis, et ratio. Quasi diceret : Famem vocavit, « *et,* » id est, quia, « *omne firmamentum,* » omne robur, et omnem fortitudinem, « *panis contrivit.* » Genes. xlvii, 13 : *In toto orbe panis deerat, et oppresserat fames terram, maxime Ægypti et Chanaan.* Implebatur tunc quod postea comminatus est per Moysen, Levit. xxvi, 25 et 26 : *Trademini in manus hostium, postquam confregero baculum panis vestri : ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes,... et non saturabimini.* Isa. iii, 1 : *Auferet Dominus a Jerusalem et a Juda omne robur panis, et omne robur aquæ.* Sic Dominus famem spiritualem immittit in mundum. Amos, viii, 11 : *Mittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Deinde, justitiæ, de qua Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Tertio, eucharistiæ, Job, v, 5 : *Cujus messem famelius comedet,* quia Isa. lviii, 7, dicitur : *Frange esurienti panem tuum.* Quarto, dulcedinis divinæ, Eccli. xxiv, 29 : *Qui edunt me, adhuc esurient.* Et ultimo, salutis animarum. In Psal. lviii, 7 : *Famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.*

[1] Cf. I ad Corinth. xiv, passim.

17 « *Misit ante eos.* » Hic tangitur ipsorum protectio, describendo, et ostendendo statum ministri protectionis : in quo dicuntur duo. Primo, divina ordinatio mittens ministrum protectionis tempore debito. Secundo, missi descriptio, quantum ad statum duplicem humilitatis et dignitatis, ibi, « *In servum.* »

Dicit ergo : Sic famem vocavit, sed volens suos conservare, « *misit ante eos virum,* » Joseph scilicet, qui *vir* bene dicitur, propter ætatem, propter sexum, et propter probitatem : unde versus :

Vir notat ætatem, vir sexum, vir probitatem.

Propter quod dicebat fratribus, Genes. xlv, 5 et seq. : *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra : et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti. Præmisitque me Deus ut reservemini super terram.* Quando tales a Deo præmittuntur populo, qui viri sunt, benevolentia Dei est : quando juvenes et molles, tunc ira Dei est. Isa. iii, 4 : *Dabo pueros principes eorum, et effœminati dominabuntur eis.* Et bene dicit, *ante eos* : boni enim pastoris, qui est vir a Deo missus, est præire, secundum illud Joan. x, 4 : Bonus pastor... *cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur.* Stella antecedebat Magos [1].

« *In servum venumdatus est.* » Hic describitur minister protectionis. Primo ergo tangitur ejus humilitiatio. Secundo, humiliati exaltatio, ibi, in medio ỳ. 19 : « *Eloquium Domini.* »

In prima duo. Primo, humiliatio illius a fratribus propriis. Secundo, ab Ægyptiis, ibi, ỳ. 18 : « *Humiliaverunt eum.* »

Dicit ergo : Sic missus est vir : et « *Joseph,* » ille vir scilicet, qui missus est ante eos, « *venumdatus est in servum,* » a fratribus propriis. Genes. xxxvii, 28 : *Vendiderunt eum,* scilicet Joseph, *Ismaelitis.* Et hoc, « *in servum,* » sed pervenit ad honorem maximum. Gregorius : « Joseph venditus est a fratribus, « ne adoraretur : sed ideo est adoratus, « quia venditus. » Cassiodorus : « Venumdatus Joseph ad servitium, perve« nit ad gloriam. »

« *Humiliaverunt.* » Hic secundum, humiliatio scilicet ab Ægyptiis, quæ fuit in incarceratione injusta : et dicuntur duo. Primo, ejus compeditio in carcere. Secundo, moratio et duratio in illo carcere, ibi, « *Ferrum pertransiit.* » 18

Dicit ergo : Sic fratres vendiderunt, et Ægyptii quibus venditus fuit ab Ismaelitis, « *humiliaverunt pedes ejus, in compedibus* » illos ponendo. Tangit quomodo positus fuit in carcere, quia noluit consentire uxori domini sui. Genes. xxxix, 19 et 20 : *His auditis dominus, et nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde : tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur.* Et, xl, 14 et 15, dixit pincernæ : *Memento mei, cum bene tibi fuerit, et facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, et hic innocens in lacum missus sum.*

« *Ferrum pertransiit.* » Hic secundum. Quasi diceret : In hac tribulatione fuit, sed quamdiu ? Respondet : « *Ferrum,* » id est, dura tribulatio et domitrix omnium, « *pertransiit animam ejus.* » Sic locutus est Simeon ad Mariam, Luc. ii, 35 : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Vel, ut sit hypallage : « *Ferrum pertransiit animam ejus,* » id est, anima ejus pertransiit ferrum. Idem sensus. Ferrum indicat duram tribulationem.

Et hoc, « *donec veniret,* » id est, eve- 19

[1] Cf. Matth. ii, 9.

niret, « *verbum ejus,* » quod prædixerat de liberatione pincernæ regis. Et nota, quod facta est dura tribulatio, sicut dicitur hic, et II Paralip. in oratione Manassæ, circa medium. Dixit Manasses : Multo vinculo ferri, multa scilicet dura, et tenaci tribulatione, incurvatus sum [1].

Ferrum etiam est anima dura, et quasi ferrea, sed acuitur ferro tribulationis. Proverb. XXVII, 17 : *Ferrum ferro exacuitur, et homo exacuit faciem amici sui.* Primo ferrum de terra tollitur, quia existentibus in terrenis occupationibus multæ duræ tribulationes oriuntur. Et secundo, de terra tollitur, in qua latet, quando anima a corpore separatur. Job, XXVIII, 2 : *Ferrum de terra tollitur.*

« *Eloquium Domini.* » Hic secundum, quod pertinet ad descriptionem ministri liberationis. Præmissa enim ejus humiliatione, sequitur de ejus exaltatione : in quo duo dicuntur. Liberatio a miseria in qua erat : hoc necesse fuit ad hoc ut exaltaretur. Secundo, liberati sublimatio, ibi, ℣. 21 : « *Constituit eum.* »

In prima duo. Primo, causa et ratio liberationis ipsius. Secundo, liberatio, ibi, ℣. 20 : « *Misit rex.* »

Dicit ergo : Sic fuit in vinculis, et in carcere, donec veniret verbum. Sed numquid venit ? Ita scilicet non ab eo fuit, sed a Deo : quia « *eloquium Domini :* » verbum Dei factum ad cor ipsius, per linguam Dei, quæ est Spiritus sanctus, qui, Act. II, 3, in igneis linguis apparuit [2] : « *inflammavit eum,* » interius illuminando adspectum mentis, inflammando affectum. Quippe, in Psal. CXVIII, 140, infra : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Et, Proverb. XXX, 5 : *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et tamquam malleus conterens petras ?* Propter hoc dicebant illi duo, ad quorum cor loquebatur, Luc. XXIV, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via ?* Bernardus : « Non potest « capere frigidum pectus verbum ejus. » De Elia dicitur : *Verbum ipsius quasi facula ardebat* [3].

« *Misit rex.* » Hic liberatio : et primo, a vinculis. Secundo, a carcere, ibi, « *Et solvit eum.* » 20

Et in prima tangitur liberans auctoritate primaria, scilicet rex, et secundaria, scilicet, « *Princeps populorum.* »

Dicit ergo : Sic eum divinum eloquium inflammavit : et tunc « *misit rex,* » hoc cognito, ad principem carceris, « *et solvit eum,* » a vinculis, « *princeps populorum.* » Sic potest legi littera satis bene. Vel, potest totum referri ad regem : et hoc quod dicitur, *princeps populorum*, legi cum sequenti. Quasi diceret : Misit rex et solvit eum, per missos : « *Princeps populorum,* » repete, misit, « *et dimisit eum,* » de carcere. Genes. XLI, 14 : *Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt,* supple, regi. Sic implevit Pharao quod præcipitur regibus et prælatis. Isa. LVIII, 6 : *Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.* Et, Luc. VI, 37 : *Dimittite, et dimittemini.*

Spiritualiter cor inflammatum a divino elequio et alloquio, non potest teneri, nec compedibus perversæ consuetudinis, nec carcere profundæ voluptatis. Act. XII, 7 et seq., ad descensum Angeli, et alloquium Petri, catenæ solutæ sunt, et carcer apertus, et exivit Petrus. Effectus eloquii divini.

« *Constituit eum.* » Hic secundum. 21

[1] Orat. Manassæ, circa medium : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo, ut non possim attollere caput meum, et non est respiratio mihi.*

[2] Act. II, 3 : *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum.*

[3] Eccli. XLVIII, 1.

Postquam præmissa est liberatio, hic subjungitur liberati sublimatio : et dicuntur duo. Primo, sublimatio Joseph a rege. Secundo, sublimantis intentio et finis, ibi, ℣. 22 : « *Ut erudiret.* »

In prima duo, secundum duo in quibus eum sublimavit. Primo, in conferendo in domum suam dominium. Secundo, in regnum et terram totam principatum, ibi, « *Et principem.* »

Dicit ergo : Sic solvit eum, et dimisit de carcere, et post « *constituit eum,* » firmiter stabiliendo, « *dominum domus suæ.* » Genes. XLI, 41 : *Constitui te super universam terram Ægypti.*

22 « *Ut erudiret.* » Hic secundum, scilicet sublimantis intentio, quæ tangitur duplicata instructione, scilicet Pharaonis et principum de somniorum expositione. Et secundo, quod majus est, ipsorum sapientium et conjectorum Ægypti, qui per senes signantur, ibi, « *Et senes ejus.* »

Dicit ergo : Sic sublimavit liberatum. Ad quid ? « *Ut erudiret principes ejus,* » supple, Pharaonis, « *sicut semetipsum,* » in somniorum expositione, in terræ gubernatione. Genes. XLI, 33 et 34 : *Provideat rex virum sapientem et industrium,... qui constituat præpositos per cunctas regiones,* et omnes obediant ei.

« *Et senes ejus,* » qui erant sapientiores, et divini. Job, XII, 12 : *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* « *Prudentiam doceret.* » Sed ubi docuerit senes prudentiam, si non legatur in textu historico, credendum tamen est, sicut dicit Glossa, tantum virum non tantum ministrandis temporalibus intentum fuisse, sed etiam spiritualibus, ut sapientes Ægypti ab eorum vana revocaret sapientia.

Contra Prælatos. Hinc autem instruimur, quod Prælati super domum Dei, et terram Ecclesiæ debent a Deo constitui. Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te,* non alius, *super gentes, et super regna.* Et, in Psal. II, 6, gloriatur ut bene institutus dicens : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion,* etc. Ad quid ? Non ad luxuriandum et expendendum in superfluis bona domus Domini, sed ad instruendum, et regendum. Bernardus : « Timeant Clerici ministri Ecclesiæ, qui in terra sanctorum « quam possident, tam inique agunt, ut « stipendiis, quæ sibi sufficere potuissent, « minime contenti, superflua, quibus sustentandi erant pauperes, impie sacrilegeque sibi retineant, et in usus superbiæ suæ atque luxuriæ, victum pauperum consumere non verentur, duplici « profecto iniquitate peccantes, quia et « aliena diripiunt, et sacris in suis turpitudinibus abuntutur. »

Potest etiam exponi de beato Petro, et successoribus ejus, quos Christus super Ecclesiam, imo super principes Ecclesiarum constituit, *ut erudiret principes :* Episcopos, et Prælatos de somniorum veritate, omnia tamquam somnia reputando. Act. III, 6 : *Argentum, et aurum non est mihi.*

« *Et senes,* » Doctores de prudentia, quod bonum est eligendo, quod malum est fugiendo, non de cupiditate et parentum carnali dilectione. Sed, Isa. LVI, 10, dicitur : *Speculatores ejus cæci omnes :* speculator in altissimo domus totius est constitutus.

« *Et intravit Israel.* » Hic tertium totius illius partis, in qua agitur de beneficio in descensu in Ægyptum exhibito. Dicto enim de provocatione ad desertum, scilicet inductione famis, et descripto ministro protectionis, hic describitur tertium, scilicet populi descensio in Ægyptum : et tanguntur duo. Primo, descensus in terram Ægypti. Secundo, possessio terræ, et cultura illius post descensum, ibi, « *Et Jacob.* » 23

Ait ergo : Sic venit fames, et Joseph antecessit : et tunc intravit Jacob in Ægyptum, non solus, sed cum omnibus suis. Genes. XLVI, 6 et 7 : *Venit* Jacob *in Ægyptum cum omni semine suo, filii*

ejus, et nepotes: filiæ, et cuncta simul progenies.

« *Et Jacob,* » qui et Israel, « *accola fuit,* » id est, colonus, « *in terra Cham,* » in Ægypto. Sciendum enim, quod de Cham, qui fuit pater Chanaan, descenderunt Ægyptii, unde terra eorum dicebatur *terra Cham,* scilicet terra Gessen, quam dedit ei rex Ægypti per Joseph. Genes. XLVII, 11 : *Joseph patri et fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco,* Ramesses, *ut præceperat Pharao.* Augustinus : « Accola « non indigenam, sed advenam ostendit. »

Sed quare dicitur Israel Ægyptum intrasse, et Jacob accola fuisse, magis quam e converso ? Respondeo. Proprie loquitur Scriptura. Ægyptus enim interpretatur *tenebra,* et quis tenebram intraret, nisi videret ? valde fatuus esset. Israel autem interpretatur *videns Deum.* Amos, VII, 12 : *Qui vides,* supple, Deum, *gradere,* scilicet in Ægyptum, *fuge in terram Juda,* etc. Jacob autem interpretatur *luctator,* et *fortis contra Deum.* Talis debet esse accola terræ, aliter cito cadet. Samson enim cito cecidit [1].

24 « *Et auxit populum.* » Hic tangitur tertium beneficium, scilicet multiplicatio in Ægypto. Secundo, conversio cordis Ægyptiorum in odium et invidiam contra populum illum, quod quasi secutum est ex primo, ibi, ℣. 25 : « *Convertit cor.* »

In prima duo. Primo, illius populi multiplicatio in numero. Secundo, quia hoc parum esset, multiplicati roboratio et confirmatio, ibi, « *Et firmavit.* »

Dicit ergo : Sic filios Israel protexit in terra Chanaam, et postmodum introduxit in Ægyptum : et tandem « *auxit populum suum,* » non modicum, sed « *vehementer.* » Exod. I, 7 : *Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt.* Isa. IX, 3 : *Multiplicasti gentem.*

« *Et firmavit eum,* » roborando, et confirmando, « *super inimicos ejus.* » Exod. I, 7, statim quando dixit : *Et quasi germinantes multiplicati sunt,* addidit : *Ac roborati nimis, impleverunt terram.* Et in eodem, ℣℣. 9 et 10, dixerunt Ægyptii : *Ecce, populus filiorum Israel multus, et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur.*

« *Convertit cor.* » Hic secundum, scilicet consequenter ad augmentum populi. Primo, odium cordis in Ægyptiis. Secundo, operis, ibi, « *Et dolum facerent.* » 25

Dicit ergo : Sic auxit et multiplicavit eos : et tunc « *convertit cor eorum,* » scilicet Ægyptiorum, « *ut odirent populum ejus.* » Et intellige sane : *Convertit,* non malitiam immittendo, sed permittendo, gratiam non infundendo, ut resipiscerent. Exod. I, 13 : *Oderant filios Israel Ægyptii.*

Ægyptii Hebræis invidiam habuerunt sævissimam.

« *Et dolum facerent,* » cordis malitiam exsequendo, « *in servos ejus,* » calumniando. Isa, LII, 4 : *In Ægyptum descendit populus meus, et Assur absque ulla causa calumniatus est eum.* Nonne etiam magnus dolus fuit, quod præceperunt, Exod. I, 16 : *Si masculus fuerit, interficite : si fœmina, reservate* ? Ecce quod ex illorum felicitate crescebat illorum invidia, et deteriores fiebant. Versus :

Invidus alterius opibus marcescit opimis.

Placuit Abel Deo, et invidus Cain inde magis factus est macilentus [2]. Sic fratres Joseph ex ipsius bonitate. Sic Ægyptii ad profectum Judæorum, Judæi ad profectum Christi.

« *Misit Moysen.* » Hic tangit quartum beneficium, quod est liberatio filiorum Israel de Ægypto per Moysen : et dicuntur 26

[1] Cf. Judicum, XV et XVI.

[2] Cf. Genes. IV, 5 et seq.

quatuor. Primo, quorum ministerio facta sit liberatio. Secundo, per quæ facta est liberatio, scilicet per plagas et flagella, ibi, ỷ. 28 : « *Misit tenebras.* » Tertio, modus liberationis, talibus ministris, et per talia, ibi, ỷ. 37 : « *Et eduxit eos.* » Quartum, quod secutum est in inimicis ex tali liberatione, ibi, ỷ. 38 : « *Lætata est Ægyptus.* »

In prima dicuntur duo. Primo, missio illorum per quos facta est liberatio. Secundo, mittentis intentio, ibi, ỷ. 27 : « *Posuit in eis.* »

In prima duo. Primo, missio Moysi tamquam primi et principalis. Secundo, associatio Aaron ipsi Moysi, ibi, « *Aaron.* »

Dicit ergo : Sic multiplicati sunt in Ægypto, et afflicti, et Dominus ad liberandum eos « *misit Moysen,* » vere misit. Exod. III, 14 : *Qui est, misit me ad vos.* Et vere : quia ex toto mundo ipsum elegit ut mitteret. Eccli. XLV, 4 : *Elegit eum ex omni carne.*

« *Et Aaron.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic Moysen misit, sed forte non socium suum : imo et misit « *Aaron ipsum quem elegit.* » Et si forte suffecisset dixisse : *Misit Aaron quem elegit,* magis expressit addens pronomen discretivum, *ipsum.* Exod. IV, 14 et 15 : *Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit : ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus.* Eccli. XLV, 20 : *Ipsum elegit,* scilicet Aaron, *ab omni vivente, offerre sacrificium Deo,* etc.

Qui eligendi ut educant populum de Ægypto ?

Per Moysen, qui interpretatur *nutritus in aquis,* eruditus et nutritus in aquis Scripturarum, imo qui sit fons. Proverb. V, 16 : *Deriventur fontes tui foras.* Et quod sic fuerit, I ad Corinth. IX, 19 : *Cum essem liber in omnibus, omnium me servum feci.* Item, quod Dei servus, ut gloriam Dei quærat, non suam. Isa. XLII, 12 : *Laudem ejus,* Dei scilicet, non suam, *in insulis nuntiabunt.* Per Aaron, qui interpretatur *montanus,* in vita altus. Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu, qui evangelizas Jerusalem.* Et, XLII, 11 : *De vertice montium clamabunt.* Item, a Deo electus. Deuter. XVII, 15 : *Eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Hi debent eligi ed educendum populum Dei de Ægypto. Supra, in Psal. LXVIII, 6 : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.*

« *Posuit in eis.* » Hic secundum hujus particulæ, scilicet ad quid misit, scilicet 27
ad duo. Primo, ad nuntiandum minora Dei miracula, quæ significantur per signa. Secundo, majora, quæ significantur per prodigia, ibi, « *Et prodigiorum.* »

Dicit ergo : Sic misit tales, « *et posuit,* » tamquam mittens ad hoc, « *verba signorum suorum,* » minorum mirabilium, « *in eis,* » ut ipsa prædicerent Pharaoni, et verbo implerent : « *et,* » etiam verba « *prodigiorum suorum,* » supple, fiendorum, « *in terra Cham.* » Exod. VII, 9 : *Cum dixerit vobis Pharao : Ostendite signa : dices ad Aaron : Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone.* Et rursus, VII, 3 : *Multiplicabo signa,* quantum ad minora, *et ostenta,* quantum ad majora, *in terra Ægypti. Verba* dicit, quia ipsa facta erant verba, quia signantia.

« *Misit tenebras.* » Hic secundum, in 28
quo ostendit, per quæ facta est ab illis liberatio, scilicet signa, et portenta, quæ tangit ad illorum liberationem facta. Primo ergo tanguntur signa tenebrarum : et dicuntur tria. Primo, tenebrarum immissio. Secundo, effectus consequens ex immissis, ibi, « *Et obscuravit.* » Tertio, quædam tantæ plagæ conditio, secundum unam lecturam, vel ipsorum afflictorum per illam plagam, vel ministrorum Dei ad infligendum plagam secundum diversas litteras, ibi, « *Et non exacerbavit.* »

Dicit ergo : Sic misit Moysen, et Aaron : et per eos « *misit tenebras,* » super terram Ægypti densissimas. Exod. x, 21 : *Extende manum tuam in cœlum, et sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, ut palpari queant.*

« *Et obscuravit,* » id est, obscuritatem immisit : hoc consequens est, et effectus tenebrarum. Et hoc verum. Tanta enim facta est obscuritas, sicut ibi legitur, quod tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat [1].

« *Et non exacerbavit.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic immisit tenebras, et secuta est obscuritas. « *Et* » tamen Deus « *non exacerbavit,* » hanc miseriam immittendo, « *sermones suos,* » id est, in hoc non fuit tam acerbus, sicut in aliis quibusdam plagis : nec fuit in hoc consummatio : major enim plaga fuit mors primogenitorum, quæ secuta est istam. Vel secundum aliam litteram : « Et exacerbaverunt, » Ægyptii scilicet, promittendo quod dimitterent populum, et non complendo, « sermones ejus, » Dei scilicet.

Prima miseria reproborum, cæcitas mentis.

Spiritualiter autem hæc est prima miseria reproborum, immissio tenebrarum in corda eorum. Genes. I, 2 : *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Job, III, 23 : *Circumdedit eum Deus tenebris.* Et ex hoc surgit horribilis obscuritas in corde hominis. Ad Ephes. IV, 18 : *Tenebris obscuratum habentes intellectum.* Et tamen adhuc restat afflictio. Isa. V, 25 et IX, 12 : *Et adhuc manus ejus extenta.* Vel, secundum aliam litteram, excæcati, et obscurati peccatores reprobi, tunc magis exacerbant Deum. Psal. X secundum Hebræos, 4 : *Exacerbavit Dominum peccator.*

29 « *Convertit aquas.* » Hic tangit secundum signum, vel portentum : in quo dicuntur duo. Primo, aquarum conversio in sanguinem. Secundo, effectus sequens ex conversione, scilicet mors piscium, ibi, « *Et occidit.* »

Ait ergo : « *Convertit aquas eorum,* » Ægyptiorum scilicet, « *in sanguinem.* » Supra, in Psal. LXXVII, 44 : *Convertit in sanguinem flumina eorum.* Exod. VII, 20, aquæ conversæ sunt in sanguinem [2]. « *Et occidit pisces eorum.* » Quomodo enim vivere possent in sanguine ? Exod. VII, 21, pisces mortui sunt in aquis : verum est in sanguinem conversis.

Spiritualiter autem per aquas sapientia designatur, quæ potat animam. Eccli. XV, 13 : *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Et exstinguit ardorem peccati. Eccli. III, 33 : *Ignem ardentem exstinguit aqua.* Sed hanc reprobi excæcati in sanguinem convertunt, in mundanam scilicet sapientiam, vel carnalem. Sapientia enim mundi contentiosa est, et sapientia carnis immunda : utraque sanguis. Prima corrumpit caput animæ intellectum. Secunda affectum, qui est quasi cor, et medium in anima. Isa. I, 5 : *Omne caput languidum, et omne cor mærens.* Et tunc moriuntur pisces, homines curiosi et luxuriosi, de quibus, Habac. I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris.* Quippe in sanguine non est vita piscis, sed in aqua. Isa. L, 2 : *Computrescent pisces sine aqua, et morientur in siti.* Sapientia autem Dei contraria est : quia et munda, et pacifica. Jacob. III, 17 : *Sapientia quæ desursum est, primum quidem pudica est,* contra immunditiam : *deinde vero pacifica,* contra tumultuositatem.

Sapientia mundi et carnis contraria est sapientiæ Dei.

30 « *Et dedit* [3] *terra eorum ranas.* » Hic est tertium signum, ranarum procreatio. Duo ergo dicuntur. Primo, ranarum multiplicatio. Secundo, vehementia mul-

[1] Cf. Exod. x, 22 et 23.

[2] Exod. VII, 20 et 21 : *Elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt.*

[3] Vulg. habet, *Edidit terra eorum ranas.*

tiplicationis, vel infestatio Ægyptiorum per multiplicatas, ibi, « *In penetralibus.* »

Ait enim : Sic aquas in sanguinem convertit, « *et dedit,* » post hoc, « *terra eorum ranas.* » Vel secundum aliam litteram : « Dedit terram eorum in ranas. »

« *In penetralibus,* » in caminis scilicet et cubiculis « *regum ipsorum.* » Exod. VIII, 3 : *Ascendent*, scilicet ranæ, *et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectuli tui.*

Advocati ranis comparati. Post conversionem veræ sapientiæ in mundanam et carnalem, sequitur ranarum multiplicatio, advocatorum garrulorum. Apocal. XVI, 13 : *Vidi de ore draconis,* dæmonis scilicet, *et de ore pseudoprophetæ*, diaboli longam vitam et divitias promittentis, *spiritus tres immundos*, malos scilicet advocatos, qui auferunt scilicet rem et corpus et famam, *in modum ranarum* garrientium, et ascendunt usque ad cubicula regum : magnis enim sunt familiares. Psal. LXXVII, 45 : *Misit* in eos *ranam, et disperdidit eos.*

32 « *Dixit, et venit.* » Hic quartum signum, scilicet immissio muscarum in abundantia. Primo ergo tangit muscarum procreationem. Secundo, creatarum, vel immissarum abundantiam, ibi, « *In omnibus.* »

Et primo, tangitur immissio majorum. Secundo, minorum, ibi, « *Et sciniphes.* »

Dicit enim : Dixit et fecit prædicta, et post hæc, « *dixit* » per Moysen, servum suum, qui etiam ab æterno hoc dixerat, in æterno Filio suo sic fiendum ordinaverat. « *Et venit cynomyia,* » major musca, « *et sciniphes,* » minores et subtiliores. Et non parum, imo sic factum est « *in omnibus finibus eorum.* » Exod. VIII, 17 : *Facti sunt sciniphes in hominibus, et in jumentis*, et venit musca gravissima in domum Pharaonis, et servorum ejus.

Spiritualiter autem post ranarum multitudinem, bene sequitur de muscis, quia per illas generantur sollicitudines, animam atrociter pungentes. Gregorius : « Israel recepit sabbatum immune, id « est, quietem mentis et tranquillitatem : « Ægyptus autem percussa est musca- « rum, id est, sollicitudinum pungentium « multitudine. » Propter hoc dicitur, Matth. VI, 23 : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini* [1]. Quasi diceret : Abjicite muscas. Ipse enim non Beelzebuth, deus muscarum.

« *Posuit pluvias.* » Hic est quintum signum et portentum, scilicet immissio grandinis, igne admixto : unde tanguntur duo. Primo, immissio grandinis cum igne. Secundo, effectus sequens ex immissione, ibi, ℣. 33 : « *Et percussit.* »

In prima duo. Primo, grandinis immissio in maxima quantitate. Secundo, ignis admixtio, ibi, « *Ignem comburentem.* »

Dicit ergo : Sic multiplicatam misit muscam, et etiam « *posuit pluvias eorum,* » quibus deberent terrænascentia foveri et nutriri, « *grandinem,* » totum destruentem. Exod. IX, 23 : *Pluit Dominus grandinem.* « *Ignem comburentem,* » omnia ligna, quæ grando destruere non poterat, repete, posuit « *in terra eorum.* » Exod. IX, 24 : *Et grando et ignis mista pariter ferebantur.*

Spiritualiter autem, post sollicitudines mordentes et pungitivas, sequitur grando litium, ignis invidiæ et cupiditatis divitiarum. Sapient. XVI, 16 : *Per fortitudinem brachii tui flagellati sunt aquis nivis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi, et per ignem consumpti.* Certe plures hodie litibus, quæ sunt grando, occiduntur in malo, quam occidantur verbo Dei in bono. Josue, X, 11 : *Mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos filii Israel occiderant*

[1] Cf. Luc. XII, 22, et I Petr. V, 7.

gladio. Et ignis ligna fortissima, scilicet mentes religiosorum, consumit. Joel, I, 19: *Ignis*, cupiditatis scilicet, *comedit speciosa deserti*.

33 « *Et percussit vineas.* » Hic secundum, scilicet effectus grandinis et ignis, scilicet destructio arborum. Et primo, tangitur de quibusdam specialiter. Secundo, de omnibus generaliter, ibi, « *Et contrivit.* »

In prima duo, secundum duo genera quæ tangit, vineam scilicet, et ficulneam.

Ait enim: Sic immisit grandinem et ignem. Et quid occidit? « *Percussit vineas eorum*, » ad litteram, « *et ficulneas eorum* » similiter. « *Et* » breviter, « *contrivit* omne *lignum finium eorum.* » Exod. IX, 25: *Omne lignum regionis confregit*.

Per vineam Doctores, de quibus debet elici potus vitæ inebrians animas. Per ficulneam Prælati, qui sua dulcedine debent minores reficere, et sub umbra foliorum refrigerare. Judicum, IX, 10 et seq., de vite et ficulnea. Sed vinea ardet frequenter igne ambitionis et superbiæ. Jerem. XI, 16: *Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea*. Et ficus aret sine fructu, habens tantum folia, et propter hoc maledicta. Luc. XIII, 7: *Succide illam: ut quid etiam terram occupat* [1]? Habac. III, 17: *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis*. Per *ligna finium*, boni subditi et fortes: sed hæc omnia litibus, et cupiditatis igne destruuntur, juxta illud Joel, I, 12: *Vinea confusa est, et ficus elanguit: malogranatum, et palma, et malum, et omnia ligna agri aruerunt*.

34 « *Dixit, et venit locusta.* » Hic sextum signum, scilicet de locustarum immissione, ad consumendum penitus, si aliquid viride germinasset: et dicuntur tria. Primo, causa illius plagæ, scilicet immissionis locustarum. Secundo, immissio illorum, ibi, « *Et venit locusta.* » Tertio, effectus sequens ex immissione illa, ibi, ℣. 35: « *Et comedit.* »

Dicit ergo: Hæc promissa fecit, et etiam « *dixit.* » Expone, ut prius.

« *Et venit.* » Hic secundum, in quo tangitur primo immissio locustæ. Et secundo, immissarum infinita multiplicatio, ibi, « *Cujus non erat.* »

Et in primo tangitur immissio secundum duplicem statum locustæ; quædam enim salit, quæ proprie est *locusta*: quædam residet, quæ est *bruchus*. Salit quando jam crevit, sed residet adhuc parva.

Ait ergo: « *Et venit*, » per dictionem illam, « *locusta*, » quæ salit de loco ad locum, et major est: « *et bruchus*, » parva locusta adhuc, quæ residet: « *cujus*, » locustæ et bruchi, « *non erat numerus*, » apud homines, etsi apud Deum. Exod. X, 12: *Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, et devoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini*.

« *Et comedit.* » Hic secundum, scilicet effectus sequens ex hac locustarum et bruchorum immissione: et tangitur duplex. Primo, destructio cibi jumentorum. Secundo, hominum, ibi, « *Et comedit omnem fructum.* » 35

Dicit ergo: Sic misit locustam, et bruchum, « *et comedit*, » locusta et bruchus, « *omne fœnum in terra eorum*, » ut cibus jumentis deficeret.

« *Et comedit omnem fructum*, » tam arborum, quam ipsas segetes, « *terræ eorum*, » ut homo quid comederet, non haberet. Exod. X, 15: *Nihil omnino virens relictum est in lignis et in herbis terræ*. Et iterum, in eodem: *Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat*.

[1] Cf. Matth. XXI, 19.

Per *locustam* quæ sursum salit, significatur præsumptio, quæ elevatur in altum. Per *bruchum*, qui residet quasi nihil mali faciens, hypocrisis. Et bene bruchus fit locusta, quia omnis hypocrita præsumptuosus. Hæc ergo duo vitia, *omne fœnum*, opera bona misericordiæ scilicet, et pietatis, quibus pascuntur minores, *et omnem fructum*, solidiora perfectionis opera devastant. Judicum, VI, 3 et 4 : *Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, cæterique Orientalium nationum*, hoc est, multitudo dæmonum, *et apud eos figentes tentoria*, tamquam manentes, *sicut erant in herbis, cuncta vastabant*, et præsumptionem et hypocrisim suadentes.

Omnis hypocrita præsumptuosus.

36 « *Et percussit omne primogenitum.* » Hic signum septimum, quod fuit immissio mortis primogenitorum, tam in hominibus quam in jumentis. Et secundum hoc dicuntur duo. Primo, occisio primogenitorum in hominibus. Secundo, in jumentis, ibi, « *Primitias.* »

Ait ergo : Sic omnia terrænascentia sunt occisa. « *Et* » tandem « *percussit omne primogenitum,* » supple, in hominibus, « *in terra eorum,* » Ægyptiorum scilicet, non Hebræorum.

« *Primitias.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Percussit morte primogenita hominum, et etiam « *primitias,* » primogenita scilicet, « *omnis laboris eorum,* » hoc est, ad omnem valentes laborem : et sic intelliguntur primogenita pecorum. Exod. XI, 5 : *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum.*

Ecce spiritualiter consummatio injustitiæ. Post præsumptionem enim et hypocrisim sequitur odium, et invidiæ peccatum, quæ destruunt primogenitum omnis boni, charitatem scilicet, et auferunt primitias præcipuas, optimas operationes nostras, ut omnino nihil nobis prosint. I ad Corinth. XIII, 3 : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero*, quæ per peccatum odii et invidiæ fugatur, et occiditur quodammodo, *nihil mihi prodest.*

Et nota, quod sunt primitiæ innocentiæ, sancti scilicet innocentes, de quibus Apocal. XIV, 4 : *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et Agno.* Et sunt primitiæ gratiæ, scilicet charitas, et spiritus dilectionis. Ad Roman. VIII, 23 : *Nos ipsi primitias spiritus habentes... intra nos gemimus.* Et sunt primitiæ gloriosæ resurrectionis, scilicet Christus. I ad Corinth. XV, 20 : *Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium*, supple, resurgentium. Et sunt primitiæ laboris et operationis bonæ, scilicet meliorum virtutum opera. De his potest intelligi quod hic dicitur. Eccli. XXXV, 10 : *Non minuas primitias manuum tuarum.*

« *Et eduxit nos.* » Hic tertium, in quo postquam ostendit per quos facta sit eductio, et per quæ, hic tertio ostendit quis sit educendi modus : et ostenditur in duobus. In divitiarum multiplicatione, et corporum sanitate, ibi, « *Et non erat.* » Divites enim et sani ingressi sunt. 37

Ait ergo : Sic Moysen et Aaron misit, per ipsos talia et tanta mirabilia fecit : « *et* » post « *eduxit eos,* » de Ægypto, « *cum argento et auro,* » ab Ægyptiis petito et obtento. De hoc, Exod. XII, 35 et 36, quomodo postulaverunt ab Ægyptiis vasa aurea et argentea, et illi dederunt, et cum his recesserunt.

In hoc autem ostenditur qualiter Dominus suos de mundo ejicit, divites scilicet in auro divinæ sapientiæ, et argento promptæ eloquentiæ. De quorum utroque, Job, XXVIII, 1 : *Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur.* Genes. XIII, 1 et 2 : *Ascendit Abram de Ægypto,.. dives valde in possessione auri et argenti.* Quæ etiam quodammodo ab Ægyp-

Infideles Philosophi eloquentiæ injusti possessores.

tiis, Philosophis scilicet infidelibus extorquenda sunt, et rapienda. Augustinus in libro de *Doctrina Christiana :* « Philosophi si forte aliqua vera dixerunt « fidei nostræ accommoda, formidanda « non sunt, sed ab ipsis, tamquam ab « injustis possessoribus sunt in usum « nostrum vindicanda, sicut aurum ab « Ægyptiis in meliorem usum sibi vindi« caverunt filii Israel[1]. »

« *Et non erat.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic exierunt locupletes : et etiam sani, quia « *non erat in tribubus eorum infirmus.* » Deuteron. VII, 15 : *Auferet Dominus a te omnem languorem, et infirmitates Ægypti pessimas.* Sic non tantum divites in sapientia et eloquentia, sed fortes in virtute et sanos suos educit Dominus. Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.*

38 « *Lætata est Ægyptus.* » Hic quartum totius hujus partis, in qua agitur de beneficio in ipsorum liberatione de Ægypto. Postquam enim ostendit per quos egressi sunt, et per quæ, et quomodo, ostendit quid secutum sit in illis a quibus recesserunt, quia lætitia : et tanguntur duo. Quia lætitia primo, et secundo causa lætitiæ,ibi, « *Quia incubuit.* »

Dicit ergo : Sic exierunt de Ægypto, et tunc « *lætata est Ægyptus.* » Metonymia, continens pro contento, id est, Ægyptii, « *in profectione illorum,* » scilicet filiorum Israel. Et statim addit, quare lætati sunt : « *quia incubuit timor eorum,* » scilicet filiorum Israel, « *super eos,* » scilicet Ægyptios, id est, eos totos arctavit sicut rete. Exod. XII, 33 : *Urgebant Ægyptii populum,* scilicet filios Israel, *de terra exire velociter, dicentes : Omnes moriemur.* Hoc etiam posset dici de illis qui remanserunt, aliis submersis, quando persequebantur. Cassiodorus : « Qui in Ægypto remanse« runt, omnino lætati sunt : quia similia « minime pertulerunt. » Sic mali remotis vel mortuis bonis, vel corporaliter, vel spiritualiter, sicut quando intrant claustra, lætantur. Primo, quia timent eorum societatem. Isa. XIX, 17 : *Erit terra Juda Ægypto in pavorem.* Item, eos oneri habent, tamquam grave pondus. Eccli. XIII, 2 : *Pondus super se tollet qui honestiori se communicat.* Zachar. XII, 3 : *Et erit : in die illa ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis.* Item, quia eos etiam videre vix sustinent. Sapient. II, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.* I Reg. XVIII, 9 : *Non rectis oculis Saul adspiciebat David a die illa, et deinceps.* Gregorius : « Tenebræ, id est, mali, non possunt vi« dere lumen, id est, bonos. » Item, quia se nihil ab illi reputari vident, et volunt reputari aliquid. Sapient. II, 16 : *Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis.* Job, XVIII, 3 : *Quare reputati sumus ut jumenta, et sorduimus coram te?* Item, quia juxta tales magis apparent : quia opposita juxta se posita, magis elucescunt. Joan. III, 20 : *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Item, quia boni eos arguendo fortiter mordent. Sapient. II, 12 : *Improperat nobis peccata legis.* Propter hoc fugavit Jezabel Eliam[2] : et Herodes decollavit Joannem[3]. Item, quia malos rumores eis apportant, scilicet de morte æterna. III Reg. XXII, 8, dixit Achaz de Michæa : *Ego odi eum :* non curo de sua societate, *quia non prophetat mihi bonum.* Ultimo, quia impedimento eis sunt ad faciendum malum. Judicum, I, 34 : *Arctavit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent.*

Mali lætantur absentia bonorum.

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. II de doctrina Christiana.

[2] Cf. III Reg. XIX, 1 et seq.

[3] Cf. Matth. XIV, 3 et seq.

39 « *Expandit nubem.* » Hic tangitur beneficium quintum, scilicet populi sustentatio in deserto post egressum : et dicuntur duo. Primo, sustentatio populi in deserto, quantum ad id quod est exterius necessarium, sicut domus et ductor. Secundo, quantum ad id quod interius, sicut est alimentum, ibi, ℣. 40 : « *Petierunt, et venit.* »

In prima duo. Primo, beneficium protegentis loco domus. Secundo, ducentis loco viæ, quæ non erat in deserto, ibi, « *Et ignem.* »

Dicit ergo : Sic educti sunt, et post ipsis in desertum transductis, « *expandit nubem,* » ad litteram, « *in protectionem eorum,* » ab ardore solis in die, et tenebris in nocte. Exod. XIII, 22 : *Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* « *Et ignem,* » repete, expandit, « *ut luceret eis per noctem.* » Cassiodorus : « Nubes « data est, ut solis temperaret ardorem : « ignis concessus est, ut tenebrarum « posset auferre caliginem. »

Spiritualiter autem, nubes est Christi caro. Isa. XIX, 1 : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem.* Hæc fuit expansa in cruce. Isa. LXV, 2 : *Expandi manus meas tota die.* Ignis autem Spiritus sanctus est. Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram.* Primum datum est ad refrigerandum voluntatem contra ardores malos : secundum, ad illuminandum intellectum contra hæreticos errores. De utroque, II Esdræ, IX, 12 : *In columna nubis ductor eorum fuisti per diem, et in columna ignis per noctem, ut appareret eis via per quam ingrediebantur.* Isa. IV, 5 : *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, et ubi invocatus est, nubem per diem, et fumum, et splendorem ignis flammantis in nocte.*

40 « *Petierunt, et venit coturnix.* » Hic secundum beneficium, scilicet sustentatio, quantum ad id quod est interius. Et primo, quantum ad cibum. Secundo, quoad potum, ibi, ℣. 41 : « *Dirupit petram.* »

In prima duo. Primo, collatio cibi ad tempus. Secundo, continuatio quamdiu essent in deserto, ibi, « *Et pane cœli.* »

Dicit ergo : Sic protexit ab exterioribus molestiis, et etiam « *petierunt,* » supple, carnes[1] : « *et venit coturnix* » in abundantia maxima. Nec sunt coturnices, sicut quidam æstimant, et superius dictum fuit, sed aves quædam regales habentes carnes saporis optimi. Numer. XI, 31 : *Ventus egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, et dimisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum.*

« *Et pane cœli,* » manhu scilicet, quod duravit eis per totum tempus, quo fuerunt in deserto, « *saturavit eos*[2]. » Psal. LXXVII, 24 : *Pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis.* Exod. XVI, 12 : *Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus.* Spiritualiter autem, hic cibus est caro Christi : ipsa enim est cibus. Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus.* Sed caro propter delectationem, et panis propter necessitatem. In eodem, ℣℣. 41 et 51 : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo.* Sapient. XVI, 20 : *Panem de cœlo præstitisti illis.*

« *Dirupit petram.* » Hic secundum, scilicet protectio, quantum ad interius necessarium, scilicet potum : et dicuntur duo. Primo, aquarum collatio. Secundo, abundantia collatarum, ibi, « *Abierunt in sicco.* » 41

Dicit ergo : Sic cibum dedit, et etiam propter eos, « *dirupit petram,* » non ad ædificandum, imo « *et fluxerunt aquæ.* » Supra, in alio Psal. LXXVII, 16 : *Et edu-*

[1] Cf. Exod. XVI, 2 et seq.

[2] Cf. Exod. XVI, 4 et seq.

xit aquam de petra, et deduxit tamquam flumina aquas.

« *Abierunt.* » Ecce secundum, scilicet abundantia potus. Quasi diceret : Sic eduxit aquam de petra : « *et abierunt,* » præ abundantia, « *flumina in sicco.* » Numer. xx, 11 : *Cum elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet, et jumenta.*

Christus, spiritualis petra quæ vitales aquas emanat.

Spiritualiter autem petra Christus est. I ad Corinth. x, 4 : *Petra autem erat Christus.* Hæc propinat potum de seipsa, sicut et se dedit in cibum. Sapient. xi, 4 : *Sitierunt, et invocaverunt te : et data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro.* Sed non nisi de percussa petra in cruce, propter populi sui scelera. Isa. liii, 8 : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Et Joan. xix, 34, dicitur, quod *continuo exivit sanguis et aqua.* Aqua ad abluendum, sanguis ad redimendum. Duo ergo, sicut hic tangitur, data sunt de petra hac, et duo alia. Deuteron. xxxii, 13 : *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Sanguis redimit, aqua lavat, oleum sanat, et mel reficit.

42 « *Quoniam memor.* » Hic ultimum beneficium, scilicet introductio in terram promissionis : et dicuntur tria. Primo, motiva ratio ad conferendam illis terram istam. Secundo, eductio illorum de deserto, ibi, ℣. 43 : « *Et eduxit.* » Tertio, terræ collatio, ibi, ℣. 45 : « *Ut custodiant.* »

In prima duo tanguntur. Primo, promissi memoria et recordatio. Secundo, ad quos facta fuerit illa promissio, ibi, « *Quod habuit.* »

Dicit ergo : Hæc bona quæ præmisi, fecit, etiam « *memor fuit* » (loquitur per figuram *anthropopatos*, ipse enim nullius rei obliviscitur) « *verbi,* » veri, « *sancti sui,* » Angeli boni, « *quod habuit,* » non ad quemlibet, sed « *ad Abraham, puerum suum.* » Hic est verbum illud Genes. xii, 7 : *Semini tuo dabo terram hanc* [1]. Genes. ix, 15 : *Recordabor fœderis mei vobiscum.* Psal. cxviii, 49 : *Memor esto verbi tui servo tuo.* Et, Psal. xcvii, 3 : *Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel* [2]. Dominus enim semper recordatur electorum suorum, etsi videatur ad tempus eos tradere oblivioni. Isa. xlix, 14 et 15 : *Et dixit Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* Job, iv, 7 : *Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt?*

« *Et eduxit populum suum.* » Hic secundum, scilicet eductio populi de deserto : et dicuntur duo secundum modum duplicem educendi eos. Primo, quia cum lætitia exteriori, quæ est proprie *exsultatio*. Secundo, cum interiori, quæ est proprie *lætitia*, ibi, « *Et electos.* » 43

Dicit ergo : Sic memor fuit promissi : « *et eduxit populum suum,* » filios Abraham, de deserto, « *in exsultatione,* » exteriori hilaritate : « *et electos suos,* » eumdem populum. Deuter, x, 15 : *Patribus tuis conglutinatus est Dominus, et amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus.* « *In lætitia* » interiori. Hæc erat petitio Moysi, Numer. xxvii, 16 et 17 : *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc : et possit exire et intrare ante eos, et educere eos* de deserto, *vel introducere* in terram promissam, *ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.* Populus Dei egreditur et educitur a Deo de mundo in exsultatione et lætitia. Isa. lv,

[1] Cf. etiam Genes. xiii, 15, xv, 18 et xxvi, 4.

[2] Cf. Luc. i, 54.

12 : *In lætitia egrediemini.* Quippe educuntur de labore ad quietem, de paupertate ad æternam hæreditatem, de vilitate ad summam gloriam. Isa. LXV, 9 : *Educam de Jacob semen, et de Juda possidentem montes meos : et hæreditabunt eam,* scilicet terram viventium, *electi mei, et servi mei habitabunt ibi.*

44 « *Et dedit illis.* » Hic tertium hujus partis. Postquam enim præmisit rationem et motivum conferendi illis terram, et supposuit illorum eductionem de deserto, subjungitur collatio terræ Palæstinæ : unde duo dicuntur. Primo, collatio immobilium, scilicet terræ ipsius. Secundo, mobilium, ibi, « *Et labores.* »

Dicit ergo : Sic eduxit eos, « *et* » post « *dedit illis regiones Gentium.* » Josue, I, 2 et 3 : *Surge, et transi Jordanem istum tu, et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel. Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.*

Clerici possident divitias sanctorum laboribus acquisitas.

« *Et labores.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic regiones dedit, « *et,* » etiam « *possederunt labores populorum,* » id est, divitias, et mobilia. Cassiodorus : « Quod dixit, *regiones Gen-* « *tium,* ad possessionem videtur perti- « nere terrarum : *labores* vero *populorum,* « ad divitias longo tempore congregatas. » De utroque, Deuter. VI, 10 et 11 : *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram pro qua juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, et dederit tibi civitates magnas et optimas, quas non ædificasti, domos plenas cunctarum opum,... cave,* etc. Josue, XXIV, 13 : *Dedi vobis terram, in qua non laborastis, et urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis : vineas et oliveta, quæ non plantastis.* Sic ad litteram : terram Ecclesiæ et divitias Ecclesiarum, laboribus sanctorum et eorum passionibus acquisitas, dat Deus modo multis. Joan. IV, 38 : *Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* Infra, in Psal. CV, 24 : *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Amos, VI, 2, dicitur eis, clericis scilicet : *Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum : si latior terminus eorum termino vestro est.* Sed timeant : labores aliorum possident non suos, non enim laborant, quia supra, in Psal. LXXII, 5 : *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur,* sed cum dæmonibus, dicit Bernardus.

« *Ut custodiant.* » Hic est quartum, ad quid illis contulit, quia ad duo : ad custodiam mandatorum aperte ad justitiam pertinentium, qualia sunt decem moralia : et ad inquisitionem figuralium, ut sensum spiritualibus inquirant, et impleant, ibi, « *Et legem.* » 45

Cur bona temporalia dantur clericis?

Ait enim : Hæc dedit illis. Ad quid ? « *Ut custodiant justificationes :* » non enim ut in datis temporalibus finem ponerent. *Justificationes* autem dicit præcepta aperte justitiam continentia. « *Et legem ejus,* » cæremonialium scilicet, « *exquirant,* » diligenter spiritualem intellectum scrutando. De his duobus dicebat ipse David, infra, in Psal. CXVIII, 33 : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.* Sic promiserunt quando receperunt legem, quod ipsam custodirent. Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes* [1]. Et, Josue, XXIV, 24 : *Domino Deo nostro serviemus, et obedientes erimus præceptis ejus.* Sic certe clericis dantur multo fortiori ratione bona Ecclesiastica, ut ipsi justificationes Dei custodiant, et exquirant legem Domini, non injustitiam : et dicant cum beato Job, XXVII, 5 et 6 : *Donec deficiam, non re-*

[1] Cf. Exod. XIX, 8 : *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.*

cedam ab innocentia mea. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram, donec me introducat in justorum remunerationem. Hic est ordo, ut bona temporalia ad impletionem mandatorum Dei ordinemus, et per impletionem mandatorum ad vitam ingrediamur. Matth. xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Ad quam vitam per mandatorum suorum observantiam, nos perducat qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CV.

Deus ob suam bonitatem laudandus : Judæorum ingratitudo.

Alleluia. (*Judith*, xiii, 21).

1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus [1].
2. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus[2]?
3. Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore.
4. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui : visita nos in salutari tuo :
5. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.
6. Peccavimus cum patribus nostris : injuste egimus, iniquitatem fecimus[3].
7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua : non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

   Et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum.
8. Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.
9. Et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est[4] : et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.
10. Et salvavit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici.
11. Et operuit aqua tribulantes eos : unus ex eis non remansit[5].
12. Et crediderunt verbis ejus, et laudaverunt laudem ejus.
13. Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus : et non sustinuerunt consilium ejus.
14. Et concupierunt concupiscentiam in deserto[6], et tentaverunt Deum in inaquoso.
15. Et dedit eis petitionem ipsorum, et misit saturitatem in animas eorum[7].
16. Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron, sanctum Domini.
17. Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron[8].
18. Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.
19. Et fecerunt vitulum in Horeb[9], et adoraverunt sculptile.
20. Et mutaverunt gloriam suam in

[1] Judith. xiii, 21.
[2] Eccli. xliii, 35.
[3] Judith, vii, 19.
[4] Exod. xiv, 21.
[5] Exod. xiv, 27.
[6] Exod. xvii, 2.
[7] Numer. xi, 31.
[8] Numer. xvi, 32.
[9] Exod. xxxii, 4.

similitudinem vituli comedentis fœnum.

21. Obliti sunt Deum qui salvavit eos, qui feit magnalia in Ægypto,

22. Mirabilia in terra Cham : terribilia in mari Rubro.

23. Et dixit ut disperderet eos : si non Moyses, electus ejus, stetisset in confractione in conspectu ejus[1],

Ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.

24. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem :

Non crediderunt verbo ejus.

25. Et murmuraverunt in tabernaculis suis : non exaudierunt vocem Domini.

26. Et elevavit manum suam super eos ut prosterneret eos in deserto[2],

27. Et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus.

28. Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.

29. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina.

30. Et stetit Phinees, et placavit[3], et cessavit quassatio.

31. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.

32. Et irritaverunt eum ad Aquas contradictionis[4] : et vexatus est Moyses propter eos :

33. Quia exacerbaverunt spiritum ejus, et distinxit in labiis suis.

34. Non disperdiderunt gentes quas dixit Dominus illis :

35. Et commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum :

36. Et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum.

37. Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis.

38. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus :

39. Et contaminata est in operibus eorum, et fornicati sunt in adinventionibus suis.

40. Et iratus est furore Dominus in populum suum : et abominatus est hæreditatem suam.

41. Et tradidit eos in manus gentium : et dominati sunt eorum qui oderunt eos.

42. Et tribulaverunt eos inimici eorum : et humiliati sunt sub manibus eorum :

43. Sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo : et humiliati sunt in iniquitatibus suis.

44. Et vidit cum tribularentur, et audivit orationem eorum.

45. Et memor fuit testamenti sui[5], et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ :

46. Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos.

47. Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus :

Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.

48. Benedictus Dominus, Deus Israel, a sæculo et usque in sæculum : et dicet omnis populus : Fiat! fiat!

[1] Exod. xxxii, 10.
[2] Numer. xiv, 32.
[3] Numer. xxv, 7.
[4] Numer. xx, 10.
[5] Deuter. xxx, 1.

IN PSALMUM CV

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [1]. »

« *Confitemini Domino.* » Hic est Psalmus centesimus quintus in toto libro, in tertia vero parte quintus.

Cum enim egerit in Psalmo pra denti de laude Dei pro beneficiis patr eorum exhibitis, qui electi et justi runt, hic subjungit de laude Dei pro neficiis exhibitis, etiam pessimis et gratis, qui tamen postmodum conv sunt, et pœnituerunt : unde in ti Psalmi secundum Augustinum, est plex *Alleluia* [2], quia duplici ratione dandus monstratur Deus, tum quia neficia sua exhibuit, tum quia etiam gratis, ipsos si pœniteant non abjicie nec pro ingratitudine sua.

[1] Ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, est le premier de ceux que S[t]-Augustin appelle « alleluiatici » parce qu'ils ont pour titre *halelou-iah*. Le livre des Paralipomènes, I, XVI, 34-36, cite de ce psaume le premier et les deux derniers versets. Quelques auteurs en concluent que le morceau tout entier est contemporain de David. « Peut-être fut-il composé au temps « de Samuel, dit Thalhofer, et nous aurions « là le developpement de la confession indiquée « I Reg., VII, 6, seulement *in nuce*. L'ensemble « du texte semble favoriser cette date de com- « position, car le psalmiste dans sa revue his- « torique ne descend pas au delà de la période « des Juges, mais s'arrête aux péchés et aux « châtiments d'Israel à cette époque. Un captif « de Babylone ne pouvait terminer de la sorte « le *confiteor* de la nation. *Qui ceperant eos*, ỳ. 46, « peuvent être les Philistins et d'autres na- « tions voisines, qui à maintes reprises traitè- « rent les Israélites en prisonniers durant la pé- « riode des Juges ; plusieurs pouvaient même « avoir été emmenés en captivité. Leur mise en li- « berté par les idolâtres et surtout la délivrance « de la servitude d'Israel chez les nations voisi- « nes paraît être la *congregatio de nationibus* « du ỳ. 47. Ainsi se doit expliquer également le « passage des Paralipomènes. » Toutes ces raisons sont spécieuses, et il faudrait s'y rendre si la citation du livre historique déterminait absolument la date du psaume. Mais il en est tout autrement. Les rationalistes et même la plupart des protestants, ayant d'après leurs principes toute liberté vis-à-vis du texte, disent tout simplement que l'historien a introduit dans son récit des compositions bien postérieures à la date où il les insère, et que jugeant à propos de citer quelques-uns des chants qui ont servi à la translation de l'Arche, « il in- « troduit de préférence les psaumes qui étaient « surtout en usage de son temps, et qu'on c « tait avec un intérêt spécial. » Hengstenl Il faut bien avouer que le chroniqueur ne point les psaumes en question comme de David, et ne prend même pas soin d' quer formellement qu'ils furent ceux-là n dont le roi confia l'exécution à Asaph et frères. I Paral. XVI, 7. Mais la place où il transcrit dit tout, et quand un historien i rompt le récit d'une cérémonie pour int ler un chant, c'est évidemment que ce ch servi dans l'occasion qu'il rappelle. Noton passant une curieuse conséquence de l des protestants. Comme les Paralipom citent le dernier verset du psaume, et en ce qui n'est autre chose que la doxologi quatrième livre, ils sont forcés de con que le Psautier existait déjà avec ses divi au moment où le livre historique fut com conclusion qui n'est pas sans gêner beau certaines hypothèses aventureuses. Il faut raisonnablement admettre que l'auteur Paralipomènes n'a cité que ce qui chanté au temps de David. En concluer nous avec Thalhofer que tout notre ps est de cette époque ? Rien ne nous y oblig nous n'avons pas ici les mêmes raisons pour les Psaumes XCV et CIV, qui sont in l'un en entier, l'autre en notable partie e citation continue. Les trois versets cités l'historien et reproduits par notre ps peuvent parfaitement être d'antiques form de prière empruntées par le psalmiste. « « teur ne cesse point d'avoir le peuple deva « yeux, et il ne choisit que des expres « capables d'éveiller dans son souvenir ce « connaissait déjà. C'est pourquoi il se « dans son introduction et sa conclusio « paroles employées dans des chants d'un « quent usage. » Schegg. Le *confitemi*

Dividitur autem Psalmus in quatuor partes. Primo, monet ad Dei laudem. Secundo, addit in generali rationem, quare laudandus, ibi. in medio ỳ. 1 : « *Quoniam bonus.* » Tertio, monstratur laudantis cujuscumque insufficientia, ibi, ỳ. 2 : « *Quis loquetur.* » Quarto, probando insufficientiam, specificat causam laudis quam tetigerat in generali, ibi, ỳ. 6 : « *Peccavimus.* »

Dicit ergo : « *Confitemini,* » confessione laudis, « *Domino.* » I Esdræ, III, 11 : *Concinebant in hymnis et confessione Domino.* « *Confitemini* » etiam confessione peccati, et propriæ iniquitatis, quoniam et hæc confessio pertinet ad laudem Dei : qui enim se condemnat et humiliat, Deum laudat et exaltat. Tob. XIII, 8 : Confitemini Domino [2], *peccatores, et facite justitiam*

I Prima pars Psalmi.

chanté également à la dédicace du temple de Salomon, II Paral. v, 13 ; VII, 16. Le *salva nos*, ỳ. 47, n'est pas exclusivement applicable à la captivité de Babylone ; Talhofer en citait plus haut d'autres applications fort plausibles. Remarquons d'ailleurs que s'il en était autrement, Esdras n'aurait évidemment pas intercalé ce verset dans un chant attribué à l'époque de David Quant à la doxologie, si on la compare à celle des autres livres, on y trouve l'addition des mots : *Et dicet omnis populus*, etc., formule qui convient parfaitement à un chant triomphal et populaire, comme celui des Paralipomènes, et que l'auteur de la collection des psaumes n'eût pas imaginée pour clore le quatrième livre, s'il ne l'eût trouvée toute faite et appelée par le verset précédent. En résumé, le psaume est indépendant des trois versets qu'on lit aux Paralipomènes. Rien n'empêcherait à la rigueur de le croire contemporain de David, mais il est beaucoup plus probable qu'il est de l'époque de la captivité. C'est ce qu'admettent, parmi les catholiques, Schegg, Van Steenkiste, Beelen, M. Vigouroux, etc., et tous les auteurs protestants. On ne peut évidemment baser cette opinion sur le ỳ. 47, comme font beaucoup d'auteurs, car alors la présence de ce verset dans les Paralipomènes deviendrait inexplicable ; mais l'idée générale du psaume et les ỳỳ. 4-6, permettent d'arriver à la même conclusion.

Le psaume CV est historique ; il doit donc avoir de grandes analogies avec les Psaumes LXXVII, et CIV. « Il est remarquable que dans « ces grands psaumes historiques on ne trouve « aucune parole, aucun sentiment tendant à « alimenter la vanité nationale. On y confesse « que toute la gloire de l'histoire d'Israël n'est « point due à ses héros, ni à ses prêtres, ni à « ses prophètes, mais à Dieu. » Perowne. Mais le point de vue est différent dans les trois compositions. Dans le psaume LXXVII, Asaph raconte en historien les bienfaits du Seigneur et les fautes de son peuple ; dans le psaume CIV, le psalmiste ne songe qu'à remercier Dieu de ses bienfaits ; dans celui ci. il confesse les péchés du peuple, et il en déclare la génération actuelle solidaire, parce qu'elle a imité les fautes des ancêtres, ỳ. 6, ce qui trahit une époque d'épreuves. « Le psaume, dit Delitzsch « est un psaume de confession, un וִדּוּי, *vidduy*, « (התודה, *hithvaddah*, Levit. XVI, 21.) A cette « sorte de *tefilla* appartiennent en dehors du « psautier la prière de Daniel, IX, et celle de « Néhémie, IX, 5-X, 1, que huit lévites réci- « tèrent au nom du peuple au jour solennel de « pénitence, le 24 tischri. Notre psaume, par sa « nature même, diffère de ces prières qui sont « en prose ; mais il a trois points communs « avec elles et avec les *tefilla* liturgiques (Deu- « ter. XXVI, III Reg, VIII) : 1° la prédilection « pour les flexions rimées, c'est-à-dire, pour « l'assonnance des mêmes suffixes (ỳỳ. 4, 5, 8, « 35 41) ; 2° l'accumulation des synonymes « ỳỳ. 6, 21, 22) ; 3° le développement des pen- « sées en séries tautologiques (ỳỳ. 37, 38). Ces « particularités se trouvent même dans la par- « tie historique. » Dans le psaume LXXVII, Asaph montrait par l'histoire comment le Seigneur avait été amené à substituer la tribu de Juda à celle d'Ephraim dans la direction de son peuple ; ici le psalmiste en reprenant à peu près exactement la donnée de son devancier, veut inspirer une autre conclusion à l'Israélite malheureux : « Existimo, dum auctor « psalmi majores tam sæpe tamque graviter « peccasse ostendit, nec tamen umquam a Deo « derelictos, sed semper numinis clementiam « et benignitatem expertos, velle ipsum exsules, « qui tum erant, in spem libertatis et salutis « erigere, et istis exemplis consolari » De Muis. Ce point de vue du psalmiste, assez difficilement réalisable à l'époque de David, est au contraire parfaitement normal à l'époque de la grande captivité.

[1] In Vulgat. est tantum unum *Alleluia*.

[2] Vulg. habet, Tob. XIII, 8 : *Convertimini itaque, peccatores*, etc.

coram Deo, credentes quod faciet vobiscum misericordiam suam. Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* scilicet peccatum tuum.

Secunda pars Psalmi. « *Quoniam bonus.* » Hic supponit rationem, in generali tamen, divinam scilicet bonitatem, quam ostendit in ipso absolute primo. Secundo, comparatione ad alios, ibi, « *Quoniam in sæculum.* »

Ait enim : Sic confitemini illi confessione laudis, et debetis, « *quoniam bonus,* » essentialiter, et ex se. Lucæ, XVIII, 19 : *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et confitemini confessione peccati : « *Quoniam in sæculum misericordia ejus.* » Bonitas ad creaturam extensa est, ut exhibeat misericordiam. Primo, peccatum dimittendo. Dionysius : « Deus « est bonum substantiale, quod ad omnia « existentia suam extendit bonitatem. » Et, Cassiodorus : « Misericordia, qua « dimittit peccata, est in sæculum, tan« dem ad gloriam perducendo. » Eccli. XVII, 27 : *Glorificaberis in miserationibus illius.* Propter hoc dicit Judith, XIII, 21 : *Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.*

2 « *Quis loquetur.* » Hic tertium, in quo ostendit laudantis insufficientiam : et hoc facit quærendo, et respondendo, et orando. Primo ergo interrogat, si aliquis sit dignus laudare. Secundo, respondet quod sic, scilicet justitiam implens in opere, ibi, ỳ. 3 : « *Beati qui custodiunt.* » Tertio, quia justitiam nullus habet in se, orat ut ei detur justitia, ut possit laudare, ibi, ỳ. 4 : « *Memento nostri.* »

In prima duo secundum duo quæ quærit. Primo, quis sufficiat laudare divinam potentiam. Secundo, dicit effectuum potentiæ generalitatem, ibi, « *Auditas.* »

Ait ergo : Sic monui ut laudetis : sed « *quis* » laudando, confitendo, « *loquetur potentias Domini* [1] *?* » *Potentias* dicit in plurali, propter effectuum diversitatem a potentia exeuntium. Eccli. XVIII, 4 : *Virtutem magnitudinis ejus quis enuntiabit ?* Etiamsi intraverit quis in ipsas potentias, sicut David, qui dicebat : *Introibo in potentias Domini* [2]. Dicitur enim, Eccli. XLIII, 31 et seq. : *Mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantum cumque potueritis, supervalebit enim adhuc :...major enim est omni laude.*

« *Auditas.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic quæsivi quis loquetur potentias ? et quis etiam *faciet auditas,* » aliis enuntiando, « *omnes laudes ejus ?* » id est, omnes operationes, ex quibus laudandus. Eccli. XVIII, 2 : *Quis sufficit enarrare omnia opera illius ?* Pro omnibus enim laudandus est, corde, ore, et opere : imo toto corde, toto ore, et omni opere.

« *Beati qui custodiunt.* » Hic secundum, in quo respondet describens laudatorem a duobus, scilicet a recto judicio rationis, et forti impletione boni operis, ibi, « *Et faciunt.* » 3

Dicit ergo : Sic quæsivi : Quis loquetur, et quis auditas faciet laudes Dei? Respondeo : « *Qui custodiunt,* » interius diligenter perscrutando, « *judicium,* » quid scilicet agendum, quid fugiendum. Psal. LVII, 2, supra : *Recta judicate, filii hominum.*

« *Et faciunt.* » Ecce secundum. « *Justitiam in omni tempore :* » scilicet exsequuntur in opere quod faciendum judicaverunt in mente. Tob. XIV, 11 : *Filiis*

[1] Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox...

[2] Psal. LXX, 15.

vestris mandate ut faciant justitias,... ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore. De utroque, in Psal. CXVIII, 121 : *Feci judicium, et justitiam.* Isa. LVI, 1 : *Custodite judicium, et facite justitiam.* Mich. VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium,* quod est in interiori discretione, et in animi excitatione. Qui tales sunt, « *beati,* » jam beatitudine viæ et spei, post beatificandi beatitudine patriæ, et rei.

Beatus qui recte inter carnem et spiritum judicat.

Et nota, quod beati vere qui custodiunt judicium, recte inter carnem et spiritum judicando post rationes, et allegationes. Spiritus enim allegat adversus carnem, et caro adversus spiritum [1]. Spiritus primo allegat imaginis Dei deformitatem, dicens illud Thren. IV, 8 : *Denigrata est super carbones facies eorum.* Secundo, sterilitatem et confusionem. Ad Roman. VI, 21 : *Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis.* Allegat damnum, et pœnam in præsenti, dicens illud Luc. X, 30 et seq., Descendens in Jericho spoliatus est gratuitis, ecce damnum : et vulneratus in naturalibus, ecce pœna. Et tandem æternam mortem. Ad Roman. VI, 23 : *Stipendia autem peccati, mors,* supple, æterna. Gregorius : « Momentaneum est « quod delectat, æternum quod cruciat. » Habens adjutorem Spiritum sanctum, qui clamat per Scripturam, Eccli. XVIII. 30 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas.* Et per Paulum, ad Roman. XIII, 13 : *Non in comessationibus, et ebrietatibus,* etc.

E contra caro allegat infirmitatem propriam, dicens illud Matth. XXVI, 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et, Job, VI, 12 : *Nec fortitudo lapidum, fortitudo mea.* Allegat timorem defectus, si non comederit satis, et biberit, dicens illud Isa. XXII, 13 : *Comedamus, et bibamus : cras enim moriemur,* supple, si non comedimus. Divinam largitatem, quæ omnia creavit ad hominis necessitatem. Genes. IX, 3 et 4 : *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum,... excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.*

Sed beata ratio quæ recte judicat, et dat pro spiritu justam scientiam, dicens illud Apostoli, ad Roman. VI, 19. *Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Et non judicat Deum, sed seipsam cum carne connumerans judicat contra se, et contra carnem, dicens : Ego sum fatua, tu perversa. I ad Corinth. XI, 31 : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

« *Memento nostri, Domine.* » Hic est 4
tertium, in quo orat, ex quo homo non sufficit, sed judicium et justitia sufficientem faciunt, ut sibi præstetur sufficientia ex qua judicium et justitia. Dicuntur ergo duo. Primo, petitio. Secundo, petitionis ratio, ibi, ỷ. 5 : « *Ad videndum.* »

In prima duo secundum duo quæ solent esse in homine per ordinem. Primo, petit memoriam beneficii promissi, quod est tamquam interius. Secundo, missionem Filii, per quem est judicium et justitia, ibi, « *Visita nos.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, quæsivi, quis sufficit enarrare laudes tuas? Et respondi, quia nonnisi illi qui faciunt judicium et justitiam : et quia hoc a te est, rogo, « *Domine,* » quia potes omnia, « *memento nostri,* » et hoc, « *in beneplacito populi tui,* » hoc est, meritis sanctorum, qui tibi placuerunt. Vel, ut simus « *in beneplacito populi tui,* » id est, populus beneplaceus tibi, hoc est, simus de populo tuo. Psal. CXLVI, 11 : *Beneplacitum est Domino super timentes eum.*

Nec tantum sic recorderis, imo « *visita nos in salutari tuo,* » ut effectu exteriori misericordiam exhibeas, Filium trans-

[1] Ad Galat. V, 17 : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem,* etc.

mittendo, aliter nihil valeret nobis totum. Eccli. xxxiv, 6 : *Cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio*. Et sic factum est quando misit Filium suum : ipse enim veritatem, et verbo, et facto declaravit. Luc. i, 78.: *Visitavit nos oriens ex alto*. Et sic sumus ab omni malo custoditi. Job, x, 12 : *Visitatio tua custodivit spritum meum*. Per salutare suum Christum, de quo Luc. ii, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum*. Genes. xlix, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine*.

Dominus visitat nos multis modis.

Et nota, quod Dominus visitavit nos per Filium, tamquam per comminatorem pœnarum, si non dimiserimus peccata. Isa. xxix, 6 : *A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, et commotione terræ, et voce magna turbinis*. Multa enim ejus tonitrua in Evangeliis leguntur. Visitat etiam puniendo, quando nolumus corrigi. Isa. xxvii, 1 : *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti*. Et, xxiii, 17 : *Visitabit Dominus Tyrum*. Visitat etiam corrigendo, quando non valet simplex comminatio. Amos, iii, 2 : *Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ : idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras*. Psal. lxxxviii, 33 : *Visitabo in virga iniquitates eorum*. Item, sanando ab omni infirmitate, imo suscitando a morte. Luc. vii, 16 : *Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam*. Propter hoc dicebat, Matth. ix, 12 : *Non est opus valentibus medicus*. Sanitatem per disciplinam conservando. Sophon. iii, 7 : *Suscipies disciplinam : et non peribit habitaculum ejus, propter omnia in quibus visitavi eam*. Tandem et ultimo liberando per misericordiam. Sophon. ii, 7 : *Ad vesperam requiescent, quia visitabit eos Dominus Deus eorum, et avertet captivitatem eorum*.

« *Ad videndum*. » Hic secundum, 5
scilicet visitationis finis et ratio, scilicet quare hoc petit, quæ assignatur triplex. Prima, ut Deus videatur in patria per speciem, hic per fidem, quod respicit ad adspectum. Secunda, ad exsultandum in viso, et delectandum, quod respicit ad affectum, ibi, « *Ut lauderis*. »

Dicit ergo : Sic peto ut visites in salutari tuo, et hoc « *ad videndum* » te, nunc per speculum et in ænigmate, et hoc « *in bonitate*, » hoc est, per bonitatem, « *electorum tuorum*, » electis tuis præstitam.

Vel, de visione in futuro potest legi : Sic peto, quod nos in salutari tuo visites, et hoc « *ad videndum* » te per speciem, de qua Tob. xiii, 20 : *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei, ad videndam claritatem Jerusalem*. I Joan. iii, 2 : *Videbimus eum sicuti est*. Et etiam « *ad lætandum* » tandem in te, et per te, et hoc « *in lætitia gentis tuæ*, » id est, in consortio justorum de te lætantium. Isa. lxv, 14 : *Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini : ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis*.

Et etiam ad hoc mitte, « *ut lauderis* » a nobis tamquam existentibus, « *cum hæreditate tua*, » cum Angelis scilicet et sanctis, quæ jam hæreditas tua sunt. Psal. xxxii, 12 : *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi*. Ut sint *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* [1]. Isa. xix, 25 : *Hæreditas mea Israel*, videns Deum.

Cur sancti vocantur electi, gens Dei, et hæreditas?

Et nota, quod sanctos triplici nomine appellat. *Electos*, comparatione ad æternam Dei prædestinationem et electionem. Ad Ephes. i, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. *Gentem Dei*, propter fidei et cultus identitatem. Deuter. iv, 8 : *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem, quam ego*

[1] Ad Roman. viii, 17.

proponam hodie ante oculos vestros. Hæreditatem, propter regni æterni participationem. Psal. II, 8 : *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.*

6 Quarta pars Psalmi. « *Peccavimus cum patribus.* » Hic quartum, in quo specificat beneficia, et descendit ad illa, per quæ Deus est laudandus : et dividitur in duas. Primo, pro ratione laudis ponitur dimissio multitudinis peccatorum quoad culpam. Secundo, petitur ut beneficium compleatur, plena salvatio quoad pœnæ dimissionem plenariam et oblationem, ibi, ℣. 47 : « *Salvos nos fac.* »

In prima duo. Primo, narratio de multitudine peccatorum illius populi. Secundo, dimissio enumeratorum et narratorum, ibi, ℣. 44 : « *Et vidit cum tribularentur.* »

In prima duo, Primo, narrantur peccata eorum in generali. Secundo, in speciali, ibi, ℣. 7 : « *Patres nostri in Ægypto.* »

In prima duo. Primo, in persona peccatoris populi loquens, confitetur se patres in peccato imitatos fuisse. Secundo, quod in utroque peccandi genere, et contra Deum, et contra proximum, ibi, « *Injuste.* »

Dicit ergo : Sic invitavi ad laudem : et dignum est ut laudemus. Vel, ad proximum potest continuari : Sic petis ut visites. Et hoc necessarium, quia « *peccavimus cum patribus nostris,* » ipsos scilicet imitando, « *injuste egimus,* » contra proximum, « *iniquitatem fecimus,* » contra Deum. Idem omnino, Judith, VII, 19. Daniel. IX, 15 : *Peccavimus, iniquitatem fecimus.*

7 « *Patres nostri.* » Hic secundum, in quo enumerat in speciali peccata eorum : et primo, facta in Ægypto, et in exitu de illa. Secundo, facta in deserto, ibi, ℣. 13 : « *Cito fecerunt.* » Tertio, facta in terra promissionis, ibi, ℣. 34 : « *Non disperdiderunt.* »

In prima duo. Primo, enumerat peccata ab ipsis in Ægypto, et in exitu facta. Secundo, aggravat multum narrando Dei beneficia, etiam ingratis exhibita, ibi, ℣. 8 : « *Et salvavit eos.* »

In prima tria. Primo, notatur peccatum eorum, quod respicit intelligentiam, scilicet ignorantia affectata. Secundo, quoad memoriam, ibi, « *Non fuerunt memores.* » Tertio, quoad voluntatem, ibi, « *Et irritaverunt.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quia « *patres nostri in Ægypto,* » existentes, « *non intellexerunt,* » id est, intelligere, et advertere noluerunt, « *mirabilia tua :* » non enim advertebant miseri, quid illa spiritualiter designabant. Psal. LXXXI, 5 : *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Deuter. VII, 18 et 19 : *Recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, et cunctis Ægyptiis, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, et signa atque portenta*, etc. : et non dedit tibi Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures audientes, usque in præsentem diem.

« *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ,* » sed magis illius sunt obliti. II Esdræ, IX, 17 : *Noluerunt audire*, scilicet mandata tua, *et* sic *non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis.* Supra, in Psal. XXVII, 11 : *Obliti sunt beneficiorum ejus, et mirabilium ejus, quæ ostendit eis.*

« *Et irritaverunt.* » Ecce tertium peccatum, scilicet voluntatis. Quoniam sic obliti sunt : « *et* » ipsi « *ascendentes in mare, mare,* » inquam, « *Rubrum,* » quando scilicet exibant de Ægypto, « *irritaverunt* » eum. Hæc irritatio facta est, quando existentes in castris super littus maris, viderunt insequentes Ægyptios. Exod. XIV, 11 : *Et dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos ut moreremur in solitudine.* Sic multi quasi super littus stag-

ni gehennalis, maris Rubri, nihilominus provocant Deum, et irritant jam senes, et prope finem vitæ suæ existentes. III Reg. xiv, 22 : *Irritaverunt eum*, scilicet Dominum, *super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt.* Jerem. xxxii, 30 : *Filii Israel, qui usque nunc exacerbant me in opere manuum suarum.*

8 « *Et salvavit eos.* » Hic secundum, in quo tangitur peccati eorum aggravatio per beneficia eis exhibita a Deo, quæ tanguntur hic : et dicuntur duo. Primo, beneficiorum exhibitorum enumeratio. Secundo, gratiarum actio, et laus beneficii, sed tempore parvo, non cum perseverantia, ibi, ℣. 12 : « *Et crediderunt.* »

In prima duo. Primo, tanguntur beneficia illis exhibita generaliter. Secundo, specificantur, ibi, ℣. 9 : « *Et increpuit mare.* »

In prima duo. Primo, beneficium in generali tangitur. Secundo, ratio beneficii, ibi, « *Propter nomen.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt, « *et,* » tamen « *salvavit eos,* » supple, Dominus, ab Ægyptiis insequentibus, ipsos insequentes in mare submergendo. Exod. xv, 4 et 5 : *Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro. Abyssi operuerunt eos.* Et hoc, « *propter nomen suum,* » manifestandum : unde statim addit :

« *Ut notam faceret potentiam suam.* » Ezech. xx, 44 : *Scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum.* Jerem. xiv, 7 : *Domine, fac propter nomen tuum: quoniam multæ sunt aversiones nostræ.* Propter hoc dicebat Moyses in Cantico, Exod. xv, 6 et 7 : *Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine. ...Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos.* Sic certe Dominus sustinet et salvat a multis malis temporalibus multos malos et peccatores, ut ostendat potentiam suam in patientia, qua scit scilicet pati et sustinere. Ad Roman. ix, 22 : *Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum.* Psal. lxxvi, 15 : *Notam fecisti in populis virtutem tuam.*

« *Et increpuit mare.* » Hic specificat beneficia ad aggravandam eorum culpam : et dicuntur quatuor secundum quatuor beneficia, quæ recolit. Primum est maris divisio. Secundum, populi per siccum deductio, ibi, « *Et deduxit eos.* » Tertium est facto transitu, ab hostibus liberatio, ibi, ℣. 10 : « *Et salvavit eos.* » Quartum est hostium miranda subversio, ibi, ℣. 11 : « *Et operuit aqua.* » 9

In prima tanguntur duo. Primo, jussio divina ipsi mari facta. Secundo, maris festina obedientia, ibi, « *Et exsiccatum est.* »

Increpationem vocat occultum divinitatis imperium.

Dicit ergo : Dixi, quod salvavit, et vere dixi : « *Et increpuit mare,* » id est, mari quasi ipsum increpando præcepit. Nec hoc factum est voce aliqua formata, sed imperio divinæ sapientiæ, quod inditum est creaturæ communi. Augustinus : « Potentiam divinam, qua hoc factum « est, increpationem appellavit. » Nahum, i, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.* Hoc ad litteram [1].

Et hoc est quod sequitur hic :

Cor peccatoris cum mari comparatur.

« *Et exsiccatum est,* » obediendo statim suo creatori. Matth. viii, 27 : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei ?* Sic spiritualiter. Cor enim peccatoris mare est, quod tumet per superbiam, Jonæ, i, 13 : *Mare ibat, et intumescebat.* I ad Corinth. iv, 6 : *Ne ...unus adversus alterum infletur pro alio.* Et, viii, 1 : *Scientia inflat.* Fervet per invidiam, Isa. lvii, 20 : *Cor impii, quasi mare fervens.* Impius est proprie invidus. Tempestuosum est per iracundiam, ut possit dici de illo illud Psal. xlix, 3 : *In circuitu*

[1] Cf. Exod. xiv, 21.

ejus tempestas valida. Nullus potest habere pacem cum illo. Salsum per avaritiam, qua semper sitit avarus : et quo plus potæ, plus sitiuntur aquæ. Joan. IV, 13 : *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum.* Profundum per acediam : ubi enim bene profundum est mare, ibi stabile. Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile.* Verum est : acediosus non invenit in se profundum. Absorbens omnia per gulam, Isa. XIV, 29 : *Et semen ejus,* diaboli scilicet, *absorbens volucrem.* Job, XL, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur,* id est, ea quæ sunt in fluviis omnia. Fœtens per luxuriam, Amos, IV, 10 : *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras : et non redistis ad me, dicit Dominus.* Et quidam dixit :

Inficit, et fœtet, quando patratur opus.

II Machab. IX, 9 : *Ita ut.... odore illius,* scilicet Antiochi, *et fœtore exercitus gravaretur.*

« *Et deduxit eos.* » Ecce secundum beneficium. Quasi diceret : Sic exsiccavit : « *et* tunc *deduxit eos in abyssis,* » inter aquas scilicet profundissimas, « *sicut in deserto,* » ita scilicet sicco pede, ac si essent in deserto. Exod. XV, 19 : *Filii Israel ambulaverunt per siccum.* Isa. LXIII, 13 : *Eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.*

10 « *Et salvavit.* » Hic tangitur tertium beneficium, scilicet liberatio ab hostibus : et tangitur primo liberatio ab inimicis generaliter. Secundo, a dominio et potestate Pharaonis specialiter, ibi, « *Et redemit.* »

Dicit ergo : Sic mare divisit, sic per illud eos duxit, « *et* » sic « *salvavit eos de manu,* » id est, de potestate « *odientium.* » Exod. XIV, 30 : *Liberavit Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum.*

« *Et redemit eos,* » id est, ac si redemisset, liberavit « *de manu inimici,* » Pharaonis scilicet. Exod. XV, 13 : *Dux fuisti in misericordia tua populo tuo quem redemisti.* Sic Christus sanguine in passione sua nos liberavit, quantum in se fuit, etsi simus in peccatis, ab inimicis, et redemit de potestate diaboli. Psal. XLIII, 8 : *Salvasti nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.* Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Quo ? sanguine proprio pretioso. I Petr. I, 18 : *Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti estis,* etc.

« *Et operuit aqua.* » Hic est quartum beneficium, scilicet inimicorum mors et 11
occisio : et tanguntur duo. Occisionis et mortis qualitas, quia submersi. Secundo, occisorum generalitas, ibi, « *Unus ex eis.* »

Dicit ergo : Sic sunt liberati : « *et operuit,* » tamquam multum abundans, « *aqua tribulantes,* » tribulare volentes, « *eos.* » Exod. XIV, 28 : *Reversæ sunt aquæ, et operuerunt currus :... nec unus quidem superfuit ex eis.* Hoc est quod sequitur hic, « *unus ex eis non remansit.* » Sic spiritualiter in aquis baptismatis aquæ lacrymarum, quæ vim habent a Christi passione, sufficiunt ad deletionem omnis culpæ. Judith, V, 13 : *Ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus qui factum posteris nuntiaret.*

« *Et crediderunt in verbis.* » Hic se- 12
cundum, scilicet brevis laus, et gratiarum actio pro beneficiis supra dictis : et tanguntur duo. Primo, fides, et devotio cordis. Secundo, laus exterior, et gratiarum actio oris, ibi, « *Et laudaverunt.* »

Dicit ergo : Hæc beneficia illis contulit, « *et* » in tantum aperta, quod ipsi « *crediderunt,* » quasi coacti, « *verbis ejus.* »

Exod. xiv, 31 : *Crediderunt*, scilicet filii Israel, *Domino, et Moysi servo ejus*. Ante non poterant, nunc convicti credunt. Joan. iv, 48 : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*. Talis fuit sanctus Thomas, cui dictum est, Joan. xx, 29 : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt :* quia credere quod non videtur, multo gloriosius est. Cassiodorus : « Si bonum « sit visis acquiescere, multo melius est « promissa credidisse. »

« *Et laudaverunt*, » ore coram omnibus, « *laudem ejus.* » In hoc quod dicit : *Laudaverunt laudem*, ostendit laudis magnitudinem. Psal. xlviii, 19 : *Confitebitur tibi*, confessione fidei, *cum benefeceris ei.*

13 « *Cito fecerunt.* » Hic secundum totius illius partis, in quo numerat et narrat illorum peccata. Tactis enim illorum peccatis quæ fecerunt in Ægypto, et in exitu de illa, hic tangit peccata quæ fecerunt in deserto : et dicuntur tria. Primo, tangit peccatum ingratitudinis, quia obliti sunt beneficia statim. Secundo, peccata libidinosæ voluntatis illorum, ibi, ỷ. 14 : « *Et concupierunt.* » Tertio, peccatum incredulitatis, ad quod redierunt, ibi, ỷ. 19 : « *Et fecerunt vitulum.* » Primum respicit ad memoriam illorum. Secundum, ad voluntatem. Tertium, ad intelligentiam, conversam tamen in practicam.

In prima duo dicuntur. Primo, illorum velox oblivio. Secundo, quasi ratio et causa tam velocis oblivionis, quia advertere noluerunt quo consilio fiebant illa, ibi, « *Et non sustinuerunt.* »

Dicit ergo : Sic crediderunt, et laudaverunt procedentes per desertum, et « *cito fecerunt.* » Quid? « *Obliti sunt beneficiorum ejus,* » contra illud Deuter. iv, 9 : *Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ.*

« *Et non sustinuerunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic obliti sunt, « *et* » hoc quia « *non sustinuerunt,* » deliberando, et discernendo, « *consilium ejus,* » qua scilicet ratione hoc faciebat. Vel sic : « *Non sustinuerunt,* » patienter sufferendo, « *consilium ejus,* » defectum scilicet victualium, quem Dominus non sine consilio bono permittebat eos pati. Nec dicitur hoc quia in Deum cadat consilium proprie, sed ad modum hominum loquitur, secundum illud Isa. xlvi, 10 : *Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Sic multi Dei gratiam, et remissionem peccatorum sentientes in se, credunt in Deum, et laudant ipsum, sed cito omnia oblivioni tradidisse videntur : de quibus Dominus, Luc. viii, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tribulationis recedunt*, quibus dicitur illud Eccli. ii, 16 : *Væ his qui perdiderunt sustinentiam !* Et, in eodem, ỷ. 3 : *Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine*, etc.: quia, in Psal. xxxvi, 9, dicitur : *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram*, supple, viventium.

« *Et concupierunt concupiscentiam.* » 14
Hic secundum, in quo tangitur peccatum libidinosæ voluntatis : et tanguntur duo. Primo, concupiscentia delectabilium. Secundo, honorum, ibi, ỷ. 16 : « *Et irritaverunt.* »

In prima duo. Primo, ostenditur concupiscentia illorum quantum ad delicias. Secundo, collatio concupitorum a Deo, ad aggravationem culpæ illorum, ibi, ỷ. 15 : « *Et dedit eis.* »

In prima duo. Primo, monstratur in ipsis concupiscentia cordis. Secundo, expressio tentationis per os, hæsitando de divina potentia, ibi, « *Et tentaverunt.* »

Dicit ergo : Sic recesserunt cito, « *et* » post « *concupierunt concupiscentiam in deserto.* » Hic similis locutio superius positæ : « *Laudaverunt laudem.* « Sic

enim loquitur, ut monstret concupiscentiæ vehementiam. Deuter. IX, 22 : *In Incendio quoque et in Tentatione, et in Sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum.* Numer. XI, 4 : *Vulgus promiscuum... flagravit desiderio,* scilicet carnium, etc.

« *Et tentaverunt Deum,* » ore suo dicentes : Non potest Dominus dare nobis carnes. Supra, in Psal. LXXVII, 19, dixerunt : *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto ?* Et hoc, « *in inaquoso,* » id est, in deserto sicco, sine aqua. Sic multi postquam ad Deum sunt conversi, tamen ipsum tradunt oblivioni, et ruunt in vanas concupiscentias escarum. Sapient. XIX, 11 : *Adducti concupiscentia, postulaverunt escas epulationis.* Propter hoc monet Paulus, I ad Corinth. X, 6 : *Ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt.* Et, infra, ℣. 9 : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt.*

15 « *Et dedit eis.* » Hic secundum, scilicet adimpletio desiderii illorum ad aggravandam culpam : et tangitur primo collatio concupitorum. Secundo, abundantia collatorum, ibi, « *Et misit saturitatem.* »

Dicit ergo : Sic concupierunt concupiscentiam, « *et* » Dominus « *dedit eis petitionem ipsorum,* » non in modica abundantia, imo, « *misit saturitatem in animas ipsorum.* » Saturitas in corpus mittitur, cum repletur : in animam autem, cum cibus fastiditur. Et de ipsis in Psal. LXXVII, 29, supra : *Manducaverunt, et saturati sunt nimis.* Sic, heu ! indignans Dominus multis existentibus in deserto, dat multas delicias, et carnes multas. Sapient. XIX, 12 : *In allocutione desiderii ascendit illis de mari ortygometra.* Exod. XVI, 13 : *Factum est vespere, et ascendens coturnix, cooperuit castra :* avis habens carnes sapidissimas, et regias, et in tanta abundantia, quod pauci sunt qui se potuerint continere, sed usque ad nauseam comederunt. Numer. XI, 18 et seq. : *Det vobis Dominus carnes, et comedatis, non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam.*

« *Et irritaverunt Moysen.* » Hic secundum, concupiscentia scilicet honorum. Et primo, tangitur culpa in concupiscendo. Secundo, subjungitur pœna condigna, ibi, ℣. 17 : « *Aperta est terra.* » 16

In prima duo. In concupiscendo honores contra duos peccabant, Moysen scilicet et Aaron.

Quantum ad primum dicit : Sic concupierunt, et obtinuerunt etiam concupitum. « *Et* » post « *irritaverunt,* » provocando ad iram quantum in se fuit, « *Moysen,* » ambiendo dominium ejus, et potestatem, « *in castris* » existentes, quod aggravat, quia erant in deserto, et vagabundi : unde magis humiliari debuissent. Et etiam irritaverunt « *Aaron, sanctum Domini,* » id est, sanctificatum Domino, et consecratum, ejus sacerdotium similiter ambiendo. Numer. XVI, 3 : *Cumque stetissent adversus Moysen et Aaron, dixerunt : Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini ?*

Et nota, quod sunt castra mala, in quibus Deus provocatur. Primo, castra Ægyptiorum, tyrannorum scilicet, filios Israel persequentium. Exod. XIV, 24 et 25 : *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum,... interfecit exercituum eorum : et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* In his provocatur per crudelitatem. Secundo, sunt castra Philisthiim. Philisthiim enim interpretantur *potione cadentes.* I Reg. XXVIII, 4 : *Congregati sunt Philisthiim, et venerunt, et castrametati sunt in Sunam.* Castra mala et bona.

In his irritatur per gulam. Tertio, sunt castra mundi, de quibus, IV Reg. vii, 10 : *Ivimus ad castra Syriæ, et nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos.* Equi autem sunt superbi et gulosi, qui sunt in mundo. In his provocatur per vanitatem. Quarto, sunt et castra diaboli, de quibus, Isa. xxxviii, 36 : *Egressus autem Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* In his irritatur per superbiam. Quinto, sunt castra deserti, scilicet religiosorum in paupertate et dejectione viventium, in quibus est murmur et ambitio, de quibus hic. Et, Numer. xvi, 13 : *Ascendens coturnix, cooperuit castra.* In his irritatur per impatientiam, et inobedientiam. Sed sunt bona castra, collectio religiosorum in humilitate Deo famulantium, inter quos est Deus. Genes. xxxii, 2 : *Castra Dei sunt hæc.* Ad hæc provocatur Deus, ut ad illa veniat, et sic fiat, ut I Reg. iv, 7 : *Venit Deus in castra... Væ nobis! non enim fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius.*

17 « *Aperta est terra.* » Hic secundum, scilicet pœna pro culpa tali : et dicuntur duo. Primo, tangitur pœna majorum, principum scilicet. Secundo, minorum, ibi, ℣. 18 : « *Et exarsit.* »

Duo autem dicuntur in prima parte. Primo, præparatio punitivi, scilicet terræ. Secundo, conditio punitorum omni modo puniendi, ibi, « *Et degluttivit.* »

Dicit ergo : Sic ambierunt in tantum ut irritarent Moysen et Aaron : « *Et aperta est terra,* » tamquam præparans se ad illorum absorptionem, « *et degluttivit Dathan,* » qui erat unus de principalibus in irritatione illa, « *et operuit Abiron,* » qui erat alius. Ecce modus in puniendo existentes, supple, « *super congregationem* » illam murmurantem. Numer. xvi, 31 et seq. : *Confestim ut cessavit loqui, disrupta est terra sub pedibus eorum : et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum. Descenderuntque vivi in infernum, operti humo.* Ipsi desiderabant terrenum honorem, et principatum, modo terram habuerunt satis. Cassiodorus : « Degluttiti sunt a « terra, quia terram sapuerunt, ut ipsa « pœnæ qualitas scelera facta atteste- « tur. » Sapient. xi, 17 : *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.*

« *Et exarsit ignis.* » Hic tangitur pœna minorum : et dicuntur duo. Primo, tangitur causa et ratio puniendi eos, scilicet thurificatio, et officii sacerdotalis usurpatio. Secundo, punitio, ibi, « *Flamma combussit.* » 18

Ait enim : Sic illi a terra sunt absorpti : « *et ignis exarsit in synagoga eorum,* » in multitudine scilicet illis subjecta, quia Core cum ducentis quinquaginta accepit thruribulum, et posuit ignem ut thurificarent. Sed quid ? « *Flamma combussit,* » ex prædictis procedens thuribulis, « *peccatores.* » Numer. xvi, 35 : *Ignis egressus a Domino interfecit eos.*

Usurpantes thurificantium officium sunt mali sacerdotes, qui accedunt indigni cum rege Ozia [1], qui ob hoc percussus est lepra in fronte. Et isti frequenter percutiuntur igne luxuriæ, et permittuntur cadere in vana carnis desideria, quæ sunt ignis. Job, xxxi, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Joel, i, 19 : *Ignis comedit speciosa deserti.* Quippe ipsi efficiuntur quasi stuppa, Eccli. xxi, 10 : *Stuppa collecta, synagoga peccantium* contra Deum. Hic malus ignis est valde. Ambrosius : « O admira- « bilis ignis luxuriæ, cujus gula materia, « flamma concupiscentia, fumus infamia, « cinis immunditia ! O si possemus ho- « mines excitare, et cum illis pariter ex- Contra sacerdotes.

[1] Cf. II Paralip. xxvi, 16 et seq.

« citari, ut tales essemus amatores vitæ « permanentis quales sunt amatores vitæ « fugientis! » Permittuntur etiam succendi et comburi igne cupiditatis, ut sint munerum acceptores, et sacramentorum venditores. De quo igne, Proverb. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit*, scilicet danti : *Sufficit*. Job, xv, 34, minatur eis ignem gehennalem : *Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt.*

19 « *Et fecerunt vitulum.* » Hic tertium, in quo tacto peccato ingratitudinis, quo peccaverunt in deserto, et peccato libidinosæ voluntatis, addit de peccato infidelitatis, comparatione ad divinam potentiam. Secundo, ad Dei veritatem, ibi, ℣. 24 : « *Et pro nihilo habuerunt.* » Tertio, ad divinam bonitatem, ibi, ℣. 28 : « *Et initiati sunt.* »

Et dicuntur duo in prima parte. Primo, illorum culpa. Secundo, Moysi intercessio pro pœna mitiganda, vel etiam dimittenda, ibi, ℣. 23 : « *Et dixit ut disperderet.* »

In prima duo. Primo, tangitur peccatum commissionis. Secundo, omissionis, ibi, ℣. 21 : « *Obliti sunt.* »

In prima dicuntur tria. Primo, compositio idoli. Secundo, compositi exterior veneratio, ibi, « *Et adoraverunt.* » Tertio, interior gloriatio in illo, ibi, ℣. 20 : *Et mutaverunt.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt peccato ingratitudinis, et peccato libidinosæ voluntatis : « *et,* » etiam « *fecerunt vitulum in Horeb* » existentes. Sed ad quid? Numquid ut tamquam Deum adorarent? Subdit : « *Et adoraverunt sculptile.* » Exod. xxxii, 8 : *Fecerunt sibi vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque immolantes ei hostias dixerunt : Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Hoc autem fecerunt « *in Horeb,* » vel Oreb, quod interpretatur *Calvaria*, in quo significatur eos tandem in Calvaria peccaturos contra Deum, ipsum negando, occidendo. Thren. i, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.*

Sed quid est quod dicit, quod *adoraverunt sculptile*, cum ille vitulus sculptilis non fuerit, sed magis conflatilis? Respondeo. Utrumque fuit. Primo conflatilis fuit : sed quia in conflatione non fuit plene formatus, postmodum sculptus est. Vitulus lascivus et juvenilis, Prælatus voluptatibus deditus. Jerem. l, 11 : *Effusi estis, sicut vituli super herbam.* Hic vitulus formatur in Calvaria, in Ecclesia, in qua Dominus crucifigitur a talium formatoribus. Ad Hebr. vi, 6 : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes* : et adorant ipsum tamquam idolum, derelinquentes gregem. Et bene *idolum*, quia oculos habet, sed non ad videndum Scripturas, et ad studendum in illis : aures habet, sed non ad audiendum pauperum peccatorum confessiones : pedes habet, sed non ad ambulandum ad faciendas visitationes : os habet, sed non ad loquendum populo, et prædicandum. Psal. cxiii, 5 : *Os habent, et non loquentur*, etc.

Contra Prælatos.

« *Et mutaverunt.* » Hic tertium hujus partis, scilicet compositi idoli interior veneratio, et aggravat eorum culpam a duobus. Ab eo quod reliquerunt, Deum scilicet : et ab eo ad quod se converterunt, ibi, « *In similitudinem.* » 20

Dicit ergo : Sic adoraverunt exterius venerando sculptile, et etiam « *mutaverunt gloriam suam,* » Deum scilicet, qui est immutabilis in se. Malach. iii, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Jacob. i, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et debet esse illorum gloria, sicut ejus qui dicit in Psal. iii, 4, supra : *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.*

« *In similitudinem,* » non in ipsam veritatem, « *vituli,* » non lactentis

adhuc, sed « *comedentis fœnum.* » Jerem. II, 11 : *Populus meus mutavit gloriam suam in idolum.* Sic omnes peccatores *gloriam suam*, scilicet gloriosam Dei similitudinem mutant quando peccant. in idolum vel luxuriæ, vel superbiæ, vel avaritiæ. Ad Roman. I, 23 : *Mutaverunt gloriam*, scilicet imaginem, *incorruptibilis Dei, in similitudinem corruptibilis hominis.* Hoc quantum ad luxuriosos, qui imagines hominum sculptibilium in utroque sexu habent in corde. Ezechiel. XVI, 17 : *Fecisti tibi imagines masculinas*, et fœmininas : *et volucrum*, quantum ad superbos qui ad alta volant : *atque serpentium* [1], quantum ad cupidos qui circa terram serpunt.

Spiritualiter autem tales sunt adulatores, qui gloriam Dei dant idolis, Prælatis vanis, et inutilibus, qui comedunt fœnum, quia quæ carnis sunt quærunt, et curam carnis agunt in desideriis : de quo Isa. XL, 6 : *Omnis caro fœnum.* Gregorius : « Fœnum vescitur, qui carnalibus « desideriis delectatur : et propter hoc « tandem ab eo comedetur, de quo Job, « XL, 10 : *Fœnum quasi bos comedet.* « Boni autem Prælati qui sunt jumenta « Dei, dicentes illud Psal. LXXII, 23 : *Ut « jumentum factus sum apud te :* ipsi « comedunt bonum fœnum, Scriptura- « rum sacrarum sensum. » Proverb. XXVII, 25 : *Collecta sunt fœna de montibus*, de testamentis duobus.

21 « *Obliti sunt Deum.* » Hic secundum, in quo tangitur peccatum omissionis, quod fuit obliviscendo Dei beneficia. Et tangit primo in generali. Secundo, in speciali, ibi, « *Qui fecit.* »

In qua parte, scilicet secunda, tangitur primo beneficium multiplicationis in tribulatione. Secundo, afflictionis Ægyptiorum diversis plagis, ibi, ℣. 22 : « *Mirabilia in terra.* » Tertio, submersionis illorum in mari Rubro, ibi, « *Terribilia.* » Primum respicit ad potentiam Dei. Secundum, ad sapientiam. Tertium vero ad justitiam quæ est bonitas.

Dicit ergo : Sic peccaverunt committendo, et etiam omittendo, quia « *obliti sunt Deum qui salvavit eos,* » multis modis et variis. Isa. XVII, 10 : *Oblita es Dei Salvatoris tui, et fortis adjutoris tui non es recordata.*

« *Qui fecit magnalia in Ægypto,* » ipsos in afflictione et perturbatione multiplicando. Deuter. XI, 2 et 3 : *Viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus et robustam manum, extentumque brachium, signa et opera quæ fecit in medio Ægypti.*

Qui etiam fecit « *mirabilia,* » signa et 22
plagas, « *in terra Cham,* » in Ægypto. scilicet, quæ fuit terra Cham, » et ab ipso descenderunt Ægyptii. Exod. III, 20 : *Extendam manum meam, et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis.* « *Terribilia in mari Rubro,* » quando submersit Pharaonem cum omni exercitu suo. Deuter. X, 21 : *Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia et terribilia, quæ viderunt oculi tui.*

Christus fecit magnalia in incarnatione, mirabilia in conversatione, terribilia in morte.

Nota autem, quod Ægyptus mundus est, contra Cham mundus, mare Rubrum mundus. *Magnalia fecit* Deus in mundum veniendo. Isa. XIX, 1 : *Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum. Mirabilia* in mundo conversando, aquam in vinum convertendo, sanitatem conferendo, et mortuos suscitando, et de paucis panibus multa millia saturando, et tandem corpus in cibum, et sanguinem in potum dando. Psal. LXXVI, 17 : *Tu es Deus qui facis mirabilia. Terribilia* fecit in mundo moriendo. Quis enim non terrebitur audiens Dei Filium morientem ? Isa. XIX, 16 : *Erit terra Juda Ægyp-*

[1] Ad Roman. I, 23 : *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.*

to in pavorem. Et, x, 33 : *Confringet Dominus lagunculam,* proprii corporis, *in terrore:* quia, Luc. xxiii, 31, dicit ipse : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

23 « *Et dixit ut disperderet.* » Hic secundum. Præmissa illorum culpa omissionis, et commissionis, subjungitur intercessio pro pœna mitiganda : et dicuntur duo. Primo, tangitur Dei comminatio ad puniendum illos. Secundo, Moysi supplicatio, ibi, « *Si non Moyses,* » Tertio, intentio deprecantis, ibi, « *Ut averteret iram.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt : « *Et dixit,* » supple, Dominus comminando, « *ut disperderet eos.* » Exod. xxxii, 9 et 10 : *Cerno quod populus iste duræ cervicis sit : dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos.* Numer. xiv, 11 et 12 : *Usquequo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis. Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam.*

« *Si non Moyses.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic dixi, ut disperderet, quod et fecisset, « *si non Moyses, electus ejus.* » Eccli. xlv, 4 : *Elegit eum ex omni carne :* « *stetisset in conspectu ejus,* » in oratione : et hoc « *in confractione,* » illa scilicet, ne fieret. Exod. xxxii, 31 et 32 : *Obsecro,* Domine Deus meus, *peccavit populus iste peccatum maximum...: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*

Christus, Moyses electus stans, et confractus.

Et nota, quod Moyses electus Dei, Christus est, qui est assumptus ex aquis tribulationum et passionum. Marc. xvi, 19 : *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus in cœlum.* Hic stetit in sua passione, stat in Sacramenti altaris consummatione, stabit in judicii exsecutione. In prima statione confractus est ad litteram clavis et lancea. In secunda confringitur in specie accidentium extrinseca. In tertia confringetur in ostensione et apparentia, quando monstrabit omnibus latus et vulnera. Isa. liii, 5 : *Attritus est,* omnibus his modis, *propter scelera nostra,* ut solidaret quod confractum in nobis erat. Ezech. xxxiv, 16 : *Quod confractum fuerat consolidabo.* Et, Job, xvi, 13, dicitur : *Tenuit cervicem meam, confregit me,* etc. Confractus ergo Jesus dicitur, non quia confracta fuerunt ejus ossa, Exod. xii, 46 : *Nec os illius,* scilicet agni paschalis, *confringetis* [1]. Joan. xix, 33 : *Non fregerunt ejus cura :* sed propter multiplicia tormenta quæ sustinuit.

« *Ut averteret iram.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic stetit in confractione, « *ut averteret :* » vel, « *et averteret,* » sic « *iram ejus,* » scilicet Dei, « *ne disperderet eos.* » Deuter. ix, 25 et 26 : *Suppliciter deprecabar, ne deleret vos ut fuerat comminatus : et orans dixi : Domine Deus, ne disperdas populum tuum, et hæreditatem tuam, quam redemisti,* etc., quod etiam fecit. Propter aliqua bona gratuita servat aliquando multitudinem magnam : nec disperdidisset Sodomitas, Genes. xviii, 32, si decem viros bonos invenisset. Isa. lxv, 8 : *Quomodo si inveniatur granum in botro, et dicatur : Ne dissipes illud, quoniam benedictio est : sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.*

« *Et pro nihilo.* » Hic secundum, in quo tangitur incredulitas veritatis promissæ : in qua duo dicuntur. Primo, culpa. Secundo, pœnæ comminatio propter illam, ibi, ℣. 26 : « *Et elevavit manum.* » 24

In prima duo. Primo, tangitur infide-

[1] Joan. xix, 36 : *Os non comminuetis ex eo.*

litas in corde interius. Secundo, effectus secutus in ore exterius, ibi, ℣. 25: « *Et murmuraverunt.* »

In prima dicuntur duo. Primo, contemptus, et quasi nulla rei promissæ reputatio, non credendo quod esset tantum bonum, quantum dicebatur. Secundo, incredulitas verbis promittentis, ibi, « *Non crediderunt* verbo, » vel, « in *verbo.* »

Dicit ergo: Sic peccaverunt peccato, ingratitudinis, « *et* » etiam tamquam infideles, « *pro nihilo habuerunt,* » tamquam nihilum scilicet reputantes, « *terram desiderabilem.* » Numer. XIII, 33: *Detraxerunt terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra quam lustravimus, devorat habitatores suos.* Et, infra, XIV, 4: *Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, et revertamur in Ægyptum.*

Terra desiderabilis Virgo beata, caro Christi, vita beata. Et nota, quod est triplex terra desiderabilis, Virgo beata, caro Christi, vita æterna, quas pro nihilo habent multi, magis quærentes ea quæ super materialem hanc terram sunt, contra illud Apostoli, ad Coloss. III, 1: *Quæ sursum sunt quærite,* triplicem illam terram, *non quæ super* istam *terram* materialem. Sed, ad Philip. II, 21, dicitur: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi,* quia non ejus matrem, non ejus carnem, non ejus gloriam.

« *Non crediderunt verbo ejus,* » quod scilicet esset illis daturus eam, quamvis promitteret illam. Propter hoc non intraverunt illam. Ad Hebr. III, 19: *Non potuerunt introire* in requiem illam, *propter incredulitatem,* suam scilicet. Propter hoc, ibidem, III, 12, subdit Paulus: *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi, a Deo vivo:* quia si hoc est, eritis ejecti. Apocal. XXII, 15: *Foris canes, et venefici,... et omnis qui amat et facit mendacium,* quales sunt infideles: quia, ad Hebr. XI, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

« *Et murmuraverunt.* » Hic secundum, in quo subjungitur de effectu culpæ infidelitatis eorum, quæ fuit duplex. Murmur, quod primo tangitur: et inobedientia, quæ secundo, ibi, « *Non exaudierunt.* » 25

Dicit ergo: Sic fuerunt infideles, « *et murmuraverunt,* » contra Deum et ministros ejus, « *in tabernaculis suis.* » Exod. XVI, 2: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine.* Deuter. I, 26 et 27: *Ad sermonem Domini Dei nostri murmuravistis in tabernaculis vestris.*

« *Non exaudierunt,* » opere adimplendo, « *vocem Domini.* » Ecce inobedientia. Hoc tamen promiserant. Exod. XIX, 8: *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* Exod. XVI, 20: *Qui non audierunt eum,* scilicet Dominum, *sed dimiserunt quidam ex eis usque mane,* manna scilicet, *et scatere cœpit vermibus* etc. Ezech. III, 7: *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me:* quia qui non audit fidelem Domini ministrum, contemnit audire ipsum Dominum. Luc. X, 16: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit.*

« *Et elevavit manum.* » Hic secundum, in quo præmissa multiplici eorum culpa infidelitatis, murmuris, et inobedientiæ, subbjungit de pœna in comminatione: et dicuntur duo secundum duplicem pœnam quam comminatur. Prima, interfectio delinquentium. Secunda, captivatio seminis eorum, ibi, ℣. 27: « *Et ut dejiceret.* » 26

In prima duo. Primo, tangitur comminatio. Secundo, declaratio pœnæ, ibi, « *Et ut prosterneret.* »

Dicit ergo: Sic peccaverunt: « *et* » ipse « *elevavit super eos:* » *super* oppressionem notat: « *manum suam,* » comminando. Psal. LXXIII, 3: *Leva manus tuas in superbias eorum.* Et, Deuter. XXXII, 40: *Levabo ad cœlum manum*

meam. Et post, ỳ. 41 : *Reddam ultionem hostibus meis, et his qui oderunt*, etc. Et quid minatus est in levando? « *Ut prosterneret eos,* » occidendo, « *in deserto.* » Numer. XIV, 29 : *In solitudine hac jacebunt cadavera vestra.* I ad Corinth. X, 5 : *Non in pluribus eorum beneplacitum est Deo : nam prostrati sunt in deserto.* Hoc autem, sicut ibidem dicit Apostolus[1], in figura multorum, qui in deserto religionis prosternuntur, non ad cœlestia elevantur. Supra, in Psal. LXXXVIII, 45 : *Destruxisti eum ab emundatione*, scilicet ab eo a quo deberent emundari.

27 « *Et ut dejiceret.* » Hic secundum, quod comminatus est, scilicet seminis captivitatem : et dicuntur duo. Primo, quod minatus est captivitatem. Secundo, in ipsa captivitate dispersionem. Si enim in uno aliquo loco essent captivitati, hoc aliquod esset remedium : ibi secundum : « *Et dispergeret.* »

Ait enim : Sic minatus est eis mortem, « *et ut dejiceret,* » captivando, « *semen eorum,* » filios et nepotes, » *in nationibus* : » nec hoc tantum, imo « *et dispergeret eos,* » post dejectionem, in diversas partes perderet, « *in regionibus,* » sicut aperte factum esse nunc videmus, quia per totum mundum dispersi sunt. Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine.* Sic disperduntur mali religiosi per curas mundi, et desideria mundana, ad serviendum dæmoni. Psal. XCIII, 23 : *In malitia eorum disperdet eos.* Baruch, II, 4 et 5 : *Dedit eos...in desolationem in omnibus populis in quibus nos dispersit Dominus : et facti sumus subtus, et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro.* Exod. V, 12 : *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.*

« *Et initiati sunt.* » Hic tertium, in quo tangitur peccatum incredulitatis, comparatione ad divinam bonitatem : et dicuntur duo secundum duo quæ concurrunt ad Dei bonitatem, scilicet justitia, et misericordia. Primo ergo ostenditur peccatum eorum, quoad opus justitiæ. Secundo, quoad opus misericordiæ ibi, ỳ. 32 : « *Et irritaverunt eum.* » 28

In prima dicuntur tria. Primo, eorum culpa. Secundo, pœna pro tali culpa eis inflicta, ibi, in medio ỳ. 29 : « *Et multiplicata est.* » Tertio, placatio Domini ut cessaret pœna, ibi, ỳ. 30 : « *Et stetit Phinees.* »

In prima duo. Primo, perpetratio culpæ. Secundo, judicis offensio pro culpa, ibi, ỳ. 29 : « *Et irritaverunt eum in adinventionibus suis.* »

In prima dicuntur duo. Primo, dedicatio sui idolo fornicationis. Secundo, veneratio ejus in opere, ibi, « *Et comederunt.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt non credentes divinam potentiam, nec summæ veritati assentientes : « *et* » etiam « *initiati sunt,* » id est, consecrati et dedicati, « *Beelphegor,* » idolo gentium, et maxime fornicationibus et comestionibus vacantium : « *et,* » ut totum consummaretur, « *comederunt de sacrificiis mortuorum,* » id est, de immolatis idolis, quæ res sunt mortuæ, omni vita carentes : vel, de oblatis mortuis hominibus, quos credebant Deos, non credentes divinam justitiam talia punituram. Numer. XXV, 3 : *Initiatus est Israel Beelphegor.* Et, ibidem, ỳ. 2 : *Illi* scilicet filii Israel, *comederunt,* supple, de sacrificiis, *et adoraverunt deos eorum.*

Beelphegor, simulacrum libidinis.

Spiritualiter autem sacrificia mortuorum comederunt, hoc est, pro mortuis data, et illata, clerici beneficiati. Bernardus : « Væ, væ tibi, clerice ! *mors* « *in olla*[2]. Mors in ollis carnium : mors

[1] I ad Corinth. X, 6 : *Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt* etc.

[2] IV Regum, IV, 40 : *Clamaverunt dicentes*, ad Eliseum scilicet : *Mors in olla, vir Dei.*

« in hujusmodi deliciis est, quia peccata « sunt populi, quæ comedis. Osee, IV, « 8 : *Peccata populi mei comedent sacer-* « *dotes*. Sumptus Ecclesiasticos gratis « habere te reputas? Cantando, ut aiunt, « tibi provenire videntur : sed bonum « erat tibi magis fodere, aut etiam men- « dicare. Sollicitus esto tamquam reddi- « turus rationem pro eis fundere gemi- « tus, dignos agere pœnitentiæ fructus [1]. » Sed, heu! quamvis sic comedant sacrificia mortuorum, tamen multi initiantur Bel, id est, gulæ, Daniel. XIV, 5 : *Dixit rex ad eum*, scilicet Danielem : *Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? An non vides quanta comedat et bibat quotidie?* Ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est.* Alii initiantur Beelzebuth, qui est *deus muscarum*, divitiarum quæ pungunt, et inquietant, unde *spinæ* vocantur a Domino [2]. Augustinus : « Divitias « invenisti, requiem perdidisti. » Alii Beelphegor, quod interpretatur *habens hiatum*, luxuriæ scilicet, quæ semper hiat et numquam satiatur. Osee, IV, 10 : *Fornicati sunt, et non cessaverunt.* Hieronymus : « Voluptas famem, non satie- « tatem parit. »

29 « *Et irritaverunt.* » Hic secundum, scilicet judicis offensio pro culpa perpetrata.

Ait enim : Sic peccaverunt, « *et* » sic « *irritaverunt eum*, » Deum scilicet, « *in adinventionibus suis*, » in idolis, quæ adinvenerunt, ut illa colerent : non enim habuerunt a patribus suis. Numer. XXV, 4 et 5 : *Et iratus Dominus, ait ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel. Dixitque Moyses ad judices Israel : Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor*, id est, consecrati et dedicati. Et sic, « *multiplicata est in eis ruina*. » Ecce pœna mortis, Numer. XXV, 9 : *Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Sic initiati luxuriæ, ruent, et occidentur. Zachar. XIV, 15 : *Et sic erit ruina equi, et muli, et asini, et omnium jumentorum.* Et hoc a Christo, Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam*, luxuriosorum et malorum. Qui serviunt luxuriæ, dicuntur *initiati Beelphegor*, quia illud peccatum est quasi introductio in omne peccatum. Ad hoc enim jam pueri currunt, et incipiunt jam esse peccatores. Et has introductiones eis legunt, qui eos ducunt ad prostibula, et magis qui eos prostituunt, eis abutendo, secundum illud Joel, III, 3 : *Posuerunt puerum in prostibulo, et puellam vendiderunt pro vino, ut biberent.* Initia peccatorum sunt hæc, imo sicut dixit Dominus, Matth. XXIV, 8 : *Initia sunt dolorum.*

Peccatum luxuriæ, introductio in omne peccatum.

30 « *Et stetit Phinees.* » Hic tertium. Tacta enim illorum culpa, quantum ad infidelitatem bonitatis divinæ, ut est justitia, et supposita illorum pœna, subjungitur hic punientis placatio per Phinees facta : et dicuntur duo. Primo, placatio Domini. Secundo, ejus per quem placatus est remuneratio, ibi, ℣. 31 : « *Et reputatum est.* »

In prima tria. Primo, placantis conditio, per quam placavit Deum. Secundo, Dei placatio, ibi, « *Et placavit.* » Tertio, cessatio a pœna post placationem, ibi, « *Et cessavit.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt, et sic affecti sunt : « *et* » tunc « *Phinees stetit*, » constantia mentis et virtute contra fornicantes. Numer. XXV, 7 et 8 : *Quod cum vidisset Phinees, filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis : et arrepto pugione,... perfodit ambos simul,... in locis genitalibus.*

« *Et placavit*, » supple, Deum, per hunc modum. Unde, in eodem, ℣. 11 : *Phinees... avertit iram meam a filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos.*

[1] S. BERNARDUS, In declamationibus.

[2] Cf. Matth. XIII, 22.

« *Et* » sic « *cessavit quassatio,* » populi. Numer. xxv, 8 : *Cessavit plaga a filiis Israel,* eo quod zelatus est Phinees pro Domino Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel. Sic si esset in Ecclesia Dei, qui zelaret zelo bono, de quo Paulus, II ad Corinth. xi, 2 : *Æmulor enim vos Dei æmulatione*: et de quo, in Psal. lxviii, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me:* et interficeret non solum fornicantes corporaliter, sed etiam spiritualiter, omnes scilicet peccatores, juxta illud Psal. c, 8 : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, pugione verbi Dei, Ad Ephes. vi, 17 : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei :* tunc Deus posset per talem reconciliari. Eccli. xlv, 28 et 29 : *Phinees... in timore Domini stetit, in reverentia gentis : in bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel.*

31 « *Et reputatum est.* » Hic subjungitur ejus per quem Dominus placatus est, remuneratio. Et primo, remuneratio. Secundo, æternitas in præmio, quo remuneratus est, ibi, « *In generationem et generationem.* »

Dicit ergo : Sic Phinees placavit, « *et reputatum est ei ad justitiam,* » quia datum est præmium justi, scilicet sacerdotium. Reputatione, inquam, extensa, « *in generationem* » præsentem, « *et generationem* » durantem « *usque in sempiternum :* » quod est generatio futura. I Machab. ii, 59 : *Phinees, pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni.* Jam non est Phinees! Bernardus : « Ubi est qui se exhibeat « Phineem fornicantibus, Joannem regi« bus, Eliam sacerdotibus. » Et post, subdit : « Quem dabis mihi de numero Præ« latorum, qui non magis invigilet mar« supiis evacuandis, quam vitiis exstir« pandis? Tali sacerdotium perpetuum « daretur. Eccli. xlv, 30 : *Statuit illi « testamentum pacis, principem sancto« rum et gentis suæ, ut sit illi et semini « ejus sacerdotii dignitas in æternum.* « Adhuc durat sacerdotium Martini, Ger« mani, Nicolai, Augustini. »

« *Et irritaverunt eum ad aquas.* » 32
Tacta populi infidelitate comparatione ad divinam justitiam, hic tangitur comparatione ad misericordiam, quæ fuit in populi illius sustentatione : et dicuntur duo. Primo, tangitur illorum culpa. Secundo, vexatio Moysi pro illa, ibi, « *Et vexatus est Moyses.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt increduli de divina justitia, « *et* etiam *irritaverunt eum,* » Deum scilicet, « *ad aquas contradictionis,* » id est, ad quas populus jurgando Moysi contradixit. Numer. xx, 13 : *Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, et sanctificatus est in eis* Ista de qua in Psal. lxxx, 8 : *Probavi te apud aquas contradictionis.* Numer. xx, 2 et 3 : *Convenerunt adversum Moysen et Aaron : et versi in seditionem, dixerunt,* etc. Aquæ contradictionis scientia legum, et varietas Decretalium. Proverb. xvii, 14 : *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Istæ propter transgressiones positæ sunt. Ad Galat. iii, 18 : *Nam si ex lege hæreditas,* quia Christi patrimonium et hæreditas æterna Legistis non debent dari. Ideo dicitur, Genes. xxv, 6, quod Abraham filiis concubinarum largitus est munera, Isaac autem hæreditatem reliquit. Genes. xxi, 10 : *Ejice ancillam hanc, et filium ejus.* Ibi irritatur Deus, Isa. v, 7 : *Exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et justitiam, et ecce clamor.*

Aquæ contradictionis, scientia legum.

« *Et vexatus est Moyses.* » Hic secundum, scilicet Moysi turbatio et vexatio pro culpa illorum : in quo tanguntur tria. Primo, Moysi inordinata et culpabilis turbatio. Secundo, ratio turbationis, illorum culpa scilicet, ibi, ℣. 33 : « *Quia exacerbaverunt.* » Tertio, modus vel effectus turbationis, ibi, « *Et distinxit in labiis.* »

Dicit ergo : Sic peccaverunt : « *et* » tunc « *vexatus est Moyses,* » quasi conturbatus, et quodam tædio affectus et impatientia, « *propter eos,* » sic irritantes et exasperantes. Numer. xx, 2 et seq. : *Convenerunt adversum Moysen et Aaron : et versi in seditionem dixerunt :... Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur?*

33 « *Quia exacerbaverunt.* » Ecce causa turbationis : « *Quia exacerbaverunt,* » durius loquendo, « *spiritum ejus.* » Spiritus sonat hic in superiorem animæ partem, scilicet rationem, quæ turbata fuit in illorum sermonibus, contra illud Joan. xiv, 1 : *Non turbetur cor vestrum,* etc.

« *Et distinxit.* » Hic tertium, scilicet effectus, vel modus perturbationis : quia non sicut in aliis sanctis, severe Moyses processit, sed distinguens hoc ab aliis hæsitavit.

Ait enim : Sic irritaverunt Moysen, et sic propter eos vexatus est, et turbatus : « *et distinxit,* » hoc miraculum vel signum, et apparuit « *in labiis suis :* » quia non cum tanta constantia fecit hoc sicut alia, sed hæsitando dixit, Numer. xx, 10 : *Audite, rebelles et increduli : Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Hæc autem hæsitatio, qua dixit : *Num?* etc., fuit illud peccatum. Jacob. i, 6 : *Postulet autem in fide,* a Deo scilicet, *nihil hæsitans.*

34 « *Non disperdiderunt.* » Hic tertium totius illius partis, in qua tangit peccata illorum.

Tactis enim peccatis illis, quæ fecerunt in Ægypto, et postmodum quæ in deserto, hic tangit facta in terrra promissionis : et dicuntur duo. Primo, tangitur culpa inobedientiæ illorum. Secundo, idololatriæ illorum, ibi, ỳ. 36 : « *Et servierunt.* »

In prima duo. Primo, tangitur culpa eorum quantum ad omissionem, Secundo, quantum ad commissionem ibi, ỳ. 35 : « *Et commisti sunt.* »

Dicit ergo : Præmissa fecerunt in Ægypto, « *et* » tandem venientes in terram promissionis, « *non disperdiderunt gentes,* » eas destruendo, vel captivando, « *quas Dominus dixit illis,* » ut eas disperderent. Deuter. vii, 2 : *Cum tradiderit eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem.* Sed, Josue, i, 7, dicitur quando jam erant in terra : *Confortare, et esto robustus valde : ut custodias, et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus.* Sed hæc omiserunt : nam non sunt deletæ gentes quæ erant in terra Chanaan[1]. Et, Judicum, iii, 5 et 6 : *Filii Israel habitaverunt in medio Chananæi :... et duxerunt uxores filias eorum,* cum tamen dictum esset etiam, Deuter. vii, 2 et 3 : *Non inibis cum eis fœdus,... neque sociabis cum eis conjugia.*

« *Et commisti sunt.* » Hic secundum quod pertinet ad culpam, scilicet commixtio : in quo dicuntur duo. Primo, cum malis habitatio. Secundo, ipsorum malorum, et in malis imitatio, ibi, « *Et didicerunt.* » 35

Dicit ergo : Sic peccaverunt peccato omissionis, et etiam commissionis : « *et,* » id est, quia « *commisti sunt inter Gentes,* » loco et habitatione, imo matrimoniorum conjunctione, sicut tempore Esdræ factum est, I Esdræ, ix, 2 : *Tulerunt de filiabus eorum sibi et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum.*

Nota hic diligenter, quod in omni operatione sua natura tendit ad hoc, sicut vult Philosophus, ut separet nobile ab ignobili : unde finis plantarum est palma,

Clerici debent a laicis separari quantum ad affectum, habitum, officium, e vitam.

[1] Cf. Judicum i, 28 et seq.

in qua separatur activum a passivo, masculinum a fœminino. Similiter et gratia ad hoc tendit, ut pretiosum a vili segregetur, et hoc ostendit Dominus in principio Scripturæ [1]. *Vidit,* inquit, *Deus lucem quod esset bona : et divisit lucem a tenebris.* Ergo filii Israel, clerici scilicet, debent a laicis separari. Numer. I, 49 et 50: *Tribum Levi noli numerare, nec pones summam eorum cum filiis Israel : sed constitue eos super tabernaculum testimonii, et cuncta vasa ejus.* Ideo dicitur eis, I Petr. II, 9 : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Et hæc separatio attendenda est quantum ad affectum, habitum, officium, et vitam. Sed, heu! totum idem quantum ad affectum. Jerem. VI, 13 : *A minori usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Quantum ad habitum : quæ enim differentia ad milites, imo ad mulieres, quod turpius est? Sophon. I, 8 : *Visitabo... super omnes qui induti sunt veste peregrina.* Item, quantum ad officium. II Machab. IV, 14 : *Ita ut sacerdotes jam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, et sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palæstræ, et præbitionis ejus injustæ.* Et quantum ad vitam, et conversationem. Isa. XXIV, 2 : *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Item, inter ipsos clericos debet esse separatio, quia Prælatorum vita debet excedere vitam simplicium clericorum. Genes. XLIX, 19 : *Gad accinctus prœliabitur ante eum.* Et, ad Hebr. V, 1, dicit Paulus : *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum.*

« *Et didicerunt.* » Hic secundum, malorum imitatio.

Ait enim : Sic inter Gentes sunt commisti : « *et* » sic « *didicerunt opera eorum,* » mala et pessima. Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.*

[1] Genes. I, 4.

« *Et servierunt.* » Hic tangitur peccatum idololatriæ : et dicuntur duo. Primo, venerationis exhibitio idolis. Secundo, vehementia venerationis, quia usque ad filiorum immolationem, ibi, ℣. 37 : « *Et immolaverunt filios.* » 36

In prima duo. Primo, veneratio idolorum. Secundo, scandalizatio aliorum in facto, quod multum aggravat, ibi, « *Et factum est.* »

Ait enim : Sic commisti sunt, et didicerunt illorum opera. « *Et servierunt,* » idololatrando, « *sculptilibus eorum,* » Judicum, II, 10 et 11 : *Surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini.* Et iterum, in eodem, ℣. 19 : *Multo faciebant pejora quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, et adorantes illos.* I Reg. VIII, 8 : *Dereliquerunt me, et servierunt diis alienis.*

« *Et factum est illis.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic servierunt : « *Et factum est illis in scandalum,* » et proprium, et aliorum. Josue, XXIII, 12 et 13 : *Si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere,... erunt vobis in foveam ac laqueum, et offendiculum,* et etiam aliis. Jerem. VII, 30 : *Posuerunt offendicula sua in domo in qua invocatum est nomen meum.* Matth. XVIII, 7 : *Væ mundo a scandalis,* scilicet Clericorum, et Ecclesiæ Prælatorum! Verumtamen, sicut dicitur ibi, ℣. 6, melius esset ei ut suspenderetur mola asinaria collo ejus, etc.

« *Et immolaverunt.* » Hic ostenditur vehementia in veneratione, quia usque ad immolationem progeniei : et dicuntur tria. Primo, filiorum et filiarum immolatio. Secundo, modus immolandi, ibi, ℣. 38 : « *Et effuderunt.* » Tertio, infectio totius terræ ex immolatione, ibi, « *Et infecta est.* » 37

In prima duo. Primo, filiorum immolatio. Secundo, filiarum, ibi, « *Et filias.* »

Dicit ergo : Sic servierunt sculptilibus, et non in modico, imo multum, quia « *immolaverunt filios suos,* » ipsos comburendo, vel aliquo modo interficiendo, ad litteram. « *Et filias suas,* » circa quas major quodammodo pietas esse debebat, « *dæmoniis,* » id est, idolis in honorem dæmoniorum fabricatis. Sed si hoc nusquam legitur in historia rei gestæ, mentiri non potest Propheta : et videtur probari per hoc quod dixit illis Moyses, Deuter. XVIII, 9 : *Cave ne imitari velis abominationes illarum Gentium.* Hæc autem erat abominatio, quod filios et filias immolabant, secundum quod Jerem. VII, 31 : *Ædificaverunt excelsa Tophet, quæ est in valle filii Ennom, ut incenderent filios suos et filias suas igni.* Et Moyses, Deuter. XXXII, 17, idem dicit omnino quod hic dicitur : *Immolaverunt dæmoniis* filios suos, et sanguinem idolis libando, et carnem incendendo. Sic multi Prælatorum filios et filias dæmoniis immolant, quia eos exemplis perversis ad peccatum inflammant. Jerem. VII, 18 : *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres eorum conspergunt adipem.*

28 « *Et effuderunt.* » Hic secundum, immolandi modus : et dicuntur tria. Primo, sanguinis effusio, et innocentis. Secundo, quorum sit sanguis, ad culpæ eorum aggravationem, ibi, « *Sanguinem filiorum.* » Tertio, cui sit effusus, vel quibus, ibi, « *Quos sacrificaverunt.* »

Dicit ergo : Sic immolaverunt filios et filias : « *et* » etiam « *effuderunt :* » in hoc notatur abundantia : « *sanguinem innocentem.* » IV Reg. XXIV, 3 et 4 : *Factum est hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit, et propter sanguinem innoxium quem effudit, et implevit Jerusalem cruore invocentium.* Et, IV Regum XXI, 16 : *Insuper et sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os.* Psal. LXXVIII, 3 : *Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem.*

« *Sanguinem filiorum.* » Hic secundum, quorum fuerit effusus sanguis. Quasi diceret : Sic sanguinem effuderunt, « *sanguinem* » scilicet « *filiorum suorum, et filiarum suarum.* » II Paral. XXVIII, 3 et 4 : *Ipse est,* scilicet Achaz, *qui lustravit filios suos, in igne, juxta ritum Gentium... Sacrificabat quoque, et thymiama succendebat in excelsis, et in collibus, et sub omni ligno frondoso.*

« *Quæ sacrificaverunt.* » Ecce tertium, in quo aggravat ratione eorum quibus immolabant, quia sic sacrificabant et immolabant sanguinem filiorum et filiarum suarum, « *quas,* » inquam, filias, « *sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* » I Reg. VIII, 8 : *Dereliquerunt me, et servierunt diis alienis*[1].

Spiritualiter autem, filii sunt fortiora opera, filiæ infirma : unde, Exod. I, 16, legitur Pharao præcepisse quod filiæ servarentur, et filii submergerentur in fluvium : fortiora enim opera vult diabolus in delectationum flumine suffocari : de infirmis autem non facit vim. Apocal. XII, 4 : *Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Et Herodes, Matth. II, 16, *mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem,... a bimatu, et infra.* Filios ergo dæmoniis immolat, qui fortia opera facit ut inde laudem acquirat, ut prædica-

Filios dæmoniis immolat, qui bona opera facit ut inde laudem acquirat.

[1] Cf. IV Reg. XXII, 16 : *Dereliquerunt me, et sacrificaverunt diis alienis.*

tor, et rector. Osee, IX, 13 : *Ephraim adducet ad interfectorem filios suos.* Qui autem minora opera, scilicet jejunium et vigiliam, immolat ei filiam, quod Dominus etiam prohibet, Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes,* etc.

« *Et infecta est.* » Hic subjungitur totius terræ infectio ex hac immolatione. Et primo, tangitur mortis generalitas, quantum ad locum. Secundo, corruptibilitas et infectio, quantum ad inhabitantes, ibi, ℣. 39 : « *Et contaminata est.* »

Dicit ergo : Filios, et filias immolaverunt : « *et* » sic « *infecta est terra,* » id est, habitatores terræ, « *in sanguinibus,* » eorum, in peccatis scilicet, id est, propter peccata eorum, quæ dicuntur *sanguines.* Psal. L, 16 : *Libera me de sanguinibus.* Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Ezechiel. VII, 23 : *Fac conclusionem, quoniam terra plena est judicio sanguinum.*

39 « *Et contaminata.* » Hic tangitur infectio : et primo, infectio. Secundo, modus infectionis, vel in quo illa infectio.

Dicit enim : « *Et contaminata est in operibus eorum.* » Levitic. XVIII, 24 et 25 : *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ Gentes,... et quibus polluta est terra.*

« *Et fornicati sunt.* » Hic modus infectionis, scilicet spiritualis fornicatio : unde addit : « *Et,* » id est, « *fornicati sunt in adinventionibus suis,* » id est, idolis quæ adinvenerunt. Sapient. XIV, 12 : *Initium fornicationis est exquisitio idolorum : et adinventio illorum corruptio vitæ est.*

40 « *Et iratus est furore.* » Hic secundum totius hujus partis. Postquam enim tetigit eorum culpam in ipsa terra promissionis perpetratam, supponit hic ipsorum pœnam : et dicuntur tria. Primo, tangitur ira Dei ad illos in indignatione. Secundo, punitio illorum per ipsos inimicos, ibi, ℣. 41 : « *Et tradidit.* » Tertio, humiliatio illorum sub inimicis post punitionem, ibi, in medio ℣. 42 : « *Et humiliati sunt.* »

In prima duo. Primo, tangitur Dei indignatio ad illos. Secundo, vehementia indignationis, ibi, « *Et abominatus est.* »

Dicit ergo : Sic ipsi peccaverunt : « *et iratus est furore Dominus,* » id est, tamquam iratus ira furibundi factus est, « *in populo suo,* » id est, contra populum suum. Judic. II, 14 : *Iratus Dominus contra Israel.* Et non tantum iratus, quod magnum est, sed « *abominatus est hæreditatem suam,* » tamquam penitus abjiciens illam. Levit. XXVI, 30 : *Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, et abominabitur vos anima mea.* Osee, IX, 10 : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

« *Et tradidit.* » Hic secundum, scilicet punitio illorum per ipsos inimicos : et tanguntur tria. Primo, dimissio illorum ipsis Gentibus. Secundo, dominatio Gentium, et præpotentia super illos, ibi, « *Et dominati sunt.* » Tertio, afflictio subjectorum, ibi, ℣. 42 : « *Et tribulaverunt.* » 41

Dicit ergo : Sic abjecit eos, « *et* » sic « *tradidit eos in manu,* » id est, in potestate, « *Gentium.* » Judicum, IV, 1 et 2 : *Addiderunt filii Israel facere malum in conspectu Domini... Et tradidit illos Dominus in manus Jabin, regis Chanaan.*

« *Et dominati.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic traditi sunt eorum potestati, et isti non eos dimiserunt liberos, imo « *qui oderunt eos, dominati sunt eorum.* » II Esdræ, IX, 37 : *Et fruges ejus multiplicantur regibus quos posuisti super nos, propter peccata nostra,*

et corporibus nostris dominantur. Et dominabantur inique, Isa. LII, 5 : *Dominatores ejus inique agunt.* Et viles qui dominantur, Thren. v, 8 : *Servi dominati sunt nostri : non fuit qui redimeret de manu eorum.*

42 « *Et tribulaverunt.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic tradidit, et inimici sunt dominati, sed non pacifice, imo « *et tribulaverunt eos,* » affligendo indebite, « *inimici eorum :* » ut possent dicere veraciter illud Psal. XLI, 11 : *Exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.*

« *Et humiliati sunt.* » Hic tertium, scilicet ipsorum humiliatio sub inimicis, post punitionem. Et hoc relatione ad duplex malum ipsorum. Primo, ad malum ingratitudinis. Secundo, ad malum recidivationis, ibi, in medio ℣. 43 : « *Ipsi autem exacerbaverunt.* »

In prima duo. Primo, tangitur illorum directio, et humiliatio. Secundo, ratio, scilicet ingratitudo, ibi, ℣. 43 : « *Sæpe liberavit.* »

Dicit ergo : Sic afflicti sunt ab inimicis, « *et* » post omnia, « *humiliati sunt sub manibus eorum.* » Verum est. Jerem. VI, 23 : *Super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium adversum te, filia Sion.* Et, ℣. 24 : *Tribulatio apprehendit nos, dolores ut parturientem.* Judic. VI, 6 : *Humiliatus est Israel valde in conspectu Madian,* et hoc juste factum est, supple, quia « *sæpe liberavit eos,* » et parum valuit. Judic. III, 15 : *Clamaverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem,* et liberavit eos. Et, ibidem, VI, 9 et 10 : *Liberavi,* vos scilicet, *de manu Ægyptiorum et omnium inimicorum qui affligebant vos... Et noluistis audire vocem meam.*

43 « *Ipsi autem exacerbaverunt.* » Hic tangitur humiliationis pœna comparatione ad malum recidivationis : unde duo tanguntur. Primo, eorum recidivatio in culpam. Secundo, pœna propter illam, ibi, « *Et humiliati sunt.* »

Ait ergo : Sic afflicti quia ingrati : « *ipsi autem exacerbaverunt eum,* » peccata iterando, et hoc, « *in consilio suo,* » ex certa deliberatione, et præmeditatione. Baruch, IV, 7 : *Exacerbastis eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, et non Deo.* Jerem. XXXII, 30 : *Erant filii Israel et filii Juda jugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua : filii Israel, qui usque nunc exarcebant me in opere manuum suarum.*

« *Et humiliati sunt,* » hoc modo, « *in iniquitatibus suis,* » id est, propter iniquitates suas. Psal. CXVIII, 67 : *Priusquam humiliarer,* humiliatione dejectionis et miseriæ, *ego deliqui.* Et nota hic, quod humiliatur multum homo per peccatum. Primo, de divite fit pauper, Apocal. III, 17 : *Quia dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* De rege coronato fit ribaldus, Job, XII, 18 : *Balteum regum dissolvit :* propter peccata ipsorum, *et præcingit fune,* sicut ribaldus, *renes eorum.* De libero fit servus, Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati :* et tali servus, qui nullo potest placari obsequio. De hærede fit exhæredatus, ad Ephes. v, 5 : *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.* De milite et nobili fit ignobilis et rusticus, I Reg. II, 30 : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* De sacerdote fit degradatus, I Petr. II, 9 : *Vos genus electum, regale sacerdotium,* dicitur illis qui sunt in gratia. Sed, Osee, IV, 6 : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua,* dicitur peccanti. De templo

Homo valde humiliatur per peccatum.

Dei fit fanum Bacchi, II Machab. xiv, 33 : *Istud Dei fanum in planitiem deducam, et altare effodiam, et templum hoc Libero patri* dedicabo, vel *consecrabo*. Membrum meretricis ad litteram fit de membro Dei, I ad Corinth. vi, 15 : *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* De sano fit æger, Luc. x, 30, de illo qui *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis*, etc. De pulchro fit turpis, Jerem. xxx, 6 : *Conversæ sunt universæ facies in auruginem.* Thren. i, 6 : *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus.* De forti fit debilis, Thren. i, 6 : *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis*, vel tribulantis. De stabili fit instabilis, Thren. i, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem : propterea instabilis facta est.*

44 « *Et vidit cum tribularentur.* » Hic secundum, in quo postquam monstravit eorum culpam multiplicem, subjungit divinam misericordiam eis nihilominus exhibitam : et tanguntur primo motiva ad miserendum. Secundo, ipsa misericordia, ibi, in medio ỳ. 45 : « *Et pœnituit.* »

In prima duo. Primo, tangit motivum ex parte ipsorum. Secundo, ex parte patrum, ibi, ỳ. 45 : « *Et memor fuit.* »

In prima duo secundum duo quæ in ipsis fuerunt, quæ moverunt Deum. Primum, ipsorum tribulatio. Secundo conversatio tribulatorum ad Deum per orationem, ibi, « *Et audivit.* »

Dicit ergo : Tantæ fuerunt nequitiæ, et perversitatis : « *et* » Deus nihilominus « *vidit cum tribularentur*, » oculo misericordiæ suæ. Isa. lix, 15 : *Vidit Dominus, et malum*, supple, pœnæ, *apparuit in oculis ejus.* Psal. cxviii, 132 : *Adspice in me, et miserere mei.*

« *Et audivit orationem eorum.* » Exod. iii, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi.* Judicum, ii, 18 : *Flectebatur Dominus misericordia, et audiebat afflictorum gemitus, et liberabat eos de cæde vastantium.* Nota Glossam : « Talis est nobis, quales nos illi. »

« *Et memor fuit.* » Ecce secundum. 45
Aperte enim ait : Sic tribulationem adspexit, et eorum orationem audivit : « *et* » etiam « *memor fuit testamenti sui,* » æternæ promissionis suæ ad Abraham factæ. In Psalmo antecedenti, civ, 8 : *Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes.* Et alibi, Psal. xcvii, 3 : *Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel.*

« *Et pœnituit eum.* » Ecce secundum, in quo præmissis motivis ad miserandum, sequitur ipsa misericordia : et primo, exhibitio misericordiæ in amotione mali. Secundo, in exhibitione boni, ibi, ỳ. 46 : « *Et dedit eos in misericordias.* »

Dicit ergo : Sic motus fuit ad misericordiam per prædicta : « *et* » tunc « *pœnituit eum*, » id est, ac si pœniteret eum, fecit : quia cessavit affligere, et amovit inflictam pœnam : et « *secundum multitudinem misericordiæ suæ*, » magis quam meritis illorum. Jerem. xviii, 8 : *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Et hoc « *secundum multitudinem misericordiæ suæ.* » In Oratione sua dixit Manasses : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.*

« *Et dedit eos.* » Hic secundum, in 46
quo ostenditur boni exhibitio ex misericordia : et dicuntur duo. Primo, bonorum collatio. Secundo, magnitudo usque ad admirationem adversantium, ibi, « *In conspectu.* »

Ait enim : Sic pœnitens fuit mala amovendo, « *et* » etiam, « *dedit eos in*

misericordias, » id est, ex misericordia dedit eis bona multa. Et hoc, « *in conspectu eorum qui ceperunt eos,* » hoc est, tanta fuit in eis gratia, ut etiam inimicis, qui eos captivaverunt, placerent, secundum quod legitur de Tob. I, 13 et 14: *Dedit illi,* scilicet Tobiæ, *gratiam Deus in conspectu Salmanasar, regis, et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.* Similiter de Daniele, Daniel. I, 9: *Dedit Deus Danieli gratiam et misericordiam in conspectu principis eunuchorum.* Et, II, 48: *Rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna dedit ei: et constituit eum principem super omnes provincias Babylonis.* Sic de Joseph, Genes. XL et XLI. Vel, dedit eis misericordias, non in occulto, sed « *in conspectu omnium qui ceperant eos,* » ut inde confunderentur inimici eorum.

Sic Dominus in conspectu dæmonum qui animas seducunt et capiunt, aliquando facit misericordias maximas, aperte liberando eas, et de faucibus eorum extrahendo, secundum illud Job, XXIX, 17: *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam:* quod est dæmonum magna illusio, Job, XL, 24: *Numquid illudes ei, quasi avi?* et bonorum Angelorum magna exsultatio, Luc. XV, 10: *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

47 « *Salvos fac nos.* » Præmissa Dei misericordia pro beneficiis exhibitis illi populo, et maxime in peccati dimissione, subjungitur hic supplicatio pro plena reconciliatione, ut erepti non tantum a culpa sed ab omni miseria, possint liberius confiteri et laudare: et dicuntur tria. Primo, supplicatio pro liberatione a captivitate et miseria. Secundo, ratio quare petit populum ab illa liberari, ibi, « *Ut confiteamur.* » Tertio, subjungitur interim divina laudatio a Propheta operante, quod laudetur Deus ab omni creatura humana, ibi, ℣. 48: « *Benedictus Dominus.* »

In prima, primo petit liberari a miseria quam sustinent in terra propria. Secundo, revocari a captivitate qua tenentur in terra aliena, ibi, « *Et congrega nos.* »

Dicit ergo: Hæc bona quæ præmisi, Dominus populo contulit, ex quibus laudandus est manifeste: et, o « *Domine Deus noster,* » *Domine,* qui potes: *Deus,* qui scis: *noster,* qui velle debes: « *salvos nos fac,* » a miseriis quas patimur. IV Reg. XIX, 19: *Nunc igitur, Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ quia tu es Dominus Deus solus:* et sic fecit et dixit, ℣. 34: *Protegam urbem hanc, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum.*

« *Et congrega nos,* » dispersos, « *de nationibus,* » in quibus dispersi sumus. Apparet, quod Propheta non loquitur pro tempore suo: tunc enim non erant dispersi: sed pro temporibus captivitatum variarum, quas postea videbat passurum populum propter iniquitates suas: et exauditus est. Jerem. XXXI, 8: *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ.* Et, XXXII, 37: *Ecce ego congregabo eos de universis terris ad quas ejeci eos in furore meo... : et reducam eos ad locum istum.*

« *Ut confiteamur.* » Hic secundum, in quo tangitur finis petiti, scilicet liberationis, et congregationis: et tangitur duplex confessio: divinæ laudis primo. Secundo, exsultatio in tali confessione, ibi, « *Et gloriemur.* »

Dicit ergo: Sic petii salvari, et liberari: et hoc, « *ut confiteamur,* » confessione laudis, « *nomini sancto tuo,* » dicentes illud Eccli. LI, 1 et 2: *Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum: confitebor nomini tuo.* » Et illud Psal. LXXIV, 2: *Con-*

fitebimur tibi, Deus, confitebimur et invocabimus et nomen tuum.

« *Et gloriemur.* » Quasi diceret : Non tantum confiteamur, hoc enim parum esset, imo « *et gloriemur in laude tua,* » non in humana potentia, dicit Glossa. Debemus autem Deum laudare, et confiteri lætanter. Isa. LI, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* Debemus etiam suaviter, ut sentiamus dulcedinem in laude latentem, et saporemus eam. Psal. XXXIII, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Sic psallimus sapienter cum sapore. Psal. XLVI, 7 et 8 : *Psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.* Si gustamus et saporamus, dulcem eum invenimus. Et Cassiodorus dicit : « Quanto ille nobis dulcescit, tanto illi efficimur chariores. » Ex toto corde diligamus Deum, ut ex toto corde ab eo diligamur. Debemus etiam laudareglorianter, sicut hic dicitur. Augustinus : « Suavis est Deo nostra laudatio, si nos in Domino gloriamur. »

Debemus laudare Deum lætanter, suaviter, sapienter et glorianter.

48 « *Benedictus Dominus.* » Hic tertium, in quo Propheta prorumpit in laudem, iterum videns implendum quod petiit : et dicuntur duo. Primo, benedicit optando quod perpetuo sit benedictus. Secundo, prædicit quod sic fiet, ibi, « *Et dicet omnis populus.* »

Dicit ergo : Sic petii salvationem et liberationem ad laudandum : et interim dico : « *Benedictus,* » supple, sit, « *Dominus Deus Israel,* » non ad tempus, sed « *a sæculo,* » id est, ab æterno, « *et usque in sæculum,* » hoc est, usque in æternum. Quasi diceret : Sicut ejus benedictio et beatitudo non habuit principium, sic careat et fine. I Paralip. XVI, 36 : *Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum.* Eccli. LI, 15 : *Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione.*

« *Et dicet.* » Quasi diceret : Sic laudando et benedicendo petii, et sic fiet, et est : « *Et dicet omnis populus,* » a te liberatus et salvatus : « *Fiat! fiat!* » Unum *fiat* notat in laudante populo libertatem, alterum replicatum notat æternitatem. Libere enim et æterne laudabit omnis populus suus, et ob hoc beatus. Psal. LXXXII, 5, supra : *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te :* de quorum numero nos faciat, qui est benedictus per omnia, etc.

PSALMUS CVI.

Laudandus Deus qui suos bonis cumulat, et se invocantes a periculis liberat.

Alleluia. (*Judith*, XIII, 21).

1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

2. Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos,

3. A solis ortu, et occasu, ab aquilone, et mari.

4. Erraverunt in solitudine, in inaquoso : viam civitatis habitaculi non invenerunt.

5. Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.

6. Et clamaverunt ad Dominum cum

tribularentur, et de necessitatibus eorum eripuit eos :

7. Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.

8. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

9. Quia satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis.

10. Sedentes in tenebris et umbra mortis : vinctos, in mendicitate et ferro.

11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei, et consilium Altissimi irritaverunt.

12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum : infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

13. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos.

14. Et eduxit eos in tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit.

15. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.

16. Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit.

17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter injustitias enim suas humiliati sunt

18. Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.

19. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum liberavit eos.

20. Misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum.

21. Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

22. Et sacrificent sacrificium laudis, et annuntient opera ejus in exsultatione.

23. Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis,

24. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.

25. Dixit, et stetit spiritus procellæ, et exaltati sunt fluctus ejus.

26. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.

27. Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius : et omnis sapientia eorum devorata est.

28. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur : et de necessitatibus eorum eduxit eos.

29. Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus.

30. Et lætati sunt quia siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis eorum.

31. Confiteantur Domino misericordiæ ejus : et mirabilia ejus filiis hominum.

32. Et exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.

33. Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim :

34. Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.

35. Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum.

36. Et collocavit illic esurientes, et constituerunt civitatem habitationis :

37. Et seminaverunt agros et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum nativitatis.

38. Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis : et jumenta eorum non minoravit.

39. Et pauci facti sunt et vexati sunt, a tribulatione malorum et dolore.

40. Effusa est contemptio super principes : et errare fecit eos in invio, et non in via.

41. Et adjuvit pauperem de inopia, et posuit sicut oves familias.
42. Videbunt recti, et lætabuntur [1] : et omnis iniquitas oppilabit os suum.
43, Quis sapiens et custodiet hæc? et intelliget misericordias Domini?

IN PSALMUM CVI

COMMENTARIUS.

« *Alleluia*[2]. »

« *Confitemini Domino, quoniam bonus.* » Hic est Psalmus centesimus sextus in toto libro, sextus vero in tertia parte libri. Postquam enim egit in Psalmo centesimo quarto de beneficiis Abrahæ et semini exhibitis, semini, inquam, bono et justo, et in centesimo quinto de beneficiis exhibitis semini ejus malo et impio, sed tandem per pœnitentiam converso, hic' tandem in hoc centesimo sexto invitat ad laudem pro beneficiis

Argumentum Psalmi: Suadet iterum alleluiatica gaudia ex beneficiis generaliter exhibitis.

[1] Job, xxii, 19.

[2] Quoique ne faisant pas partie du même livre que les deux précédents, ce psaume semble pourtant avoir avec eux des rapports assez saillants. Au psaume CIV, Dieu comble son peuple de bienfaits, et l'établit dans les terres (*baartsoth*) des nations, ℣. 44 ; au psaume CV, le peuple ne répond aux bienfaits de Dieu que par l'ingratitude, et le Seigneur menace de le disperser dans les terres (*baartsoth*) des nations, ℣. 27 ; au psaume CVI, la menace s'est réalisée, mais Dieu toujours miséricordieux, vient de rappeler son peuple des terres (*mearatsoth*) des nations, ℣. 3. Beaucoup d'idées et beaucoup d'expressions sont communes aux trois psaumes. Toutefois ces ressemblances n'autorisent pas à leur supposer le même auteur. Les deux précédents sont historiques ; celui-ci est une hymne d'actions de grâces composée, selon toute apparence, après le retour de la captivité de Babylone, sans rien qui indique le poète auquel elle est due. Son caractère lyrique, sa disposition artistique, son style très imagé tranchent d'ailleurs nettement avec la simplicité des psaumes CIV et CV. Plusieurs auteurs le font chanter à la fondation du Temple qui suivit d'un an le retour de Babylone ; Esdras raconte en effet qu'à cette occasion, *concinebant in hymnis, et confessione Domino : Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel.* I Esdr. iii, 10, 11. Aucun des psaumes qui commencent par ce verset ne semble mieux convenir que celui-ci à la solennité en question. Le ton joyeux du psalmiste, remarque Schegg, et le silence sur toute hostilité étrangère, sont aussi pleinement en faveur de cette supposition.

Il est plus difficile de déterminer catégoriquement le vrai sens à donner au psaume. Plusieurs critiques, Riehm, Perowne, etc., ne voient là qu'une description des divers incidents de la vie humaine, et un chant d'actions de grâces à Celui qui prête son secours à toute espèce de malheureux. S'il en était ainsi, avait déjà dit Rosenmüller, le psalmiste eût choisi d'autres exemples plus en rapport avec la vie de ceux qu'il voulait instruire, et plus capables d'émouvoir un peuple agricole que la description d'un naufrage. On s'accorde plus généralement à tout entendre du retour de la captivité. « Avant de retrouver la terre de ses pères « sur laquelle il est rétabli, dit Delitzsch, le « peuple a vu à l'étranger le péril sous toutes « ses formes ; il parle donc de toutes les sortes de délivrances qui lui sont venues de « Dieu. L'invitation au sacrifice d'actions de « grâces se divise en conséquence en plusieurs « tableaux, qui ne sont pas seulement des représentations allégoriques de l'œil, mais qui « bien plutôt retracent sous forme d'exemples « les périls courus à l'étranger. » Cette dernière idée, toutefois, est assez difficile à justifier : que les Juifs captifs aient été parfois des voyageurs égarés, des prisonniers enchaînés, des malheureux accablés de maladie, on peut le concevoir jusqu'à un certain point ; mais le quatrième tableau qui les représente comme des navigateurs échappés au naufrage ne peut guère se prendre littéralement, ou bien il faudrait supposer que ceux qui avaient fui en Egypte revinrent en Palestine par mer et coururent de grands dangers pendant la traversée, ce qu'aucune donnée historique n'autorise à affirmer. Il est donc plus probable que l'allégorie a quelque part dans l'œuvre du psalmiste, et qu'une forme idéale et poétique a été

exhibitis omnibus generaliter, scilicet pro redemptione et liberatione a captivitate, quæ ad omnes respiciunt generaliter : omnes enim quantum in se fuit, Dominus redemit, nec destruxit. Unde bene significata fuit redemptio hæc, et liberatio, per redemptionem Judæorum de captivitate Babylonica, quæ omnibus fuit generalis, tam bonis quam malis. Nec determinatur de peccatis et pœnis redeuntium, sed tantum de reditu ipsorum et adventu in Jerusalem. Unde secundum litteram videtur quodammodo Psalmus tangere de illa reversione. Et propter hoc in titulo duplex præponitur *Alleluia* [1] : unum pro liberatione a malo, alterum pro revocatione ad bonum. Quid autem sit *Alleluia*, superius dictum fuit.

Dividi autem potest in duas partes totus Psalmus, quamvis aliter secundum Glossam. Primo, invitat ad Dei laudem multiplici ratione. Secundo, ostendit quibus eum convenit laudare, ibi, ỳ. 42 : « *Videbunt recti.* »

In prima duo. Primo, invitat ad Dei laudem. Secundo, subdit statim laudis rationem, « *Quoniam bonus.* »

I Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic « *confitemini* » confessione peccati, et præcipue laudis, « *Domino,* » ad honorem Domini. Tob. XIII, 10 : *Benedicite Dominum, omnes electi ejus : agite dies lætitiæ, et confitemini illi.* Confitemini primo culpam : post, agendo diem lætitiæ, subjungite laudem. Et nota Glossam : « Hoc nequit « optime, etc. Potest quidem qui non « gustavit, hoc aliqualiter facere, sed op- « time non potest. Bene quidem confi- « tetur, qui peccatum evomit, melius qui « laudat, sed optime, qui elevato intel- « lectu et affectu gustat. Hic enim totus « rapitur in ejus laudem. » Propter hoc ad hunc gustum nos invitat, Psal. XXXIII, 9 : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus,* etc. Confitemini ergo, *si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus* [2].

« *Quoniam bonus.* » Hic secundum, in quo subjungit rationes quare confitendum : et primo in universali, et quasi generaliter. Secundo, descendendo ad specialia beneficia specialiter, ibi, ỳ. 4 : « *Erraverunt in solitudine.* »

In prima duo. Primo, ratio laudis ex beneficiis universaliter comparatione ad laudandum. Secundo, comparatione ad laudantes, ibi, ỳ. 2 : « *Dicant nunc.* »

Ex parte Dei duplex sumitur ratio. Una, « *quoniam bonus,* » bona conferendo : alia, quoniam misericors, malum amovendo et miseriam : misericordia

prêtée aux souffrances d'un passé heureusement terminé par la délivrance et la joie. Ainsi expliquent Théodoret, Schegg, Thalhofer, Patrizi, etc.

Théodoret est le seul des anciens qui signale le sens historique de ce psaume, « servitutis « libertatem per inexplicabilem Dei benignita- « tem Judæis concessam. » Mais il indique aussitôt son sens prophétique et spirituel : « Quoniam in illis res nostræ adumbratæ sunt, « cernimus hoc in psalmo nostræ salutis vati- « cinationes. » Cf. Euseb. Demonst. evang. VI, 7. S. Prosper entend tout des « redempti qui in « toto orbe terrarum de magna et lata Ægypto, « quasi per mare Rubrum, baptismum sacra- « tum Christi sanguinis, liberantur : » et il note dans le psaume quatre épreuves dont le Sauveur délivre : 1° la solitude de l'erreur et de l'ignorance où l'homme dépérit, quand la nourriture de la sagesse lui manque ; 2° les passions qui enchaînent et empêchent de marcher dans la voie du bien ; 3° le dégoût de la vertu ; 4° le péril que court le guide des âmes et qui met nécessairement celles-ci en danger. Entendu de la rédemption et de la délivrance des âmes arrachées à la puissance du démon, le psaume est encore plus clair, plus expansif, plus poétique et plus sublime que dans son sens littéral.

H. Lesêtre

[1] Vulgata unum tantum habet *Alleluia*.

[2] I Petr. II, 3.

enim miseriam respicit, ibi, « *Quoniam in sæculum.* »

Dicit ergo : Sic confitemini, « *quoniam bonus,* » suavis scilicet, et dulcis. Sapient. XII, 1. *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* Si ergo bonitas est ratio laudis, qui bonitatem non sensit, quomodo laudabit ? qui verum non gustavit, quomodo laudabit ? Propter hoc dicit Cassiodorus : « Qui gustare renuit, minime confitetur. « Petrus gustavit in monte Thabor dul« cedinem Dei, et ibi voluit remanere, « et tabernacula fabricare. *Domine*, in« quit, *bonum est nos hic esse*, etc[1]. « Gustus transit, et negavit[2]. »

« *Quoniam in sæculum.* » Ecce secundum hujus particulæ. Quasi diceret : Non solum laudandus, quoniam bonus bona transfundendo, imo, « *quoniam in sæculum misericordia ejus,* » hoc est, in æternum super miseros ad removendum mala. Psal. CXVI, 2 : *Confirmata est super nos misericordia ejus.* Et Augustinus dicit : « In nonnullis Scripturarum « locis, *In sæcula*, idem est, quod *in* « *æternum.* »

« *Dicant nunc qui redempti sunt.* » Hic secundum, in quo sumitur generalis ratio ex parte laudantium, scilicet ipsorum redemptio: unde dicuntur duo. Primo, redemptio. Secundo, a quo, et quomodo sunt redempti, ibi, « *Quos redemit.* »

Dicit ergo : Sic confitemini, quoniam bonus et misericors : et etiam « *qui redempti sunt a Domino,* » eo ipso quod redempti, « *dicant nunc,* » confessionem laudis et peccati. Isa. XLVIII, 20 : *Auditum facite hoc, et efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite : Redemit Dominus servum suum Jacob.* Sed quo pretio ? Petrus determinat, I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine*, etc.

« *Quos redemit.* » Hic secundum, in quo ostendit a quo, et quomodo sunt redempti : et tanguntur duo. Primo, liberatio a subjectione qua erant subjecti inimico. Secundo, a dispersione per totum mundum, ibi, « *Et de regionibus.* » A quo et quomodo sumus redempti ?

Dicit ergo : Sic confiteantur redempti, « *quos,* » id est, quia illos « *redemit de manu inimici,* » id est, de potestate sub qua tenebantur captivi. Jerem. XXXI, 11 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris.* Et subdit, ℣. 12 : *Et venient, et laudabunt in monte Sion.* Hujus redemptionis pretium misit Deus in Filii incarnatione, in sacco mortalitatis nostræ, quem assumpsit Filius de tela mundissima, Virgine Maria. Jonæ, III, 6 : *Surrexit*, rex scilicet, *de solio suo,... et indutus est sacco.* Sed ipsum pretium de sacco exposuit in nativitate : unde tunc cantat Ecclesia tamquam gratias agens : « Redemptionem misit Dominus populo suo. » Sed saccus, ut exiret de pretio aliquid, scissus est in Circumcisione. Luc. II, 21 : *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer*, ut saccus gloriosæ carnis ejus scinderetur. Sed latissime scissus est, et ruptus, et conscissus in sua Passione, ut totum pretium effunderetur. Psal. XXIX, 12 : *Conscidisti saccum meum*, et sic redempti omnino. Osee, XIII, 14 : *Ce manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.*

« *De regionibus.* » Hic liberatio a dispersione : unde dicuntur duo. Primo, congregatio ex locis diversis. Secundo, illorum locorum specificatio, ibi, ℣. 3 : « *A solis.* »

Ait ergo : Sic redemit, « *et congregavit eos,* » in fidei et Ecclesiæ unitatem, « *de regionibus.* » Jerem. XXXI, 10 : *Annuntiate in insulis quæ procul sunt, et*

[1] Matth. XVII, 4.

[2] Matth. XXVI, 69 et seq.

dicite : Qui dispersit Israel, congregabit eum. Isa. XI, 12 : *Levabit* Dominus *signum*, crucis, *in nationes* procul, *et congregabit profugos Israel.* Zachar. X, 8 : *Sibilabo eis, et congregabo illos.*

3 « *A solis ortu.* » Ecce secundum, in quo specificat unde congregabit, tangens aperte quatuor partes mundi.

Ait enim : Sic congregandi, sed unde ? « *A solis ortu,* » hoc est, ab Oriente, « *et occasu,* » hoc est, ab Occidente, « *ab aquilone,* » aquilonari parte scilicet, « *et mari,* » australi parte. Ad litteram enim Oceanum habet terra Jerusalem ad Austrum. Nec mirum, quia circuit totam terram. Isa. XLIII, 5 et 6 : *Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni : Da : et austro : Noli prohibere.* Jerem. XXXI, 8 : *Adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ.* Matth. VIII, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob.*

4 « *Erraverunt in solitudine.* » Hic secundum totius illius partis, in quo subjungitur ratio laudis. Tacta enim ratione quare laudandus quasi in generali, hic tangitur in speciali, tangendo beneficia specialia quatuor, et secundum hoc quatuor partes sunt hic. Primum est liberatio a miseria in via. Secundum, liberatio a miseria quam habuerunt in ipsa Babylone, ibi, ỳ. 10 : « *Sedentes in tenebris.* » Tertium, liberatio a malo et difficultate quam habuerunt in recessu, ibi, ỳ. 23 « *Qui descendunt.* » Quartum, liberatio a terrore Babyloniorum post liberationem, ibi, ỳ. 32 : « *Et exaltent.* »

In prima dicuntur tria. Primo, tangitur malum quod fuit in progressu in Babylonicam civitatem. Secundo, clamor ad Deum pro malo illo, ibi, ỳ. 6 : « *Et clamaverunt.* » Tertio, confessio laudis pro liberatione a malo illo, ibi, ỳ. 8 : « *Confiteantur Domino.* »

In prima tria secundum tria mala in via. Primum, error et ignorantia viæ. Secundum, carentia loci ad quiescendum in nocte, ibi, « *Viam civitatis.* » Tertium, defectus cibi et potus, et in die et in nocte, ibi, ỳ. 5 : « *Esurientes et sitientes.* »

Dicit ergo : Sic monui ut confiteamini, quia « *erraverunt in solitudine,* » quæ, inquam, solitudo erat « *in inaquoso,* » supple, loco : quidam fugientes, et vagantes, tamquam profugi Cain super terram [1]. Alii capti sunt ab inimicis non evadentes, sicut Sedecias, IV Reg. XXV, 4 et 5 : *Fugit itaque Sedecias per viam quæ ducit ad campestria solitudinis, et persecutus est exercitus Chaldæorum regem.*

Sic spiritualiter contingit quod in deserto, et in inaquoso, ubi nulla est lacrymarum abundantia, sed omnis indevotio, ibi erratur. Jerem. XVII, 6 : *Habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis, et inhabitabili.* Importabile enim tale claustrum, et erratur ibi. Isa. XVI, 8 : *Erraverunt in deserto.*

« *Viam civitatis.* » Hic secundum malum. Quasi diceret : Sic erraverunt, et « *non invenerunt viam civitatis,* » supple, Babylonicæ, « *habitaculi* » esse. Quasi diceret : Nullum invenerunt in via illa habitaculum. Non leguntur habitaculum invenisse, donec venerunt in Babylonem. Nec mirum, quia non erant in via, sed extra.

Sic notandum, quod Christus est in quo solo quiescendum est, Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidete, ego vici mundum.* Ipse est habitaculum nostrum, Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* Sed ad ipsum habitaculum non ve- In Christo solo quies.

[1] Cf. Genes. IV, 12.

nitur nisi per ipsam viam, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita*, sed ipse ut recta via ducit nos ad seipsum. Hilarius : « Nos in erronea via non ducit « Christus, qui est via : nec per falsa, « qui veritas est : nec in mortis relinquit « errore, qui vita est. » Ab hac errant qui dicturi sunt, Sapient. V, 6 : *Erravimus a via veritatis :* et propter hoc ad habitaculum non perveniunt. Eccle. X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.*

5 « *Esurientes et sitientes.* » Hic tertium malum, scilicet defectio cibi et potus. Et primo, defectus. Secundo, effectus sequens ex illo, ibi, « *Anima eorum.* »

Dicit ergo : Sic errabant, habitaculum non inveniebant, et erant præ inopia « *esurientes,* » non habentes cibum, « *et sitientes,* » non habentes potum. Sic implebatur in ipsis illud quod Moyses prædixerat comminando, Deuteron. XXVIII, 20 : *Mittet Dominus super te famem et esuriem.* Et post, ỷ. 48 : *Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria.* Et sic, « *anima eorum tabescebat*[1] *in ipsis :* » toti erant fame, et miseria tabidi, et squallentes. Baruch, II, 25 : *Mortui sunt in doloribus pessimis, in fame et in gladio, et in emissione.* Recte qui non habitant in Christo, et errant ab ipso via vera, vacui et esurientes sunt, quia carent doctrina verbi Dei solidiori : et sitibundi, quia carent doctrina faciliori. Amos, VIII, 11 : *Mittam famem in terram : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Hæc fames in Gentilibus Philosophis, qui desiderabant refici veritate et potari, sed nihil capiebant quod eos reficeret. Proverb. XIII, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.* Hæc est enim amicorum mensa, quibus dicitur, Cantic. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Et propter hoc tabefacta est in ipsis anima, et mortui sunt. Thren. II, 19 : *Leva ad Deum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Isa. V, 13 : *Nobiles ejus interierunt fame, et multitudo ejus siti exaruit.*

« *Et clamaverunt.* » Hic secundum 6
totius hujus partis. Descripta enim miseria quam transeundo in Babylonem sustinuerunt, hic subjungitur de clamore afflictorum pro illa amovenda : et dicuntur tria. Primo, clamor ad Deum, et vociferatio pro illa miseria. Secundo, illorum ereptio ab illa, ibi, « *Et de necessitatibus.* » Tertio, tangitur modus acceptionis, ibi, ỷ. 7 : « *Et deduxit illos.* »

Dicit ergo : Sic fuerunt in miseria et tribulatione, « *et* » tunc « *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.* » Psal. CXIX, 1 : *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.*

« *Et de necessitatibus.* » Hic secundum, liberatio. Sic clamaverunt, « *et de necessitatibus,* » scilicet inevitabilibus, « *liberavit eos.* » Talia mala sua vocabat *necessitates.* Supra, in Psal. XXIV, 17 : *De necessitatibus meis erue me.* Et sicut illos corporaliter, sic clamantes ad se spiritualiter, pro defectu veritatis, liberat efficaciter. Baruch, IV, 21 : *Clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum.* Et hoc in ipso clamore, vel ante ipsum clamorem. Isa. LXV, 24 : *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* Supra, in Psal. X, 17 : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.*

« *Et deduxit eos.* » Hic tertium, mo- 7
dus scilicet liberationis : in quo dicuntur

[1] Vulg. habet, *defecit.*

duo. Primo, liberatio ab errore. Secundo, a defectu receptaculi, vel loci ad quiescendum, ibi, « *Ut irent.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod ipsos liberavit, sed a quibus, et quomodo ? Addit : « *Et deduxit eos,* » de via erronea dirigens illos, « *in viam rectam.* » Et ad quid ulterius ? « *Ut irent in civitatem habitationis,* » id est, per civitates et loca, ubi habitacula invenirent. Hoc tamen etsi nusquam legatur in historia, tamen potuit esse factum. Ad hoc tamen posset adduci illud Jerem. xxxi, 9 : *Adducam eos per torrentes aquarum in via recta, et non impingent in ea.*

Sed spiritualiter clamantes ad Dominum in deserto, præ fame, et siccitate, et errore, Dominus dirigit, ostendens rectitudinem semitarum consilii divini. Isa. xxxv, 8 : *Et hæc erit vobis recta via, ita ut stulti non errent per eam.* Et hoc, ut eant, non sedeant, in civitatem habitationis, in illam supernam Jerusalem, dicentes illud Apostoli, ad Hebr. xiii, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus,* quæ est civitas habitationis. Eccli. xxiv, 14 : *In habitatione sancta coram ipso ministravi.* Et, in Psal. lxxxvi, 7 : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

8 « *Confiteantur Domino.* » Hic tertium totius hujus partis, scilicet gratiarum actio, vel exhortatio ad gratiarum actionem pro illa liberatione : et dicuntur duo. Primo, invitat ad gratiarum actionem. Secundo, subdit gratiarum actionis rationem referendo beneficium, quod quasi siluerat, ibi, « *Quia satiavit.* »

In prima duo. Primo, ut laudando confiteatur misericordiam a malo liberantem. Secundo, ut confiteatur mirabilia ejus, et potentiam bona exhibentem, ibi, « *Et mirabilia ejus.* »

Dicit ergo : Sic liberavit, et ob hoc moneo : « *Misericordiæ ejus,* » quibus a malo liberat, quæ multæ sunt in effectibus, una tamen in essentia et natura, « *et mirabilia ejus,* » quibus magna facit, et bona dat, exhibita, « *filiis hominum,* » qui hoc non merentur, sed magis oppositum, « *confiteantur Domino,* » id est, sint materia laudis Domini et confessionis. Dicit enim Tobias in cap. xii, 6 : *Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Et rursus, in eodem, ℣. 28 : *Benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.* Supra, in Psal. ix, 2 : *Narrabo omnia mirabilia tua.*

9 « *Quia satiavit.* » Hic secundum, scilicet ratio quare confitendum illi, et quare laudandus, scilicet refectio esurientium : et tanguntur duo. Primum, refectio. Secundo, quo sint refecti, ut major gratia appareat, ibi, « *Et animam esurientem.* »

Dicit ergo : Sic confiteantur Domino misericordiæ, et dignum est, « *quia satiavit animam inanem,* » proficiscentium in Babylonem, quæ inanis erat præ fame. Et quomodo ? Addit : « *Et animam esurientem satiavit,* » non pravis cibis, sed « *bonis,* » juxta illud Luc. i, 53 : *Esurientes implevit bonis.* Et quod dicit *animam,* partem sumit pro toto, per synecdochen, sicut illud Exod. i, 5 : *Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta.* Proprie tamen ad redemptos loquitur, et etiam de redemptis : animas enim sanat Deus. Jerem. xxxi, 25 : *Inebriavi animam lassam, et omnem animam esurientem saturavi.* Aliter deficerent in via. Marc. viii, 3 : *Si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via.* Sed quo cibo ? seipso in altaris sacramento. Joan. vi, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Et, Matth. xxvi, 26 : *Accipite et comedite : Hoc est corpus meum.* Dat panem similagineum de farina delicatissima. Psal. cxlvii, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Dat panem pinguissimum per effectum. Genes. xlix,

Multiplici cibo reficiuntur humiles.

20 : *Aser, pinguis panis ejus.* Et propter hoc dicitur, Jerem. xxxi, 14 : *Animam sacerdotum inebriabo pinguedine.* Chrysostomus : « Carnem assumptam proposuit pro nobis in edulium, ut per cibum « invitaret nos ad gustum divinitatis. » Item, virtutibus et donis reficit, et corde mundo et securo. Psal. lxxvii, 72 : *Pavit eos in innocentia cordis sui.* Proverb. xv, 15 : *Secura mens, quasi juge convivium.* Tertio, ipso temporali bono. Isa. i, 19 : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis.* Psal. cxliv, 15 : *Tu das escam illorum in tempore opportuno.* Sed nota, quod dicit animam *inanem*, seu vacuam per humilitatem [1]. *Esurientem* per charitatem. Tanta enim vis charitatis est et esuries, ut non sufficiat jam cibus temporalis, sed totum mundum Deus projiciat in os ejus : nec aliqua specialis virtus aut donum, in ipsa enim est ignis : et Proverb. xxx, 16, dicitur : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Sed ipsum Deum devorare quærit. Psal. lxviii, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me.* Job, xl, 18 : *Ecce, absorbebit fluvium*, temporalium virtutum et donorum, *et non mirabitur : et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.*

10 « *Sedentes in tenebris.* » Hic secundum, in quo agitur de secundo beneficio, quod est eis exhibitum liberando eos a miseria quam sustinuerunt in ipsa Babylone. Et primo, incarceratorum tangitur beneficium. Secundo, non incarceratorum, ibi, ℣. 18 : « *Omnem escam.* »

In prima dicuntur quatuor. Primo, ipsorum in Babylone incarceratio, et afflictio. Secundo, incarceratorum et laborantium clamor ad Deum, et supplicatio, ibi, ℣. 13 : « *Et clamaverunt.* » Tertio, clamantium liberatio, ibi, « *Et de necessitatibus.* » Quarto, invitatio ad gratiarum actionem pro liberatione illa, ibi, ℣. 15 : « *Confiteantur Domino.* »

In prima duo secundum duplicem illorum miseriam, quam tangit. Primo, incarcerationem. Secundo, in laboribus afflictionem, ibi, ℣. 12 : « *Et humiliatum est.* »

In prima duo. Primo, tangitur incarcerationis et vinculorum pœna. Secundo, pœnæ causa, ibi, ℣. 11 : « *Quia exacerbaverunt.* »

In prima duo. Primo, monstratur carceris obscuritas vehemens, et immoderata. Secundo, crudelitas, ibi, « *Vinctos.* »

In prima : primo, obscuritas. Secundo, obscuritatis immensitas, ibi, « *Et umbra.* »

Dicit enim : Sic satiavit eos postmodum « *sedentes* » in Babylonia, « *in tenebris,* » *in* carcere scilicet tenebroso, « *et umbra mortis,* » ita scilicet tenebroso, ut quasi mors, et morti aliquid simile videretur. Thren. iii, 6 : *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.*

Spiritualiter in tenebris sedent, qui in peccatis quiescunt, quæ perpetrant. Peccatum enim tenebra dicitur, quia tenebrosam facit animam. Ad Ephes. v, 8 : *Eratis aliquando tenebræ*, etc. « *Et umbra mortis* » æternæ, quia ad ipsam est via, sicut umbra ducit ad illud cujus est umbra. Hinc dicitur in Psal. cxlii, 3 : *Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi*, non adhuc sicut mortuos inferni. Sed Dominus tales visitat aliquando, et illuminat. Isa. ix, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Luc. i, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.*

« *Vinctos.* » Hic tangitur carceris crudelitas, in defectu boni, quod notatur in mendicitate : et præsentia mali, quod notatur in ferrea vinculatione, ibi, « *Et ferro.* »

Ait enim : Sic sedentes in tenebris et umbra mortis visitavit, vel adjuvit : et etiam « *vinctos ferro :* » ecce dura

[1] Cf. IV Regum, 3 et seq., ubi vasa vacua replet Eliseus.

vinculatio : et hoc, « *in mendicitate*, » in defectu et inopia omnis boni. Improbatur in illis, quod comminatus est Moyses, Deuter. xxviii, 48 : *Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, et siti, et nuditate, et omni penuria : et ponet jugum ferreum super cervicem tuam.* Baruch, i, 9 : *Posteaquam cepisset Nabuchodonosor, rex Babylonis, Jechoniam, et principes, et cunctos potentes,... duxit eos vinctos in Babylonem.* Isa. xxii, 3 : *Dureque ligati sunt.* Sic peccatum fortiter, et dure valde ligat hominem. II Esdræ, in oratione Manassæ : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo.* Et mendicum, et pauperrimum facit. Luc. xv, 14 et seq., de filio prodigo, qui porcorum siliquas quasi mendicabat : in regione enim longinqua cœpit egere. Proverb. xiv, 34 : *Miseros facit populos peccatum.*

11 « *Quia exacerbaverunt.* Hic præmissa pœna subjungitur causa, ut monstretur esse justa, scilicet ipsa culpa, quæ tangitur duplex. Contemptus legis Dei ei præcipientis multa. Secundo vero contemptus prophetiæ eis quod perfectum est consulentis, ibi, « *Et consilium.* »

Dicit ergo : Sic vidit sedentes in tenebris et vinctos ferro, quia « *ipsi exacerbaverunt,* » indignationem et crudelitatem notat : « *eloquia Dei,* » sibi per Mosyem data. Jerem. xxxii, 30 : *Filii Israel,qui usque nunc exarcerbant me in opere manuum suarum.*

« *Et consilium Altissimi,* » per Prophetas et prædicatores sibi datum, « *irritaverunt.* » Supra, Psal. cv, 29 : *Irritaverunt eum in adinventionibus suis.* Jerem. xxxviii, 15, dixit Jeremias ad Sedeciam : *Si consilium dedero tibi, non me audies.* Peccatores exacerbant Deum, non servando præcepta ejus quando peccant in sæculo existentes. Ezech. xx, 21 : *Et exacerbaverunt me filii : in præceptis meis non ambulaverunt, et judicia mea non custodierunt.* Claustrales irritant Dei consilia, quia consilia Dei, quæ se servare promiserunt, non servant. Proverb. i, 25 : *Despexistis omne consilium meum, et increpationes,* etc. Ambo simul, in Psal. lxxvii, 56 : *Exacerbaverunt Deum excelsum : et testimonia ejus non custodierunt.* Propter hoc in carcere peccati digne detinentur. Baruch, iv, 6 et 7 : *Traditi estis adversariis vestris : exacerbastis enim eum qui fecit vos.*

« *Et humiliatum est.* » Hic secundum, in quo tangitur afflictio in laboribus, et potest referri ad diversos. Alii enim incarcerati erant, de quibus dixit : Alii laboribus afflicti, de quibus hic agit. Vel, ad eosdem. Potest enim esse, quod de die cogebant eos laborare, de nocte vero incarcerati erant, sicut supra dictum est : et dicuntur duo. Primo, afflictio et miseria in laborando. Secundo, carentia solatii in adjuvando, ibi, « *Nec fuit.* » 12

In prima duo. Primo, labor et afflictio cordis. Secundo, corporis, ibi, « *Et infirmati sunt.* »

Dicit ergo : Sic quantum ad incarceratos, vel sic de nocte erant incarcerati, et de die « *humiliatum est cor eorum,* » et hoc, « *in laboribus* » magnis et importabilibus. Supra, in Psal. cv, 42 : *Humiliati sunt sub manibus eorum.* Daniel. iii, 37 : *Sumus humiles in universa terra hodie propter peccata nostra.*

« *Et infirmati sunt,* » corpore. Thren. i, 14 : *Infirmata est virtus mea : dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere.* Hæc infirmitas, de qua David supra conquerebatur : *Sana me, Domine, quoniam infirmus sum* [1]. « *Nec fuit qui adjuvaret,* » et propter hoc labor parum profuit, et plus gravavit. Nota

[1] Psal. vi, 3 : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Glossam, « [Desistente Deo. » Eccli. LI, 10 : *Circumdederunt me undique, et non erat qui adjuvaret.*

13 « *Et clamaverunt.* » Hic secundum totius hujus partis, scilicet post afflictionem in Babylone clamor et afflictio.

Dicit enim : Sic afflicti sunt carceribus et laboribus : « *et cum tribularentur, clamaverunt ad Dominum.* » Isa. XIX, 20 : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem et propugnatorem qui liberet eos.*

« *Et liberavit eos de necessitatibus eorum.* » Hic tertium, liberatio : in quo duo. Primo, liberatio. Secundo, modus liberandi, ibi, ỳ. 14 : « *Et eduxit.* »

Expone sicut supra. Esther, XIV, 14 : Domine, *nos libera manu tua, et adjuva me nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam.* Et, ỳ. 16 : *Tu scis,* Domine, *necessitatem meam,* etc. Mich. IV, 10 : *Venies usque ad Babylonem : ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.*

14 « *Et eduxit eos de tenebris.* » Hic ostenditur modus liberationis : in quo dicuntur duo. Primo, ereptio vel eductio ipsorum a carceribus tenebrosis multum. Secundo, a vinculis, ibi, « *Et vincula.* »

Dicit ergo : Sic clamaverunt, et liberavit. Et quomodo ? Ecce : « *Et eduxit eos de tenebris,* » de carceribus scilicet tenebrosis, « *et umbra mortis,* » hoc est, vehementer horribilibus, et obscuris. Isa. XLIX, 8 et 9 : *Dedi te in fœdus populi, ut diceres his qui vincti sunt : Exite : et his qui in tenebris : Revelamini.*

« *Et vincula eorum disrupit.* » Psal. CXV, 16 : *Dirupisti, Domine, vincula mea,* etc. Isa. XLII, 6 et 7 : *Dedi te... in lucem Gentium, ut aperires oculas cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Jerem. XXX, 8 : *Conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus disrumpam, et non dominabuntur te amplius alinei.*

Et nota, quod peccatum dicitur *umbra mortis,* id est, simile morti. Primo, quia separat animam a Deo vita sua, sicut mors separat corpus ab anima. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Item, quia frigidum reddit ab amore Dei. Jerem. VI, 7 : *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* Item, quia contemptibilem reddit etiam amicis, scilicet Angelis. Jerem. IV, 30 : *Contempserunt te amatores tui,* Angeli scilicet, qui tam sollicite ad tui custodiam ex amore vigilabant. Item, quia fœtidum reddit per infamiam. Joel, II, 20 : *Ascendet fœtor, et ascendet putredo ejus, quia superbe egit.* Item, quia putrescere facit per obstinationem. Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Item, quia vermis eum jam corrodit, vermis, inquam, conscientiæ. Jerem. II, 19 : *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te.* Hic vermis, de quo Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.*

Quare peccatum dicitur umbra mortis ?

« *Confiteantur Domino.* » Hic quartum totius hujus partis, scilicet invitatio ad gratiarum actionem pro illa liberatione : et dicuntur duo. Primo, invitat ad laudis confessionem. Secundo, replicat laudis rationem, ibi, ỳ. 16 : *Quia contrivit.* » 15

Et divide sicut supra. Primo enim invitat ad laudem misericordiæ pro amotione mali. Secundo, mirabilium pro exhibitione boni, ibi, « *Et mirabilia.* » Misericordia a bonitate procedit, sed mirabilia a potentia : lege ut supra.

« *Quia contrivit.* » Hic secundum, scilicet ratio laudis, quæ tangitur duplex. Primo, liberatio ipsorum a carcere. Se- 16

cundo, a labore eos humiliante, ibi, ℣. 17 : « *Suscepit eos.* »

In prima duo. Primo, portarum destructio, quibus tenebantur. Secundo, vectium quibus portæ sustentabantur, ibi, « *Et vectes.* »

Dicit ergo : Sic confiteantur, et dignum est « *quia,* » supple, Dominus « *contrivit portas æreas,* » quibus tenebantur clausi, « *et confregit vectes ferreos,* » quibus portæ vehebantur. Isa. XLV, 2 : *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* In eodem, XLIII, 14 : *Detraxi vectes universos, et Chaldæos in navibus suis gloriantes.* Per portas æreas, consuetudines vitiorum : per vectes ferreos, et defensiones et excusationes. Cassiodorus : « Portæ æreæ sunt « consuetudines peccatorum vitiosæ, vectes ferrei, spiritus immundi, qui illas « januas peccatorum, ne circumdatos « exire liceat, obserare nituntur. » Sed Dominus totum destruit. Jerem. LI, 30 : *Devoratum est robur eorum:... contriti sunt vectes ejus.* Amos, I, 5 : *Conteram vectem Damasci.*

17 « *Suscepit eos de via.* » Hic secundum, a quo sunt liberati, quia a labore eos humiliante. Et dicuntur duo. Primo, liberatio. Secundo, ratio quare erant afflicti labore, additur, ibi, « *Propter injustitias.* »

Dicit ergo : Sic liberavit de carcere, et etiam « *suscepit eos,* » sursum ad se cepit, « *de via,* » quia ibant ad labores tota die, via, inquam, « *iniquitatis eorum,* » vel quia nequiter et irati ibant ad labores, vel quia iniquitas eorum hanc viam meruerat, sicut probat statim littera sequens. Exod. V, 17 et 18 : *Qui ait,* scilicet Pharao : *Vacatis otio, et idcirco dicitis : Eamus,* in desertum scilicet, *et sacrificemus Domino. Ite ergo, et operamini : paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum.* « *Propter injustitias enim,* etc. » Vel sic : Suscepit eos de via laboris in qua erant propter iniquitatem : « *enim,* » quia « *propter injustitias suas humiliati sunt,* » vilificati scilicet et dejecti. Baruch, II, 5 : *Facti sumus subtus, et non supra, quia peccavimus Domino Deo nostro.*

Spiritualiter laborant miseri in peccatis. Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.* Laborant in variis et superfluis rebus. Sapient. III, 11 : *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu.* Et tamen si volunt clamare et reverti ad Dominum, libenter suscipit illos, Jerem. III, 1 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te :* et gratanter valde, et lætanter, sicut pater filium prodigum suscepit [1]. Ezech. XX, 41 : *In odorem suavitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, et congregavero vos de terris in quas dispersi estis.* In hoc etiam monet nos peccatores non contemnere, sed suscipere. Ad Roman. XV, 7 : *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos.*

« *Omnem escam.* » Hic secundum totius illius partis, in qua agit de beneficio exhibito existentibus in ipsa Babylone. 18
Dicto enim de beneficio incarceratis in illa exhibito, hic secundo de exhibito non incarceratis : in quo dicuntur sicut in præcedenti quatuor. Primo, ipsorum pœna. Secundo, supplicatio pro illa amovenda, ibi, ℣. 19 : *Et clamaverunt.* » Tertio, liberatio illorum ab ea, ibi, « *Et de necessitatibus.* Quarto, admonitio de gratiarum actione pro illa, liberatione, ibi, ℣. 21 : « *Confiteantur Domino.* »

In prima duo secundum duplicem miseriam, in qua erant. Altera interior, cibi abominatio, quod est interius : et mortalis afflictio, quod est malum exterius, ibi, « *Et appropinquaverunt.* »

[1] Cf. Luc. XV, 22 et seq.

Dicit ergo : Sic afflicti et liberati sunt qui in carceribus erant : sed quid de aliis ? « *Omnem escam abominata est anima eorum.* » Primo interiori distemperantia et corruptione : et non tantum hoc, imo præ afflictione nimia, « *appropinquaverunt usque ad portas mortis.* » Modus est loquendi.

Multi fastidiunt cibum spiritualem, quare, et quam periculose?

Sic contingit spiritualiter, quod erepti de carcere peccati, et labore, etsi non redeant ad peccatum, tamen omnem escam sibi salubrem fastidiunt et abominantur, scilicet Dei verbum, quod est optimum condimentum. Matth. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Proverb. IX, 2 : *Sapientia... miscuit vinum, et proposuit mensam suam* : et valde bona cibaria in illa, palato sano præparavit. Isa. LV, 2 : *Audite, audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra.* Item, altaris Sacramentum, quod est cibus saluberrimus et suavissimus. Sapient. XVI, 20 : *Angelorum esca,* qui semper vivunt propter illam escam, *nutrivisti populum tuum,* Domine. De suavitate, infra : *Et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Tertia esca, mentis cibus tertius, contemplationis gustus, de quo Job, XXXVIII, 41 : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum ?* Eccli. XV, 3 : *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Sed has escas multi abominantur, et fastidiunt illas. Numer. XXI, 5 : *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Causa autem hujus est : quia aliis escis, id est, aliis scientiis, et delectationibus se replent. Eccli. XXXVI, 20 : *Omnem escam manducabit venter :* omnia vult audire, de omnibus vult scire, delectationes gustare : *et est cibus cibo melior.* Quasi diceret : Stultus est, omisso enim quod minus bonum est, deberet de meliori comedere. Etenim, Proverb. XXVII, 7, dicitur : *Anima saturata calcabit favum : et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Propter hoc dicitur, Eccli. XXXVII, 32 et 33 : *Non te effundas super omnem escam : in multis enim escis erit infirmitas.* Propter hoc Daniel abstinebat a cibis Nabuchodonosor[1], et Tobias a cibis Gentilium[2]. Non est modicum periculum fastidire cibos istos, ita ut possit dici de talibus illud Job, XXXIII, 22 : *Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis.* Et ipsi de seipsis : *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum*[3].

« *Et clamaverunt.* » Hic secundum, clamor et vociferatio pro liberatione. 19

Ait enim : Sic abominati sunt, et tunc « *cum sic tribularentur, clamaverunt ad Dominum.* » Psal. XXXIII, 18 : *Clamaverunt justi,* quando sentiunt se quodam tædio affici, *et Dominus exaudivit eos.* Baruch, III, 1 : *Domine omnipotens,... anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.*

« *Et de necessitatibus eorum.* » Hic liberatio, in qua dicuntur duo. Primo, liberatio. Secundo, modus liberationis, ibi, ℣. 20 : « *Misit verbum suum.* »

Dicit ergo : Sic clamaverunt : et statim « *liberavit eos de necessitatibus eorum.* » Expone ut supra. II Esdræ, IX, 27 : *In tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, et tu de cœlo audisti,* scilicet eos. Psal. XXXIII, 7 : *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.* Daniel. III, 88 : *Salvos nos fecit de manu mortis.*

« *Misit verbum suum.* » Hic secundum, scilicet modus liberationis, in quo 20

[1] Cf. Daniel. I, 8 et seq.
[2] Cf. Tob. I, 12.
[3] Eccli. LI, 9. Cf. Psal. LXXXVII, 3 : *Vita mea inferno appropinquavit.*

tanguntur tria. Primo, promissi adimpletio. Secundo, sanatio in corpore, ibi, « *Et sanavit.* » Tertio, ereptio a morte, quod consequens est ad secundum, ibi, « *Et eripuit.* »

Dicit ergo : Sic dixit, quod liberabit, sed quomodo? Ecce : « *Misit verbum suum,* » hoc est, implevit promissum, quod liberarentur post septuaginta annos de captivitate[1]. « *Et salvavit eos,* » ab illa escarum abominatione : « *et eripuit eos de interitionibus eorum,* » in quibus erant jam fere. I Esdræ, I, 1 : *In anno primo Cyri, regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri, regis Persarum : et traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens,* etc.

Verbum Dei creatum et increatum sanat et eripit a morte.

Spiritualiter autem legitur hoc de verbo creato, quod Dominus per prædicatores mittit, tamquam medicamentum ad sanandum a morbo peccati. Sapient. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Quid enim est prædicator nisi quidam pretiosorum unguentorum confector? Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis :* et liberat per consequens a mortibus, vel interitionibus inferni. Jacob. v, 19 et 20 : *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* De Verbo etiam æterno Dei Filio legitur, quem Deus misit, quando ipsum incarnari voluit. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* Ad Galat. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum,* etc., in similitudinem carnis peccati, ut ejus contritione et attritione sanarentur a morte culpæ. Isa. LIII, 5 : *Attritus est propter scelera nostra,* supple, curanda. In eodem : *Et livore ejus sanati sumus.* De interitionibus eripiemur in ejus gloriosa resurrectione, scilicet de limbo, ad quem omnes nos descendebamus, secundum illud Zachar. IX, 11 : *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Propter hoc dicitur, Jerem. XXX, 17 : *Obducam cicatricem tibi, et a vulneribus tuis sanabo te,* per utrumque verbum meum, creatum scilicet, et increatum.

« *Confiteantur Domino.* » Hic quartum, scilicet invitatio ad gratiarum actionem, et laudem pro tanto beneficio : et dicuntur duo. Primo, invitat ad confessionem laudis. Secundo, exprimit modum confessionis talis, ibi, ỷ. 22 : « *Et sacrificent.* » 21

In prima duo. Primo, invitat ad laudandum miseriam amoventem. Secundo, ad potentiam, per quam fiunt mirabilia, beneficia conferentem, ibi, « *Et mirabilia ejus.* »

Dicit ergo : Sic fecit, et propter hoc « *confiteantur Domino misericordiæ ejus,* » id est, materiam exhibeant confessionis laudatoriæ « *filiis hominum* » exhibitæ. Non vult hic ut tradamus oblivioni Dei misericordias, qui toties hoc inculcat. Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis.* Psal. LXXXVIII, 2 : *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

« *Et mirabilia ejus,* » sint laudis materia, « *filiis hominum,* » repete ostensa in beneficiorum exhibitione. Apocalyps. XV, 3 : *Cantantes canticum Moysi, servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens.* Eccli. XI, 4 : *Mirabilia opera Altissimi solius, et gloriosa, et absconsa, et invisa opera illius.*

[1] Cf. Jerem. XXV et XXIX.

22 « *Et sacrificent.* » Hic exprimit confessionis et laudis modum, quem tangit in duobus. Primo enim monet ad confessionem laudis in ore. Secundo, ad devotionem in laudando in corde, ibi, « *Ut annuntient.* »

Dicit ergo : Sic dico, quod confiteantur, « *et* » in confitendo « *sacrificent sacrificium laudis,* » vocalis. Osee, XIV, 3 : *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Et in Psal. CXV, 17 : *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Et alibi, Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me.* Propter hoc dicit Paulus, ad Hebr. XIII, 15 : *Offeramus hostiam laudis semper Deo.*

« *Et annuntient opera ejus.* » Quomodo? « *In exsultatione,* » supple, cordis et corporis. Psal. LXII, 6 : *Labiis exsultationis laudabit os meum.* Tob. XIII, 10 : *Benedicite Dominum, omnes electi ejus : agite dies lætitiæ, et confitemini illi.*

23 « *Qui descendunt mare.* » Hic tertium, in quo agitur de beneficiis exhibitis in reversione : et divide in quatuor sicut et præcedentia. Primo, tanguntur mala et adversa revertentium. Secundo, clamor pro liberatione, ibi, ỳ. 28 : « *Et clamaverunt.* » Tertio, ipsorum liberatio post clamorem, ibi, in medio ỳ. 28 : « *Et de necessitatibus.* » Quarto, invitat ad actionem gratiarum, ibi, ỳ. 31 : « *Confiteantur Domino.* »

Mala autem revertentium tangit, quantum ad illos qui navibus per mare descenderunt, appellans *mare* more Scripturæ, omnem aquarum collectionem. Primo ergo tangit periculorum certitudinem per experientiam. Secundo, qualitatem et magnitudinem et causam, ibi, ỳ. 25 : « *Dixit, et stetit.* »

In prima duo. Primo, descriptio cognoscentium pericula. Secundo, cognitio certa illorum a talibus, ibi, ỳ. 24 : « *Ipsi viderunt.* »

A duobus autem eos describit : a descensione in mare, et operatione in illo postquam descenderunt, ibi, « *Facientes operationem.* »

Dicit ergo : Sic laudent in Babylone a miseria liberati, et etiam qui descendunt mare, vel Euphratem, fluvium maximum ad litteram, quo venitur in Jerusalem, vel mare ipsum per quod aliqui forsitan redierunt : sed primum magis, quia certum est quod Euphrates jacet inter Babylonem et terram promissionis. II Esdræ, II, 7 : *Si videtur regi bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, ut traducant me donec veniam in Judæam :* qui et dedit.

« *Facientes.* » Quasi diceret : Qui descendunt mare in navibus, et sunt « *facientes operationem in aquis multis.* » Pendet constructio in sequentibus. Vel, secundum Glossam potest ordinari cum antecedenti littera : sed puto melius primo modo : et tunc sequitur sequens versus.

« *Ipsi viderunt.* » Primo, tangitur cognitio operum Dei generaliter a talibus. Secundo, mirabilium in aquis specialiter, ibi, « *Et mirabilia.* » 24

Ait enim : « *Ipsi viderunt,* » certa experientia, « *opera Domini, et mirabilia ejus in profundo,* » in mari scilicet, vel Euphrate facta.

Spiritualiter autem mare est mundus. Cur mundus dicitur mare? Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus,* etc. Habac. I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris.* Naves in hoc mari sunt Ecclesiæ diversæ per mundum fluctuantes. Hæc est classis Hiram, quæ afferebat aurum de Tharsis, et classis Salomonis [1]. Christus enim Hiram, et ipse Salomon. Hiram interpretatur *frater meus videns :* et ipse frater noster per naturam humanitatis, videns omnia per naturam divinitatis : et ipse Salomon, id est, *pacificus.* Navigatores

[1] Cf. III Reg. IX, 26 et 27, et X, 11, 22 et seq.

harum navium, sunt ipsi Prælati, quippe ipsi sunt piscatores. Matth. IV, 19 : *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Ipsi vident opera Dei, et mirabilia quæ facit in mundo. Eccli. XLIII, 26 : *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus.* Propter hoc unus nauta, scilicet Petrus, ad quem totam pertinebat regere Ecclesiam, dicebat, I Petr. II, 11 : *Charissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis :* tamquam ab aquis profundissimis. Et Paulus, II ad Corinth. XI, 26, tanta narrat hujus maris pericula, ubi ait : *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus... periculis in falsis fratribus.* Navis etiam crux, pœnitentia scilicet, quæ per crucem designata est. Sapient. XIV, 5 : *Exiguo ligno,* pœnitentiæ modicæ, quæ virtutem habet a Christo, *credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Qui ergo in mundum navibus his descendunt, ipsi narrare possunt mirabilia quæ in seipsis vident, et sentiunt quomodo cessant, et surgunt tempestuosi fluctus tentationum. Eccli. XXXIX, 21 et 22 : *Opera Domini universa bona valde. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries*[1].

25 « *Dixit, et stetit.* » Hic secundum. Præmissa enim periculorum certitudine, subjungitur de magnitudine : et dicuntur duo secundum hoc. Primo, pericula. Secundo, periculorum monstratur vehementia, ibi, in medio ℣. 26 : « *Anima eorum.* »

In prima duo, secundum duo ex quibus sunt in mari pericula. Primo, ventorum collisio. Secundo, fluctuum commotio et elevatio, ibi, « *Et exaltati sunt.* »

In prima tangitur causa collisionis ventorum in hoc quod dicit : « *Dixit.* » Secundo, collisio ipsa, ibi, « *Et stetit.* »

Dicit ergo : Sic dicunt, quod viderunt pericula : quænam fuerunt illa ? « *Dixit,* » supple, Dominus, in verbo suo æterno ordinavit, cujus dicere est facere, « *et stetit,* » non transeundo venit, « *spiritus,* » id est, ventus, « *procellæ,* » id est, procellosus. Hic autem ventus ex diversis et contrariis collectus. Infra, in Psal. CXLVIII, 8 : *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.*

« *Et exaltati.* » Ecce secundum, fluctus commotio : in quo dicuntur duo. Primo, fluctuum commotio. Secundo, motus commotionis, ibi, ℣. 26 : « *Ascendunt.* »

Dicit ergo : Sic factus est ventus procellosus, « *et exaltati sunt fluctus ejus,* » maris scilicet. Isa. LI, 15 : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus.*

Spiritualiter autem spiritus procellæ tentatio est, et tribulatio, quæ est tempestas maris, de qua Eccli. XLVII, 18 : *Tempestas Aquilonis, et congregatio spiritus,* iræ scilicet principum mundanorum, et dæmonum : spiritus enim pro ira accipitur. Genes. VI, 3 : *Non permanebit spiritus meus in homine.* Hoc autem fit ad præceptum Dei aliquando. Jonæ, I, 13 : *Mare ibat, et intumescebat super eos.* Matth. VIII, 27 : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei ?* Et, Jonæ, I, 4 : *Dominus misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari.* Et exaltantur aliquando fluctus, tamen super illos est Ecclesia. Genes. VII, 17 : *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime a terra.*

« *Ascendunt usque ad cœlos.* » Hic 26
tangit modum in duobus. In summa elevatione, et infima depressione, ibi, « *Et descendunt.* »

Ait enim : Sic dixi, quod exaltati sunt

[1] Cf. Genes. I, 31 ; Marc. VII, 37 ; Genes. VIII, 3.

fluctus ejus, et in tantum, quod « *ascendunt usque ad cœlos,* » judicio hominum, vel usque ad cœlos, ad illam partem aeris quæ dicitur *cœlum.* Matth. XIII, 4 : *Et venerunt volucres cœli, et comederunt ea.* « *Et descendunt usque ad abyssos,* » id est, ad abyssorum profunda. Psal. XCII, 4 : *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

« *Anima eorum.* » Hic secundum, in quo tactis periculis monstratur periculorum vehementia. Et hoc per tria : quia anima effecta est tabida, ut quasi corpus movere non possit : et turbata, ut pacem amiserit in seipsa : et ignorans, ut quasi excæcata sit ejus intelligentia. Secundum, ibi, ℣. 27 : « *Turbati sunt.* » Tertium, ibi, « *Et omnis sapientia.* »

Dicit ergo : Sic fluctus ascendunt, et descendunt, et tanta est tribulatio, quod « *anima eorum,* » in his malis pœnalibus, « *tabescebat.* » Job, XXX, 16 : *In memetipso marcescit anima mea, et possident me dies afflictionis.* Sic contingit Prælatis. Ascendunt mundi perturbationes aliquando usque ad turbationem majorum, descendunt usque ad turbationem infimorum. Job, XLI, 22 : *Fervescere faciet quasi ollam profundum maris.* Olla in bulliendo modo elevatur, modo deprimitur, et tunc cadunt pusillanimitate miseri, et tabescunt. Sapient. XVI, 26 : *Ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua.* Psal. CXI, 10 : *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet,* cum deberet patienter exspectare. Et alibi, Psal. XXXVIII, 12 : *Tabescere fecisti sicut araneam animam meam.*

27 « *Turbati sunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Tabefacta est anima, ita ut non moveret corpus : et etiam « *turbati sunt sicut ebrius, et moti.* » Turbatio sonat principium instabilitatis interioris in affectu : motio, in consummatione. Turbatione enim in mari mundi surgente, turbatur totum aliquando. Ezech. XXVII, 27 et 28 : *Cadent in corde maris in die ruinæ tuæ. A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes.* Et nota, quod est conturbatio **Conturbatio multiplex : quæ ex ebrietate, valde culpabilis et damnosa.**
admirationis in rationabili, Cantic. VI, 11 : *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.* Luc. I, 29 : *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus.* Doloris in concupiscibili, Psal. VI, 4 : *Anima mea turbata est valde : sed tu, Domine, usquequo ?* Timoris in irascibili, Matth. II, 3 : *Audiens autem Herodes rex, turbatus est,* etc. Occupationis inanis, Luc. X, 41 : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris,* etc.

Sed culpabilis valde, quando accidit ex ebrietate, quæ multa mala facit. Depauperat, Eccli. XIX, 1 : *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Secreta revelat, Proverb. XXXI, 4 : *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* Virtutem minorat, Eccli. XXXI, 40 : *Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, et faciens vulnera.* Amaricat animam, Eccli. XXXI, 39 : *Amaritudo animæ vinum multum potatum.* Inficit, et venenat, Proverb. XXIII, 31 et 32 : *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Hominem a seipso alienat, auferendo cor, Osee, IV, 11 : *Fornicatio, et vinum, et ebrietas auferunt cor.* A Deo per apostasiam separat, Eccli. XIX, 2 : *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Sic inebriat materiale vinum. Sed est spirituale vinum, quod inebriat periculosius multum, scilicet scientia sæcularis. Bernardus : « Scientia sæcularis inebriat « curiositate, non charitate : inebrians, « non reficiens : implens, non nutriens : « onerans, non robur præbens.

« *Et omnis sapientia eorum.* » Hic tertium, scilicet quod efficitur ignorans.

Ait enim : Sic anima tabescit mota : et etiam « *omnis sapientia eorum,* » quæ in anima constat, « *devorata est,* » ad

litteram in magna tempestate : præ turbatione enim nihil omnino videntur scire nautæ, sed totum dimittunt ire sicut potest. Act. XXVII, 20 : *Tempestate non exigua imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ.* Et post, ℣. 40 : *Committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum.* Sic in Ecclesia, surgente conturbatione magna, perit frequenter nautarum consilium, et sapientia. Ezechiel. VII, 26 : *Conturbatio super conturbationem veniet,... et peribit consilium a senioribus.* Quippe aliquando sunt inebriati amore temporalium. Job, XII, 25 : *Errare eos faciet quasi ebrios.*

28 « *Et clamaverunt.* » Hic secundum. Præmissa enim tribulatione, subjungitur de clamore, et auxilii divini invocatione.

Ait enim : Sic revertentes per mare fuerunt in tribulatione, et post hoc, « *clamaverunt ad Dominum cum tribularentur :* » sicut illi qui peribant, Jon. I, 5 : *Timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum.* Et, ibidem, ℣. 14 : *Clamaverunt* nautæ *ad Dominum, et dixerunt : Quæsumus, Domine, ne pereamus.* Et ita debet fieri ut convertamus nos ad Deum, cum non possumus amplius. II Paralip. XX, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Præ tempestate clamabant discipuli, Matth. VIII, 25, cum dicebant : *Domine, salva nos, perimus.*

« *Et de necessitatibus.* » Hic quartum, scilicet ipsorum liberatio post clamorem. Et dicuntur tria. Primo, liberatio. Secundo, liberationis modus, ibi, ℣. 29 : « *Et statuit procellam.* » Tertio, exsultatio et lætitia pro tribulatione, ibi, ℣. 30 : « *Et lætati sunt.* »

Dicit ergo : Sic clamaverunt, « *et de necessitatibus eorum eduxit eos* » in terram suam, scilicet in terram Chanaan. Sic spiritualiter Dominus, quando clamant ad eum Prælati in suis tribulationibus et necessitatibus, ipse viam facit, et liberat eos cum suis. Isa. XLVIII, 16 et 17 : *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam : qui eduxit quadrigam et equum.* Sapient. X, 19 : *Inimicos illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum eduxit illos.* Job, XXXIII, 26 : *Deprecabitur Dominum, et placabilis ei erit.*

« *Et statuit procellam.* » Hic secundum, in quo tangitur modus liberationis, qui ostenditur in duobus. In conversione ventorum in auram lenem, et in fluctuum sedatione, ibi, « *Et siluerunt.* » 29

Dicit ergo : Sic dixi, quod eduxit eos de tribulationibus eorum, « *et statuit procellam,* » ventorum multitudinem contrariam, « *in auram* » lenem : « *et fluctus ejus,* » maris scilicet propter ventos commoti, « *siluerunt.* » Eccli. XLIII, 25 : *In sermone ejus siluit ventus, et cogitatione sua placavit abyssum :* sicut Jonæ, I, 15, dicitur : *Stetit mare,* Domino imperante, *a fervore suo.*

Sic spiritualiter cum clamatur ad Christum in tribulationibus, sedat illas : quod significatum fuit, Luc. VIII, 23 : *Descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur.* Et post, ℣. 24 : *At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit : et facta est tranquillitas* [1]. Proverb. XVI, 7 : *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Matth. VIII, 27 : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei ?*

« *Et lætati sunt.* » Hic tertium. Præmissa enim liberatione, et supposito liberationis modo, subjungitur liberatorum 30

[1] Cf. Matth. VIII, 23 et seq. ; Marc. IV, 36 et seq.

exsultatio : et dicuntur duo secundum duplicem causam lætitiæ quam tangit. Prima est sedatio. Secunda, deductio illorum ad portum debitum, ibi, « *Et deduxit.* »

Dicit ergo : Sic sunt liberati, « *et lætati sunt, quia siluerunt,* » supple, fluctus, sicut mari sedato, lætati sunt nautæ[1]. Sic et anima a tribulationibus sentiens se ereptam, non modicum lætatur : et pastores Ecclesiæ videntes tribulationum sedationem. Tob. III, 22 : *Non delectaris,* Domine, *in perditionibus nostris : quia post tempestatem tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.* Joan. XVI, 20 : *Tristitia vestra vertetur in gaudium,* ut aqua in vinum [2].

« *Et eduxit eos,* » propter quod etiam sunt lætati, « *in portum voluntatis eorum,* » scilicet terram promissionis, et in Jerusalem. Spiritualiter autem Jerusalem portus voluntatis est, quia omnes beatitudinem appetunt, etsi multi tendant ad illam tramite devio : sed Dominus suos deduxit. Isa. LV, 12 : *In lætitia egrediemini, et in pace educemini.* Sapient. X, 10 : *Justum deduxit* Dominus *per vias rectas,* sicut dum Jesus esset in mari, apostoli *voluerunt accipere eum in navim, et statim navis fuit ad terram in quam ibant* [3].

31 « *Confiteantur Domino.* » Hic est quarta pars totius illius partis, in qua agitur de beneficio exhibito revertentibus per mare. Ostenso enim periculo, clamore ad Deum, et liberatione, subjungitur incitatio eorum ad liberatorem laudandum : et divide sicut prius omnino. Quia primo invitat ad laudem misericordiæ. Secundo, potentiæ, ibi, « *Et mirabilia.* »

Ait enim : Sic liberavit, et propter hoc, « *confiteantur Domino misericordiæ ejus,* » id est, opera misericordiæ sint nobis laudis materia : « *et mirabilia ejus,* » id est, opera mirabilia, « *filiis hominum* » exhibita, sint materia laudis et confessionis. Psal. CXLIV, 10 : *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.* Judith, XIII, 17 et 18 : *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se : et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam.* II Reg. XXIV, 14 : *Multæ sunt misericordiæ ejus.* Eccli. XVII, 28 : *Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se !*

« *Et exaltent eum.* » Hic est quarta pars, in qua agitur de quarto beneficio post reversionem illis exhibito : in quo dicuntur duo. Primo, invitatio ad laudandum Deum et exaltandum. Secundo, subjungit quasi causam laudis ipsum beneficium, ibi, ỹ. 33 : « *Posuit flumina.* » 32

In prima duo. Primo, invitat ad laudem operis, quod est per exaltationem. Secundo, oris, ibi, « *Et in cathedra seniorum.* » Vel sic : Primo, invitatio minorum. Secundo, majorum, ibi, « *Et in cathedra.* »

Ait enim : Sic Deus laudetur propter præcedentia beneficia : « *et* » etiam « *exaltent eum,* » per opera bona, « *in Ecclesia* » existentes, Ecclesia, inquam, « *plebis,* » id est, de plebe, et minoribus collecta : « *et laudent eum* » existentes « *in cathedra seniorum,* » sicut majores.

Exaltandus est Deus, Tob. XIII, 6 : *Confitemini illi, Regemque sæculorum exaltate in operibus vestris.* Et laudandus voce, In eodem, ỹ. 3 : *Confitemini Domino, filii Israel, et in conspectu Gentium laudate eum.* Maxime vos majores, qui estis in cathedra, de qua, Matth. XXIII, 2 : *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi.* De utrisque simul, Apocal. XIX, 5 : *Laudem dicite Deo*

[1] Cf. Jonæ, I, 16.
[2] Cf. Joan. II, 1 et seq.
[3] Joan. VI, 21.

nostro, omnes servi ejus : et qui timetis eum, pusilli et magni.

Potest etiam legi aliter, secundum quod vult Glossa, ut *in* sumatur pro *pro*. « *Exaltent eum,* » Deum scilicet, « *in Ecclesia plebis,* » id est, pro Ecclesia : « *et in cathedra seniorum,* » id est, pro cathedra seniorum, « *laudent eum.* » Et sic etiam potest respicere ad litteram antecedentem, ut tangatur causa quare confitendum et laudandum.

Thema in festo Cathedræ sancti Petri.

Thema autem hic potest esse in festo cathedræ beati Petri : tunc enim celebrat Ecclesia festum de Petri exaltatione, et incathedratione, quæ facta fuit in Antiochia. Tangitur exaltatio primo. Secundo, a quibus exaltatur, ibi, « *In Ecclesia plebis.* » Et tertio, quomodo, ibi, « *Et in cathedra seniorum,* » supple, ponentes eum, « *laudent eum,* » quia sublimando, commendando. Exaltatus est autem Petrus merito humilitatis, et merito fortitudinis, et virtutis. Humilis fuit, et pauper, et piscator, et hoc magis dilexit quam multas divitias [1]. Sed verissime amator humilitatis et paupertatis, cum ista dereliquit propter Christum. Sic Joseph post miseriam et paupertatem quam sustinuit in Ægypto, exaltatus est a Deo [2]. Hic est enim mos Dei, viles et abjectos exaltare, non divites et pompatos. I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem.* Item, merito constantiæ et virtutis : Petrus enim dicitur, id est, firmus : præ aliis enim audacter et fortiter fidem est confessus. Matth. XVI, 16 : *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* David postquam devicerat leonem, ursum, et gigantem, id est, carnem, mundum, et diabolum, exaltatus est in regem [3]. Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates,* etc. Et merito sanctitatis, quam facit proprie charitas, quæ est animæ sanctificatrix, quia assimilat fonti sanctitatis ipsi Deo. Amor enim secundum Dionysium assimilativus, et unitivus est. Joan. XXI, 15 et 17 : *Simon Joannis, diligis me plus his ?* quo concesso, statim sequitur : *Pasce oves meas.*

Quare autem festum fiat de exaltatione, prima ratio est, quia in ipso fundatur Ecclesia : cum autem primi lapides templorum, et Ecclesiarum jaciuntur, solemnizatur. Matth. XVI, 18 : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Lapis limpidissimus fidei sinceritate, firmus stabili charitate, politus paupertate, et politia vitæ, sed sculptus prudentia et discretione. Item, quia tunc quasi nova missa in publicum cantatur, de quo solet fieri lætitia magna. Quippe sacerdos cum primo celebrat, tunc apotheca Spiritus sancti adimpletur, et tunc cella gratiarum, et aromatum vas omnibus gratiis repletur. Quid enim festum Angeli non celebraretur ? Angelus enim sacerdos efficitur in actu cum celebrat. Malach. II, 7 : *Angelus enim Domini exercituum est.* Imo dii sunt sacerdotes, et stellæ totum mundum illuminantes. Item, quia in hoc misericordia Dei magna ostenditur, qui tantum peccatorem, qui eum ter negavit, tantum exaltavit [4].

« *Posuit flumina.* » Hic secundum hujus partis, in quo tangitur ratio laudis. 83
Et primo, justitiæ Dei opera in Babyloniis, quos destruxit. Secundo, in Hebræis, ibi, ℣. 36 : « *Posuit desertum.* »

In prima duo. Primo tangitur destructio terræ malorum. Secundo, ratio et causa ipsius destructionis, scilicet ipsorum malitia, ibi, in medio ℣. 34 : « *A malitia inhabitantium.* »

In prima duo. Primo tangitur remotio humoris a terra Babyloniorum. Secundo,

[1] Cf. Matth. IV, 18 et seq.

[2] Cf. Genes. XXXIX, XL et XLI.

[3] Cf. I Regum, XVII et seq.

[4] Cf. Matth. XXVI, 69 et seq. ; Marc. XV, 66 et seq. ; Luc. XXII, 55 et seq. ; Joan. XVIII, 37 et seq.

quod sequens est, terræ conversio in salsuginem, ut non posset fructificare, ibi, ỹ. 34: « *Terram fructiferam.* »

In prima duo. Primo, desiccatio fluviorum ex quibus humor per totam terram diffundebatur. Secundo, originum, ibi, « *Et exitus.* »

Dicit ergo: Sic exaltent eum: et dignus est exaltari, quia « *posuit flumina in desertum,* » id est, in tanta siccitate, quanta est desertum. « *Et exitus aquarum,* » origines scilicet illarum, repete, posuit, « *in sitim,* » in tantam siccitatem, ut ipsæ etiam sitirent Jerem. L, 38: *Siccitas super aquas ejus,* scilicet Babylonis, *erit,* id est, loca aquarum: *et arescent, quia terra sculptilium est, et in portentis gloriantur.*

Spiritualiter autem sculptilia sunt Prælati inutiles et muti et cæci sicut scuptilia. Zachar. XI, 17: *O pastor, et idolum!* Super terram horum, Ecclesiam scilicet, immittet Dominus siccitatem magnam, siccando flumina doctrinarum. Isa. XLII, 15: *Ponam flumina,* fluentes doctores, et in doctrina abundantes, *in insulas,* ut tribulentur et undique concutiantur sicut insula: *et stagna arefaciam,* quæ collegerunt aquas de fontibus, doctoribus, ut in ipsis pisces fidei nutriantur, in sitim, defectum scilicet doctrinæ. Amos, VIII, 11: *Mittam famem in terram: non famen panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* Isa. XIX, 7: *Nudabitur alveus rivi a fonte suo, et omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, et non erit.* Sed quando Prælati boni et sancti sunt, tunc eorum terram Dominus fortiter irrigat. Isa. XLIV, 3: *Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam.* Et, XXX, 23: *Dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris.*

34 « *Terram fructiferam.* » Ecce secundum, scilicet terræ conversio in salsuginem, id est, in sterilitatem. Sal enim si conspersum fuerit, inducit sterilitatem, et propter hoc pro sterilitate salsugo accipitur. Jerem. LI, 43: *Factæ sunt civitates ejus in stuporem, terra inhabitabilis et deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis.*

Et hoc totum, « *a malitia,* » id est, propter malitiam, « *habitantium in ea,* » in Babylone scilicet. In hoc ergo tangitur tantæ sterilitatis causa. Dominus enim ad litteram terram fertilem facit sterilem propter inhabitantium malitiam, quia male utuntur bonis terræ, nec Deo reddunt quod debent, scilicet primitias, et decimas. Aggæi, II, 17: *Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, et fierent decem,* etc. Et, Malach. III, 10: *Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea...: si non aperuero vobis cataractas cœli,* supple, numquam credite mihi.

Nota ergo spiritualiter hic pulchrum ordinem. Propter hominum malitiam siccantur flumina doctrinarum. Ezechiel. III, 26: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans est.* Postmodum desiccat exitum gratiarum, quæ meliores aquæ sunt. Joel, I, 20: *Exsiccati sunt fontes aquarum,* Spiritus sanctus, Dei Filius, et Maria, de quibus Isa. XII, 3: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Post hæc redditur terra liberi arbitrii omnino sterilis propter defectum bonorum operum, quod sequitur ex illis. Jerem. XXII, 30: *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.* Sapient. XII, 11: *Vacua est spes illorum, et labores sine fructu.* Job, XXVIII, 5: *Terra, de qua oriebatur panis, in loco suo igni subversa est.*

« *Posuit desertum.* » Hic secundum 35
totius hujus partis. Postquam enim tetigit opera divinæ justitiæ inflicta malis, Babyloniis scilicet, propter quæ Deus est laudandus, hic subjungit opera misericordiæ exhibita bonis, scilicet Hebræis:

et ostenditur bonum illorum quasi in duobus. Primum est liberatio illorum a malo penuriæ. Secundum, a malo ruinæ, et quasi infamiæ, quod templum erat destructum, ibi, ℣. 39 : « *Et pauci facti sunt.* »

In prima duo. Primo, liberatio illorum a malo penuriæ. Secundo, effectus sequens ex illa liberatione, ipsorum scilicet multiplicatio, et in se, et in suis, ibi, ℣. 38 : « *Et benedixit.* »

Item, penuriam habebant duplicem, ciborum, et habitatorum. De ereptione a prima primo. De ereptione a secunda secundo.

Item, in prima duo. Primo, præparatio ad multiplicationem terræ nascentium. Secundo, multiplicatio, in medio ℣. 37 : « *Et fecerunt.* »

In prima tria secundum triplex præparatorium. Primum est terræ irrigatio ut humectaretur. Secundum, hominum inhabitatio, ibi, ℣. 36 : « *Et collocavit.* » Hominum, inquam, affectantium bona terræ. Tertio, exercitatio illorum per culturam, ibi, ℣. 37 : « *Et seminaverunt.* »

In prima duo. Primo, terra irrigatio per aquas stantes. Secundo, per fluentes, ibi, « *Et terram sine aqua.* »

Dicit ergo : Sic fecit Babyloniis : sed e contra « *posuit desertum,* » terram scilicet filiorum Israel, quæ quasi in desertum redacta erat, « *in stagna aquarum,* » in abundantia aquarum quasi stantium : « *et terram sine aqua,* » repete, posuit, « *in exitus aquarum,* » a quo exeuntes sunt aquæ fluentes. Isa. xxxv, 6 et 7 : *Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.*

Claustrum deserto comparatum.

Nota : Spiritualiter desertum est claustrum, in quo ad litteram Dominus facit abundare aquas gratiarum, quæ sunt quasi aquæ stagnorum, quæ non fluunt in alium, et aquas fluviorum, doctrinarum ad alios fluentium. Isa. xliii, 19 et 20 : *Ponam in deserto viam, et in invio flumina. Glorificabit me bestia agri,... quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo.* Et, xlix, 10 : *Miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.*

« *Et collocavit.* » Hic secundum quod præparatorium est ad abundantiam, scilicet hominum famelicorum inhabitatio : et dicuntur duo. Primo, talium collocatio. Postmodum, responsio quæstioni quæ posset fieri, quomodo inhabitare poterant cum esset terra destructa, ibi, « *Et constituerunt.* » **36**

Dicit ergo : Sic dedit aquas in abundantia, « *et collocavit illic* » homines « *esurientes,* » ut provocarentur ad laborandum, illos de quibus supra, in eodem, ℣. 5 : *Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit,* scilicet præ fame.

« *Et constituerunt civitatem habitationis.* » Singulare ponit pro plurali, quia civitates restituerunt ad inhabitandum. Non ergo quæras, quomodo sunt collocati. II Esdræ, ii, 17 : *Venite, et ædificemus muros Jerusalem, et non simus ultra in opprobrium.* Et, paulo post, ℣. 20 : *Deus cœli ipse nos juvat, et nos servi ejus sumus : surgamus, et ædificemus,* etc.

Spiritualiter Dominus esurientes collocat in deserto, in claustro, de quibus dicitur, Matth. v, 6 : *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Et replet eos bonis suis, Luc. i, 53 : *Esurientes implevit bonis.* Job, v, 5 : *Bibent sitientes divitias ejus.* Et tales ædificant Ecclesiam Dei sicut civitatem, quia prædicant, et docent quomodo sit Ecclesia in charitate et fide una. In Psal. cxxi, 3 : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas.* Propter hoc dicere possunt fidelibus Ecclesiæ : *Dei ædificatio estis*[1]. Et per hoc ædificant sibi domos gloriosas in cœlis, II ad Corinth. v, 1 : *Ædificationem ex Deo*

[1] I ad Corinth. iii, 9.

habemus, in cœlo, *domum non manufactam.*

Multiplex civitas habitationis.

Et nota, quod est civitas habitationis, concordia, in qua habitandum, quia Proverb. xviii, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Claustrum, in quo societas bona, Proverb. xxi, 22 : *Civitatem fortium*, omnia propter Christum relinquentium, *ascendit sapiens*, quamvis stultus reputetur. Ecclesia militans, Eccle. ix, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri.* Fidelis anima, in qua habitat Dei sapientia, Eccli. xxiv, 15 : *In civitate sanctificata similiter requievi.* Bonus prælatus, Jerem. i, 18 : *Dedi te in civitatem munitam.* Et non mirum, Matth. v, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Et Virgo beata, in qua habitandum est devotione, Psal. lxxxvi, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Et triumphans Ecclesia, in qua habitandum desiderio, et meditatione. Hæc est illa, de qua in Psal. xlv, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Psal. lix, 11 : *Quis deducet me in civitatem munitam ?* etc. Isa. xxxiii, 20 : *Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam.*

37 « *Et seminaverunt.* » Hic tertium, scilicet inhabitantium labor, et exercitatio. Primo, in his quæ pertinent ad cibum. Secundo, in his, quæ ad potum, ibi, « *Et plantaverunt.* »

Dicit ergo : Sic terram rigavit, cultores posuit in illa. « *Et* » ipsi « *seminaverunt agros,* » ut haberent cibum : « *et plantaverunt vineas,* » ut haberent potum, sicut Noe [1]. Agri sunt subditi, qui subsunt sicut terræ : et similiter vineæ subditorum animæ. Nec est inconveniens, in terra fertili, sicut dicitur de terra Apuliæ, si in eadem terra sit ager, et vinea. I ad Corinth. iii, 9, statim ut dixit : *Dei ædificatio estis*, adjicit : *Dei agricultura estis.* Et, Isa. v, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Ipsi ergo seminandi sunt sermine verbi Dei, de quo, Luc. viii, 11 : *Semen est verbum Dei* [2]. Et plantandi vitibus virtutum, Isa. xxxvii, 30 : *Seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum.* Et certe qui colunt bene terram suam, sunt in abundantia : qui autem non colunt, sunt in egestate et miseria. Proverb. xii, 11 : *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus.* Et, xxxi, 16 : *Consideravit agrum, et emit eum*, ut in illo laboraret : et *de fructu manuum suarum plantavit vineam.* Sed de pigro dicitur, Proverb. xxiv, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ*, etc.

« *Et fecerunt fructum.* » Hic secundum, scilicet post præparatoria ad abundantiam, ipsorum bonorum abundantia. Quasi diceret : Sic parasti : « *et* » tunc « *fecerunt fructum,* » non quemcumque, sed « *nativitatis,* » hoc est, bonum, et competentem, et in abundantia, quasi naturalem, non degenerem. Zachar. viii, 12 : *Semen pacis erit : vinea dabit fructum suum, et terra dabit germen suum.*

Nota etiam, quod agros seminant activi boni, qui seminant opera misericordiæ. II ad Corinth. ix, 6 : *Qui parce seminat, parce et metet : qui autem seminat in benedictionibus*, etc. Ad Galat. vi, 8 : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet.* Vineas autem plantant boni contemplativi, de vitibus paradisi transferentes, et in terra cordis sui figentes, ex quibus eliciunt vinum optimum, et bibunt. Qui plantat vineam, et de fructibus ejus non edit, talis debet reverti in domum suam, in propriam conscientiam, si adhuc nova est plantatio, non ire ad bellum [3].

[1] Cf. Genes. ix, 20.
[2] Cf. Matth. xiii, 14.
[3] Cf. Deuter. xx, 6.

38 « *Et benedixit eis.* » Hic secundum. Postquam enim ostendit multiplicationem terrænascentium, subjungit de multiplicatione filiorum, et animalium. Et primo, tangitur de primo. De secundo, post, ibi, « *Et jumenta.* »

Ait enim : Sic multiplicata sunt bona terræ, « *et* » post hoc « *benedixit eis,* » aptitudinem ad generationem præbendo, « *et* » sic « *multiplicati sunt.* » Psal. iv, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui multiplicati sunt.* Genes. xxvii, 39 et 40 : *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper, erit benedictio tua.* Genes. xxvi, 24 : *Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum.* Genes. xxii, 17, ad Abraham similiter : *Benedicam tibi.* Et statim sequitur : *Et multiplicabo semen tuum.*

« *Et jumenta eorum non minoravit.* » Minus dicit, et plus significat, quia illa multiplicavit. Contra, II Esdræ, ii, 12 : *Et jumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam.* Respondeo. Verum est, in principio reversionis habuerunt jumenta paucissima, sed post sunt multiplicata. Jerem. xxxi, 12 : *Confluent ad bona Domini super frumento, et vino, et oleo, et fœtu pecorum et armentorum.* Post agrorum seminationem et vinearum plantationem, tunc dat Dominus benedictionem posteritatis : et sequitur filiorum multiplicatio et jumentorum, scilicet bonorum rationabilium et simplicium conversio ad Deum. Isa. li, 2 : *Benedixi Abrahæ, et multiplicavi eum.* Job, xlii, 12 : *Dominus benedexit novissimis Job magis quam principio.*

39 « *Et pauci facti sunt.* » Hic secundum hujus partis, scilicet ipsorum liberatio a malo ruinæ templi, quæ ruina erat eis quasi etiam quædam infamia : et tanguntur duo. Primo, liberatio eorum ab impugnatione impedientium ædificationem. Secundo, adjutorium in reædificatione, ibi, ℣. 41 : « *Et adjuvit.* »

In prima duo. Primo, tangitur contradictio malorum ipsis bonis in ædificatione. Secundo, ipsorum bonorum liberatio, per dissensionem immissam inter malos, ibi, ℣. 40 : « *Effusa est.* »

In prima duo. Primo, ostenditur paucitas bonorum quæ fuit in principio, ut sic monstretur aptitudo ad tribulationem. Secundo, vexatio a malis, ibi, « *Et vexati sunt.*

Dicit ergo : Sic redierunt, et multiplicati sunt : « *et* » tamen « *pauci facti sunt,* » ad templum reædificandum : multi enim tepuerunt, et alii propter laborem aversi sunt : et opus erat grande : « *et* » sic « *vexati sunt a tribulatione malorum* » hominum, qui eos impediebant, « *et dolore* » laborum, quos sustinebant die ac nocte. De hac contradictione et vexatione a Thabeel et Sanaballat, et aliis [1].

Spiritualiter : Multiplicatis fidelibus et jumentis, id est, simplicibus, fiunt cito pauci : quia ad infidelitatem et pravos mores revertuntur. Isa. ix, 3 : *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Nec sunt nisi pauci, qui templum reædificent, quia, Matth. vii, 14 : *Arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* Et, ibidem : *Quam angusta* est *porta,* et pauci intrant per eam ! Et illi pauci tribulantur a malis, et vexantur. II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur.*

« *Effusa est contemptio.* » Hic tangitur 40
bonorum liberatio, per contemplationem malorum, et divisionem ab invicem : et dicuntur duo. Primo, malorum dissentio. Secundo, error et amissio omnis consilii, contra bonos, ibi, « *Et errare fecit.* »

Dicit ergo : Sic tribulati sunt, et vexati : et tunc « *effusa est* » (nota abundantiam) « *super principes* » illis adver-

[1] Cf. I Esdræ, iv, et præsertim, Nehem. seu II Esdræ, iv et seq.

santes, « *contemptio : et* sic *errare fecit eos* Deus *in invio* » consilii, « *et non in via,* » qua possent assequi quod attendebant. II Esdræ, IV, 15 : *Dissipavit Deus consilium eorum : et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum.* Verumtamen ipsi impedierunt nos ad tempus.

Sic Dominus hæreticos adversantes ædificantibus Ecclesiam, contendere facit ad invicem. Genes. XIII, 7 : *Facta est rixa inter pastores gregum Abram, et Lot.* Judicum, V, 15 : *Diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.* Quamvis enim sint contra Ecclesiam colligati, tamen habent facies diversas, sicut vulpes Samsonis[1]. Hoc autem totum accidit, quia superbi sunt : et Proverb. XIII, 10, dicitur : *Inter superbos semper jurgia sunt :* et sic cadunt in errorem. Ad Roman. I, 21 et 22 : *Obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt :* ut possit de eis dici illud Matth. XXII, 29 : *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Errant autem in via plana et apertissima fidei, et morum, quæ nunc detecta est aperte. Isa. XXXV, 8 : *Hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* Propter hoc dicturi sunt illud Sapient. V, 6 : *Erravimus a via veritatis.*

41 « *Et adjuvit pauperem.* » Hic secundum, in quo subjungitur de adjutorio : in quo dicuntur duo. Primo, tangit ipsum adjutorium. Secundo, adjutorii modum, ibi, « *Et posuit.* »

Dicit ergo : Sic liberavit ab impedientibus ædificationem : « *et,* » etiam, « *adjuvit pauperem,* » illum populum, « *de inopia,* » qua non poterat ædificare, liberans illum. I Regum, II, 7 : *Dominus pauperem facit et ditat :* Dominus pauperem facit, in exsilium mittendo : et ditat postmodum, unde ædificetur dando. Et vere de inopia Dominus liberat, quia per ipsam inopiam liberat a multis malis. A malo luxuriæ, Proverb. XXVI, 20 : *Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis.* Versus : Inopia utilis ad multa.

Non habet unde suum paupertas pascat amorem.

A malo impatientiæ, Eccli. XIII, 4 : *Dives injuste aget, et fremet : pauper autem læsus tacebit.* Ad Roman. V, 3 : *Tribulatio patientiam operatur.* A malo otiositatis, Proverb. XVI, 26 : *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.* Et multa bona præstat. Primo quia purgat, Isa. XLVIII, 10 : *Elegi te in camino paupertatis.* Ad laudem Dei excitat, Psal. LXXIII, 21 : *Pauper et inops laudabunt nomen tuum.* Humiliter loqui facit, Proverb. XVIII, 23 : *Cum obsecrationibus loquetur pauper, et dives affabitur rigide.* Tandem pauperem Deo ad memoriam reducit, Psal. XXXIX, 18 : *Ego autem mendicus sum, et pauper : Dominus sollicitus est mei.*

« *Et posuit.* » Ecce modus et ratio adjuvandi, quia dat voluntatem humiliter obediendi.

Ait enim : Sic adjuvit : et hoc justum, quia « *posuit familias,* » quas reduxerat de captivitate, « *sicut oves,* » simpliciter et humiliter obedientes. Ecce quod dicitur, Job, XI, 17 : *Cum te consumptum putaveris,* te humiliando, *orieris ut lucifer,* ad altitudinem ascendendo. Bene autem ovibus comparantur humiles, et obedientes : quia, Joan. X, 27, dicitur : *Oves meæ vocem meam audiunt.* Ezech. XXXIV, 31 : *Vos autem, greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis.*

« *Et videbunt recti.* » Hic est secunda pars hujus Psalmi. Postquam enim invitavit ad laudem Dei propter multa et 42 Secunda pars Psalmi.

[1] Cf. Judicum, XV, 4 et seq.

magna beneficia, hic secundo ostendit, qui sunt qui debent laudare, et recitare illa : et dicuntur tria. Primo, conditio illorum qui laudare debent, et recolere hæc beneficia. Secundo, eorum qui non debent, ibi, « *Et omnis iniquitas.* » Tertio, infertur ex hoc laudantium raritas, ibi, ℣. 43 : « *Quis sapiens ?* »

Dicit ergo : Hæc beneficia Deus fecit, et « *recti videbunt* » illa oculo intimæ considerationis, et intellectus : « *et lætabuntur,* » desiderio et fervore interioris affectus. Quippe enim recti diligunt Deum. Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* Et hi vident Deum in beneficiis suis, tamquam solem in radiis suis, quia aliter non possunt, et lætantur. Proverb. xv, 30 : *Lux oculorum lætificat animam.* Eccle. xi, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem,* scilicet Deum in radiis suis. Sed non vident, nec lætantur, qui habent oculos excæcatos stercoribus hirundinum, scilicet temporalibus, cum Tobia [1]. Propter hoc dicere possunt illud Tob. v, 12 : *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video ?*

« *Et omnis iniquitas.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Recti videbunt, et laudabunt : « *et omnis iniquitas oppilabit os suum,* » id est, obstruet. Os iniquitatis est os iniqui : quidquid enim habet servus, totum est Domini. Et, Joan. viii, 34, dicitur : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Iniquitas ergo os suum obstruit, et oppilat : quia ipsum ad laudandum reprimit, et refrænat. Proverb. x, 6 : *Os iniquorum operit iniquitas.* Matth. xxii, 12 : *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ?* etc... *At ille obmutuit,* oppilato ore iniquitate propria. Oppilat etiam os iniquorum justorum aperta bonitas. I Petr. ii, 15 : *Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

« *Quis sapiens ?* » Hic tertium, in quo 43
ostenditur aptorum ad recolendum, et laudandum paucitas : unde dicuntur duo. Primo, quærit quis affectus sit ad tenendum Dei beneficia in corde. Secundo, quis acutus ad investigandum illa, ibi, « *Et intelliget.* »

Dicit ergo : Sic recti videbunt et lætabuntur, et iniquitas obmutescet, « *Quis ergo sapiens,* » saporans scilicet, « *et custodiet hæc ?* » in corde suo. *Quis* notat hic raritatem. Illi enim solum hoc possunt, qui Deum sapide diligunt. Proverb. vi, 19 : *Dilectio, custodia legum illius est.* Custodit hæc qui audiens quod Deus adjuvat pauperem et inopem, diligit et quærit veram paupertatem, et ipsam tamquam pretiosum thesaurum in sinu ponit.

« *Et intelliget,* » acute discutiendo, « *misericordias Domini ?* » Quia non superbis, et divitibus exhibentur, sed pauperibus, et humilibus : vere pauperibus, Matth. xi, 25 : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus,* in oculis suis, *et revelasti ea parvulis.* Quia hic pauperibus et humilibus gratiam cumulas, et resistis superbis. Jacob. iv, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* in præsenti, et tandem gloriam æterni regni in futuro. Matth. v, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et, *utinam,* sicut dicit Moyses [2], *saperent, et intelligerent, ac novissima providerent* multi, ut tandem ipsi nobiscum, et nos cum ipsis perveniremus ad prædictum regnum, ipso præstante, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. Tob. ii, 11.

[2] Deuteron. xxxii, 29.

PSALMUS CVII.

Dicit cor suum ad Dei cultum paratum, et ideo victoriam sperat.

1. Canticum Psalmi, ipsi David.
(*Supra*, LVI, 8.)
2. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum : cantabo, et psallam in gloria mea.
3. Exsurge, gloria mea : exsurge, psalterium et cithara : exsurgam diluculo.
4. Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in nationibus :
5. Quia magna est super cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.
6. Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua :
7. Ut liberentur dilecti tui,
Salvum fac dextera tua, et exaudi me.
8. Deus locutus est in sancto suo : Exsultabo, et dividam Sichimam : et convallem tabernaculorum dimetiar.
9. Meus est Galaad, et meus est Manasses : et Ephraim susceptio capitis mei.
Juda rex meus.
10. Moab lebes spei meæ:
In Idumæam extendam calceamentum meum : mihi alienigenæ amici facti sunt.
11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam ?
12. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? et non exibis, Deus, in virtutibus nostris?
13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.
14. In Deo faciemus virtutem : et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

IN PSALMUM CVII

COMMENTARIUS.

1 « *Canticum Psalmi, ipsi David*[1]. »

« *Paratum cor meum.* » Hic est Psalmus centesimus septimus in toto libro, in tertia vero parte septimus. In præcedentibus enim Psalmis monuit ad laudem Dei pro beneficiis exhibitis populo antiquo, scilicet Hebræorum, hic monet secundo ad laudem, vel magis promittit se laudaturum pro beneficiis exhibitis populo novo, scilicet Christiano, vel in suo capite, vel in seipso : et secundum hoc dicuntur duo in hac parte. Primo, promissio laudis pro beneficiis exhibitis populo novæ legis in suo capite

[1] Ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, est composé de deux fragments empruntés à deux chants de David, LVI, 8-12, et LIX, 7-14. On a retranché les premiers versets du psaume X, qui rappelaient des jours malheureux, et on les a remplacés par d'autres versets du psaume LVI, de manière à former un hymne triomphal et solennel. Le tout est attribué à David, qui

Christo, quæ sunt Incarnatio, Passio, Resurrectio, et hujusmodi. Secundo, invitat ad laudem pro beneficiis illis populo exhibitis in seipso, ibi, Psal. CXII, 1 : *Laudate, pueri, Dominum.*

Argumentum Psalmi : Filii Dei incarnatio.

In prima quinque, secundum quinque beneficia, de quibus agit in quinque Psalmis. Primum beneficium est Incarnatio, de qua agitur in hoc Psalmo : vult enim Glossa, quod « agatur de Christo, secun- « dum utramque naturam. » Secundo, de beneficio Passionis in sequenti Psalmo CVIII, 1 : *Deus, laudem meam.* Tertio, de beneficio Resurrectionis, ibi, Psal. CIX, 1 : *Dixit Dominus Domino meo.* Quarto, pro beneficio conversionis panis materialis in corpus suum, ut fiat nobis esca, ibi, Psal. CX, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* » Quinto et ultimo, de beneficio adhuc futuro in re, sed habito in spe, scilicet de adventu in judicium, ibi, Psal. CXI, 1 : *Beatus vir qui timet Dominum.*

Quod autem agatur hic de beneficio Incarnationis Filii Dei, ostendit satis titulus præmissus, qui talis est : « *Canticum Psalmi,* » supple, consecutivum : cantabatur enim voce humana, post instrumento quod vocabatur *psalterium : « ipsi David,* » id est, Christo, per regulam superius dictam, quod ubicumque *ipsi* additur ad *David,* de Christo debet intelligi. Christus autem sonat in personam, in qua duæ naturæ uniuntur, humana scilicet, et divina. Et sunt collecta verba hujus Psalmi ex duobus aliis Psalmis, scilicet quinquagesimo sexto, et quinquagesimo nono. Primus, *Miserere mei, Deus, miserere.* Secundus, *Deus, repulisti nos.* Et est sextus inter illos qui agunt de utraque natura Christi. Primus enim fuit, *Quare fremuerunt.* Secundus, *Domine, Dominus noster.* Tertius, *Domine, in virtute tua.* Quartus, *Deus stetit in synagoga.* Quintus, *Deus ultionum.* Et hic sextus[1].

Dividitur autem Psalmus in duas partes. In prima enim laudat pro beneficio Incarnationis, quod prævidet futurum. In secunda, conversus ad Deum orat ut impleatur tantum bonum, ibi, ỳ. 6 : « *Exaltare super cœlos.* »

In prima duo. Primo, promittit se laudaturum in se, quod est etiam laudare. Secundo, in suis, ibi, ỳ. 4 : « *Confitebor tibi in populis.* »

In prima duo. Primo, promittit se laudaturum, ostendendo sui promptitudinem ad laudem. Secundo, subjungit beneficium, propter quod vult laudare tamquam causam laudis, ibi, ỳ. 3 : « *Exsurge psalterium.* »

In prima duo. Primo, ostendit sui promptitudinem. Secundo, ad quid promptus sit, quia ad laudem, ibi, « *Cantabo, et psallam.* »

Ostendit autem sui promptitudinem ex duobus. Primo, ex remotione mali, quod impedit laudem Dei. Secundo, ex

est en effet l'auteur des deux morceaux originaux. Il n'est pas démontré toutefois qu'il le soit aussi du nouvel agencement. Le psaume ainsi adapté pourrait bien être dû, comme Schegg le conjecture, aux Juifs revenus de Babylone ; héritiers du domaine de leurs pères, et harcelés par les peuplades ennemies qui les entouraient, ils pouvaient bien chanter, comme David, leur prise de possession de l'héritage que Dieu leur rendait.

Il y a entre les différents textes quelques variantes insignifiantes. Au ỳ. 2, *af, aussi*, remplace le premier *hourah* du psaume LVI. — Au ỳ. 4, *Jéhova* au lieu d'*Adonaï*. — Au ỳ. 5, « *au dessus des cieux* » pour « *jusqu'aux cieux.* » — Au ỳ. 7, le chétif *vahanénio* du psaume LIX est reproduit. — Le ỳ. 10 présente le plus grand changement ; au lieu de : « *Crie sur moi, Philistie !* » nous avons ici : « *Je crie sur la Philistie,* » je pousse des cris de triomphe à son sujet. Cette variante provient d'une modification orthographique très légère.

La Vulgate a aussi quelques changements : ỳ. 2, *in gloria mea* est ajouté ; ỳ. 6, *susceptio* pour *fortitudo* ; ỳ. 10, *amici facti sunt* pour *subditi sunt*, et ỳ. 14, *inimicos* pour *tribulantes*. Ces changements remontent aux Septante, sauf celui du ỳ. 10, qui n'est autorisé que par quelques manuscrits grecs.

[1] Scilicet Psalmi III, VIII, XX, LXXXI, XCIII et CVII.

oppositione boni, ad quæ duo respicit, ibi, « *Paratum* » repetitum.

Vel, sic posset littera dividi magis secundum Glossam, ut loquatur Christus ostendens primo sui promptitudinem ex duobus dictis ad laudandum pro sua resurrectione. Secundo, subjungatur vox Patris ad eamdem resurrectionem Christum invitantis, ibi, ỳ. 3 : « *Exsurge.* » Tertio, iterum vox Filii tempus suæ resurrectionis ostendentis, ibi, « *Exsurgam.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo secundum primam divisionem : Sic invitavi alios ad laudandum, propter multiplicia bona antiquis exhibita : sed etiam « *cor meum,* » non tantum os, « *paratum* » est, per amotionem culpæ, o « *Deus.* » Et repetit, « *Paratum cor meum,* » desiderio et fervore. Scio enim illud Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et iterum illud Jerem. XLVIII, 10 : *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* Et dicit, « *Cor,* » id est, anima, non caro, quia Matth. XXVI, 41, dicitur : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* I Reg. VII, 3 : *Præparate corda vestra Domino.* Debet autem parari cor amovendo malum, et extendendo desiderium : vel debet parari secundum utrumque, adspectum scilicet, et affectum. Item, debet parari ad opprobria, debet parari ad flagella. Item, debet parari ad implendum præceptum. Debet etiam parari ad perficiendum consilia. Vel, parari debet ad cantandum, ut moveat os ad cantandum : parari ad operandum, ut moveat manum.

Quomodo et ad quid debet cor parari ?

De quibus duobus subdit statim :

« *Cantabo.* » Et est secundum, in quo ostendit ad quid paratus sit, quia ad cantandum ore et opere, ibi, « *Et psallam.* » Et hoc est pro gloriosa assumptione sui, hoc est, naturæ suæ a Filio Dei.

Ait enim : Sic est paratum cor meum, unde « *cantabo :* et hoc, « *in gloria mea,* » in assumptione naturæ meæ a te : quod est mihi maxima gloria. Psal. III, 4 : *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea.* « *Et psallam,* » bene operando, hoc est enim psallere, sicut superius dictum fuit. Luc. XXIV, 19 : *Vir potens in opere et sermone.* Si autem loquitur Christus, ut vult Glossa, tunc est sensus : « *Cantabo, et psallam in gloria mea,* » id est, in resurrectione mea gloriosa.

« *Exsurge, gloria mea.* » Hic secundum, scilicet causa et ratio quare velit sic cantare, quod fecit prædicendo. Primo, ergo prædicit Incarnationem. Secundo, introducit Filium quod prædictum est asserentem, ibi, « *Exsurgam diluculo.* » 3

Dicit ergo : Sic dixi, quod paratum est cor meum ad cantandum, et psallendum. Nec mirum : quia o « *psalterium et cithara,* » tu, inquam, qui es « *psalterium* » futurus bene operando, « *cithara* » patiendo, « *exsurge,* » id est, exsurges a somno, qui videris nunc dormire, carnem assumendo. Bona conjunctio *psalterii* cum *cithara.*

« *Exsurgam diluculo.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic dicis quod exsurgam, in mundum veniendo, carnem assumendo : et ego confirmo : « *Exsurgam,* » et hoc, « *diluculo,* » id est, cito : vel in principio temporis gratiæ, quod erit dies. Ad Roman. XIII, 12 : *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Supra, Psal. XI, 6 : *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.* Vel, secundo modo : Quasi diceret : Sic dicis, fili, te paratum cantare et psallere pro tua resurrectione : ergo, o psalterium, et cithara, sicut prius, exsurge a morte : et respondet statim : « *Exsurgam diluculo.* »

Bene autem dicitur *psalterium* Christus, et *cithara* : quia in ipso est omnis gratia ad bene operandum, et ad sustinendum. Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis gratia viæ et veritatis.* Cantic. v, 10 : *Di-*

lectus meus candidus, decore omnium virtutum, *et rubicundus*, tolerantia passionum. Hic procul dubio resurrexit secundum omnem lecturam. Osee, vi, 3: *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*. Et est argumentum, quod resurrectio fuit in mane. Sed potest dici, quod loquitur quantum ad manifestationem resurrectionis, non quantum ad corporis resumptionem. Nec valet quod dicunt aliqui, quod media nocte spoliavit infernum, et in aurora surrexit, quia Proverb. xxxi, 15, dicitur aperte : *De nocte surrexit*. Dominus enim divisit tempus, tantum dans quieti, quantum labori : et ipse tota die Jovis, et nocte sequenti vigilavit, et de die Veneris novem horis. Quievit ergo mortuus tribus horis quæ restabant de die illa, et duodecim de nocte sequenti, et duodecim de die sabbati, et sex de nocte, et sunt utrobique novem et viginti quatuor horæ.

4 « *Confitebor tibi in populis.* » Hic secundum, in quo promittit se in suis laudaturum : et tanguntur duo. Primo, promittit se laudaturum in aliis. Secundo, subjungit rationem laudis, ibi, ỳ. 5 : « *Quia magna est misericordia tua.* »

In prima dicuntur duo. Primo, promittit se laudaturum ore. Secundo, opere, ibi, « *Et psallam tibi.* »

Dicit ergo : Sic paratus sum in meipso : et etiam, « *confitebor tibi, Domine,* » confessione laudis, et hoc, « *in populis,* » mihi subditis. Si loquitur Christus, in conversis a me, et per meam doctrinam, et per bonam vitam. Sic loquitur justus, supra, in Psal. xvii, 50 : *Confitebor tibi in nationibus*. Isa. xlix, 22 : *Ad populos exaltabo signum meum*, ut ad laudem Dei convertam illos. « *Et psallam,* » opere, « *in nationibus*, » ad honorem tuum, et gloriam. Act. x, 45 : *Obstupuerunt..., quia et in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.*

Vel sic potest legi : « *Confitebor tibi*, o *Domine, in populis,* » hoc est, coram populis, et in aperto : « *et psallam*, » bona faciam, « *in nationibus*, » coram nationibus. Quasi diceret : Coram Judæis, et Gentilibus confitebor tibi ore, et opere. Isa. lii, 15 : *Quibus non est narratum de eo viderunt*, justorum bonam vitam : *et qui non audierunt*, per prædicationem, *contemplati sunt*, miram sanctorum operationem. Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Tob. xii, 6 : *Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei*. Item, in Judæis Christus verbis confitetur, quia habent legis verba, quæ Christum sonant : sed in Gentibus psallitur, quia bonis operibus repletur.

« *Quia magna est.* » Hic secundum, ratio et causa laudis : et tangitur duplex. Prima, misericordia in Angelos confirmata. Secunda, veritas per Apostolos ostensa, ibi, « *Et usque ad nubes.* » 5

Dicit ergo : Sic confitebor, et justum est : quia misericordia tua, qua Angelos in bono confirmasti, « *magna est super cœlos,* » spirituales, Angelos scilicet. Psal. xxxii, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris*, etc. Magna etiam, qua per te sunt reparati. Ad Ephes. i, 10 : *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso*. Super cœlos etiam est misericordia tua magna, quia major est quam quæcumque, et quorumcumque Sanctorum merita. Psal. lxii, 4 : *Melior est misericordia tua super vitas*. Job, ix, 15 : *Qui, etiamsi habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor*. Isa. xli, 1 : *Taceant ad me insulæ*, etc. Angeli per Christum reparati.

« *Et usque ad nubes,* » Apostolos tuos scilicet, venit « *veritas tua,* » ut illam diffundant per mundum. Apostoli enim sunt nubes, de quibus comminando Judææ dicit Dominus, Isa. v, 6 : *Nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem*. Et, lx, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes*

volant? Has replevit aqua sapientiæ et veritatis. Eccli. xv, 5 : *Adimplebit illum Dominus spiritu sapientiæ, et intellectus.* Joan. xvi, 13 : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Item, misericordia Dei Christus est : ipse est enim Dei virtus [1]. Hæc autem est proprie misericordia. Et ipse est veritas, Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Hæc misericordia multum crevit, et hæc veritas, quamvis in principio esset parva. Isa. ix, 6 : *Parvulus natus est nobis.* Sed, Daniel. ii, 35 : *Lapis... factus est mons magnus, et implevit universam terram.* Ad Philip. ii, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu,* etc. Isa. lii, 13 : *Exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.* Ad Hebr. i, 5 : *Cui dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ad Ephes. iv, 10 : *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.*

6 Secunda pars Psalmi. « *Exaltare super cœlos.* » Hic est secunda pars, in qua conversus erat ut hæc impleantur, pro quibus se laudaturum promiserat. Dicuntur ergo duo. Primo, orat ut impleatur Filii Dei incarnatio. Secundo, monstrat bona ex illa secutura, ut sic provocet ad dandum petitum, ibi, ℣. 7 : « *Ut liberentur.* »

In prima dicuntur duo. Primo, ut Angelis innotescat Filii Dei incarnatio. Secundo, quod etiam omni homini nota fiat, ibi, « *Et super omnem terram.* »

Dicit ergo : Sic laudabo propter prædicta si fiant : et propter hoc, o Dei Patris Fili, « *exaltare,* » exaltatum te ostende, « *super cœlos,* » super Angelos, carne assumpta et passa ipsos reparando. Ad Ephes. iii, 8 et seq. : *Mihi data est gratia... illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi :... ut innotescat principatibus et potestatibus in cœlestibus.* « *Et super omnem terram gloria tua,* » supple, innotescat. Sic enim præmisisti, Numer. xiv, 21 : *Implebitur gloria Domini universa terra.* Hoc est quod dicitur, Daniel. ii, 35, quod mons magnus replevit totam terram. Eccli. xlii, 16 : *Gloria Domini plenum est opus ejus.* Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas, in cœlo et in terra.*

7 « *Ut liberentur dilecti.* » Hic secundum, in quo ostenditur fructus exaltationis hujus, propter quod est petenda : in quo dicuntur duo, secundum duplicem fructum. Primus est liberatio electorum a malo. Secundus, promotio ipsorum in bono, ibi, in medio ℣. 8 : « *Exsultabo.* »

In prima duo. Primo, tangitur electorum liberatio in petendo, quia in consequentia ad petitum. Secundo, certitudo quod fiet, vel probatio quod fieri debet, ibi, ℣. 8 : « *Deus locutus est.* »

In prima duo. Primo, tangitur liberatio electorum a pœna. Secundo, ab ipsa culpa, ibi, « *Salvum fac dextera.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut exalteris, carnem assumendo : et hoc « *ut liberentur dilecti tui,* » a pœna limbi, in qua detinentur. Zach. ix, 11 : *Emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Vel, *Dilecti* ad litteram, Apostoli, et Apostolorum credentes et imitatores. Joan. xv, 15 : *Jam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos.* Aliter enim non poterant vere liberari. Joan. viii, 36 : *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Jerem. xxxi, 11 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris,* per spiritum libertatis, quem infundit. II ad Corinth. iii, 17 : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

Liberentur etiam omnes creaturæ, quæ

[1] I ad Corinth. i, 18 : *Verbum crucis... Dei virtus est.* Et, ℣℣. 23 et 24 : *Nos prædicamus Christum crucifixum :... Christum Dei virtutem,* etc.

quasi servæ tenentur et gemunt, quas diligis. Sapient. XI, 25 : *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Et, ad Roman. VIII, 21, dicitur : *Liberabitur creatura a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

« *Salvum fac dextera.* » Hic secundum, scilicet electorum liberatio a culpa : in quo dicuntur duo. Primo, liberatio ab instanti. Secundo, a futura, ibi, « *Et exaudi me.* »

Dicit ergo : Sic exaltare, ut dilecti liberentur, et etiam « *dextera tua,* » id est, propitiationis tuæ favore, quod est dextera, « *salvum fac,* » supple, a culpa dilectos tuos : tua enim dextera protegit, Exod. XXXIII, 22 : *Protegam te dextera mea.* Ipsa salvat, Supra, in Psal. XCVII, 1 : *Salvavit sibi dextera ejus.* Et exaltat etiam, Infra, in Psal. CXVII, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.* Æternitatem dat, Proverb. III, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus :* quam porrigit, ut accipiatur quod ibi est. Proverb. I, 24 : *Extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret.* Dextera etiam Dei Filius, in qua, et per quam salvat. Matth. VIII, 25, dicunt Apostoli huic dexteræ : *Domine, salva nos, perimus.* Huic loquitur Jeremias, Jerem. XVII, 14 : *Salvum me fac, et salvus ero.* Nunc in spe, Ad Roman. VIII, 24 : *Spe salvi facti sumus :* et tandem in re, ad Philipp. III, 20 : *Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum*, etc.

« *Et exaudi me.* » Glossa dicit quod ordine præpostero loquitur : debuisset enim dixisse ut videtur, *Exaudi me*, primo, et post *salvum me fac.* Sed potest dici quod primum refertur ad salvationem a peccatis præsentialiter existentibus et in actu : hoc autem, ad salvandum a futuris. Esther, XIV, 19 : *Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent*, supple, nisi in te. Psal. LXVIII, 17, supra : *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua*, etc.

« *Deus locutus est.* » Hic secundum, in quo tactis beneficiis in modo petendi, et orandi, subjungitur certitudo de implendo quod petitum est. 8

Ait enim : Sic dico, quod salvum facias, quod exaudias, et sic fiet : « *Deus locutus est in sancto suo,* » meipso, si loquitur Christus : vel, si loquitur David, *in sancto suo*, Christo scilicet. Hic est sanctus de quo, Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum.* Et, Daniel. IX, 24 : *Sanctus sanctorum.* In hoc locutus est Deus. Ad Hebr. I, 2 : *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*, et in seipso loquente, et in organo suo Paulo, II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Et adverte Glossam : « Quare non « est *per* sanctum suum, sed *in* ? « Hæc autem locutus est in sancto suo « Christo. »

« *Exsultabo, et dividam.* » Hic secundum totius illius partis, in qua agitur de Filii Dei incarnatione. Tacto enim fructu pertinente ad liberationem mali, tangit pertinentem ad promotionem in bonum : et dicuntur duo. Primo, Ecclesiæ in bonum promotio. Secundo, ostenditur per quem sit illa promotio, ibi, ℣. 11 : « *Quis deducet me ?* »

In prima duo. Primo, tangitur Ecclesiæ promotio, vel delectatio in generali. Secundo, in speciali, ibi, « *Meus est Galaad.* »

In prima duo. Primo, tangitur dilatatio in Gentilitatem generaliter. Secundo, in synagogam similiter in generali, ibi, « *Et convallem.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, Domine, ut exalteris ad liberationem dilectorum, et a pœna et a culpa : quod si feceris, « *exsultabo.* » Vel, secundum aliam litteram, « exaltabor. » Et bene concordant, quia in exaltatione Ecclesiæ, est ipsa lætitia. « *Et dividam Sichimam,* » populum scilicet laborantem in peccato, et idololatria. Sichima interpretatur *labor humilium :* et Gentilitas pessime sub virtute

idolorum premebatur. Eccli. L, 28 : *Stultus populus qui habitat in Sichimis.* Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.* Et, XVI, 13 : *Servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Sed hunc populum Dominus divisit, quando majorem illorum partem ad fidem vocavit. Matth. XIII, 48 : *Elegerunt bonos in vasa,* scilicet sua. Divisit etiam ad invicem, quando diversas gratias illis dedit, secundum illud Matth. XXV, 15 : *Unicuique dedit secundum propriam virtutem.* Ad Roman. XII, 13 : *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei,* et fecit eum laborare labore bono propter æterna. Genes. XLIX, 15 : *Vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima : et supposuit humerum suum ad portandum.*

« *Et convallem tabernaculorum.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic dividam Sichimam, « *et dimetiar,* » mensura debita, « *convallem tabernaculorum,* » gentem scilicet Judæorum, alios ad me vocans ut vivant, alios dimittens ut pereant. Vocat autem Judæos *tabernacula,* alludens ei quod dixit Balaam, Numer. XXIV, 5 : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!* Hæc tabernacula dimensus est, alios assumens, alios relinquens, II Reg. VIII, 2 : *Mensus est* David *duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum.* Aliis gratiam tribuens in præsenti, et aliis auferens, suis tamen meritis, I Reg. II, 6 : *Dominus mortificat, et vivificat.* Et in futuro, aliis gloriam dans, aliis vero infligens mortem æternam, Matth. XIV, 41 : *Duæ,* supple, erunt *molentes in mola : una assumetur, et una relinquetur.* Et inter assumptos etiam diversas mensuras habebit, Luc. VI, 38 : *Ea mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Joan. XIV, 2 : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

« *Meus est Galaad.* » Hic secundum, in quo specificat magis de dilatatione Ecclesiæ et sublimatione : et secundum hoc duo dicuntur. Primo, ipsius dilatatio et sublimatio in illis qui de Judæis. Secundo, in illis qui de Gentibus, ibi, « *Moab lebes.* »

In prima duo. Primo, Ecclesiæ multiplicatio per multas bonorum differentias. Secundo, ipsius sublimatio, ibi, « *Juda rex meus.* »

In prima tria, secundum tres differentias sanctorum de Judæis, in quibus, et per quos dicit se dilatandum. Prima differentia est Martyrum, quorum collectio *Galaad* appellatur. Secunda, contemplativorum, quæ per *Manassem* intelligitur. Tertia, activorum, quæ per *Ephraim* designatur.

Dicit ergo : Sic exalteris, et multipliceris ex Gentibus, et Judæis : quod si feceris, « *meus est Galaad,* » id est, Martyres mihi testimonium perhibentes manserunt in unum congregati tamquam in acervo uno. Isa. XLIII, 10 : *Vos testes mei estis, dicit Dominus,* contra infideles, et contra male et tepide viventes. Job, X, 17 : *Instauras testes tuos contra me.* Quomodo enim perversum, vel tepidum non confundat passio vel vita Martyrum? Act. I, 8 : *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad extremum terræ.*

« *Et meus est Manasses,* » scilicet obliviosi omnium terrenorum, et carnalium amicorum. Manasses enim interpretatur *oblivio.* De talibus erat qui dicebat, ad Philip. III, 13 et 14 : *Quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.*

« *Et Ephraim* » frugifer, qui fructificat in operibus (activi isti sunt) est « *susceptio* » (emphatice loquitur) « *capitis mei,* » Christi, id est, suscipiet Christum meum. De talibus fructificantibus, ad Coloss. I, 10 : *In omni opere*

bono fructificantes. Isti susceperunt Dei Filium, sicut truncus suscipit in intimo quod inseritur in illo. Jacob, I, 21 : *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*. Ipse enim est caput corporis, quod est Ecclesia[1]. Et magis fructificantes facit : imo per hoc ipsum quod suscipiunt, fructiferi sunt. Sapient. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*. Nos ergo suscipimus Christum in nobis per veram fidem, et ipse suscepit nos in se per pietatem. Ad Roman. XV, 7 : *Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos*.

« *Juda rex meus*. » Hic secundum, scilicet Ecclesiæ dilatatio, quantum ad exsultationem. Quasi diceret : Sic dilatabor, et etiam « *Juda* » erit « *rex meus*, » quod erit magna dignitas, quia regem habebo de Juda, scilicet Christum, de quo Genes. XLIX, 8 : *Juda, adorabunt te filii patris tui*, in Christo, qui de Juda fuit, sicut Paulus dicit ad Hebr. VII, 14[2], et Apocal. V, 5 : *Vicit leo de tribu Juda*. Judicum, I, 1 et 2 : *Quis ascendet ante nos contra Chanaan, et erit dux belli ? Dixitque Dominus : Judas ascendet : ecce tradidi terram in manu ejus*.

10 Ecclesiæ dilatatio. « *Moab lebes*. » Hic secundum, in quo tangitur dilatatio, quantum ad conversos de Gentibus, quæ tangitur in differentia triplici. Primo, quod multiplicabitur ex superbis. Secundo, quod ex cupidis, ibi, « *In Idumæam*. » Tertio, quod ex carnalibus et luxuriosis, ibi, « *Mihi alienigenæ*. »

Dicit ergo : Sic si fueris exaltatus, hæc bona provenient, quæ prædixi : et etiam « *Moab*, » superbi. Isa. XIII, 11 : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde*. « *Erit lebes*, » vascula, « *spei meæ*, » in quibus erit spes mea. Quasi diceret : Ipsi superbi in Gentibus convertentur, et erunt vasa spei. In alio Psalmo[3], dicitur *olla*, quod idem est. Job, XLI, 22 : *Fervescere faciet Dominus*, scilicet fervore bono, *quasi ollam profundum mare*, cor scilicet profundissimi peccatoris, fervore devotionis, et spei. Zachar. XIV, 20 : *Erunt lebetes in domum Domini quasi phialæ coram altari*. Et sine dubio Moab interpretatur *ex patre*, et signat filios illius qui appetit esse pater, scilicet peccatores. Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis*. Isti fiunt lebes spei, quia in ipsis debemus spem accipere. Osee, II, 15 : *Dabo ei... vallem Achor ad aperiendam spem*. Quis enim cogitat misericordiam Dei in peccatores majores, quam fuit Achor[4], conversos ad Christum, et ab ipso Christo, et non inde haurit spem ? Sicut Magdalenam[5], Matthæum[6], Paulum[7]. Sophon. III, 11 : *Auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ*, superbos scilicet, qui magna sciunt loqui, et pauca facere, ut fiant vasa gratiæ meæ.

« *In Idumæam*. » Hic secundum. Quasi diceret : Sic convertentur superbi, et etiam « *extendam calceamentum meum*, » humanitatem meam, tamquam calceamentum divinitati unitum, « *in Idumæam*, » in sanguineam civitatem, in cupidos, et avaros, qui rapiunt quæ pauperum sunt. Eccli. XXXIV, 25 : *Panis egentium, vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est*. In tales calceamentum suum Ecclesia extendit, quia fidem de incarnatione prædicat, et immittit. Isa. LV, 5 : *Ecce gentem quam nesciebas, vocabis*. Osee, II, 24 : *Dicam non populo meo : populus meus es tu*. Hoc calceamentum, cujus corrigiam solvere indignum se fatebatur

[1] Ad Ephes. I, 22 : *Ipsum*, scilicet Christum, *dedit caput supra omnem Ecclesiam*.

[2] Ad Hebr. VII, 14 : *Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster*.

[3] Vide Commentarium in Psal. LIX, 10, pag. 84 tomi XVI hujusce editionis.

[4] Cf. Josue, VII, 24 et 26.

[5] Cf. Luc. VII, 37 et seq.

[6] Cf. Matth. IX, 9 et seq.

[7] Cf. Act. IX, 1 et seq.

Joannes Baptista[1]. Potest etiam dici ipsum Evangelium. Munit enim interiores animæ pedes valde fortiter. Ad Roman. I, 16 et 17 : *Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti.* De hoc calceamento, ad Ephes. VI, 15 : *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.* Sed hoc extensum fuit in Idumæam, quando per Paulum cupidis de Gentibus dicebatur, I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum, et in tentationem diaboli.*

« *Mihi alienigenæ.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic superbi convertentur, cupidi recipient fidem de incarnatione, et Evangelii prædicatione : et « *alienigenæ,* » luxuriosi, qui alieni sunt multum a Deo, « *mihi amici facti sunt,* » id est, fient, si fecerint quæ supra petii in Psal. LXXXVI, 4 : *Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Abdiæ, ỷ. 1 : *Legatum ad Gentes misit :* quæ erant a Deo alienæ, sicut dicit eis postmodum Paulus, propter enormia peccata luxuriæ, Ad Ephes. II, 12 : *Eratis in illo tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel.*

11 « *Quis deducet me?* » Hic secundum, in quo ostendit per quem fecit hæc omnia bona, completo etiam quod petitum est supra : quia non humana sapientia, sed potentia divina. Et hoc facit quærendo, respondendo, et orando. Primo quidem quærit per quem fieri poterit. Secundo, ostendit per ipsum Deum, non per alium, ibi, ỷ. 12 : « *Nonne tu Deus?* » Tertio, petit ut ipse faciat quod sine ipso nequaquam poterit, ibi, ỷ. 13 : « *Da nobis auxilium.* »

In prima duo secundum duplicem quæstionem quam facit, propter duplicem difficultatem quam conspicit in convertentibus. Primo ergo quærit per quem rebelles contra Deum converti poterunt, et mutari. Secundo, per quem peccatis abominabilibus inquinati, ibi, « *Quis deducet me usque in Idumæam?* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod si fueris incarnatus, ista bona provenient, sed « *quis deducet me,* » id est, fidem de me, « *in civitatem munitam?* » id est, in mundum incredulum, et rebellem, et bonis contrarium. **Mundus cum civitate munita comparatus.**

Hæc est illa civitas, de qua supra, in Psal. LIV, 10 : *Vidi iniquitatem, et contradictionem,* contra Deum, *in civitate.* Hæc est munita muris divitiarum, Nahum, III, 8 : *Aquæ muri ejus,* id est, divitiæ, quæ crescunt et decrescunt. Mali enim frequentius habitant in talibus. Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum.* Propugnaculis scientiarum sæcularium, quæ multum scilicet elevantur in altum, II ad Corinth. x, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Fossatis avaritiæ, quæ tam profunda facit corda et ampla, ut non possint repleri, Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia,* sed miro modo profundior et capacior efficitur. Turribus superborum, inflatorum, et elatorum, Isa. II, 12 et 15, de turribus his : *Dies Domini... super omnem turrim excelsam.* Et, XXX, 25 et 26 : *In die interfectionis multorum, cum ceciderint turres,* scilicet in die judicii, *erit lux lunæ,* etc. Armis detractorum alios vulnerantium, Psal. LVI, 5 : *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ.* Et, ibidem : *Lingua eorum gladius acutus.* Et multitudine populorum, Eccle. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Regum et principum fortitudine : dæmones enim in ea principantur. Sed de dæmone dicitur, Job. XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.*

« *Quis deducet me,* » id est, fidem

[1] Cf. Joan. I, 27.

meam quam teneo, si loquatur Ecclesia : vel, *me*, id est, fidem quæ de me est, si loquitur caput Ecclesiæ : « *usque in Idumæam ?* » id est, in sanguineam civitatem, peccatorum abominationem. Isa. I, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.* Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Vel, primum posset referri ad infernum. Quasi diceret : Quis deducet me in civitatem munitam? gehennam scilicet, ut inde animas captivatas extraham? Similis quæstio, Isa. XLIX, 24 : *Nunquid tolletur a forti præda? aut quod captum est a robusto, salvum esse poterit?* Et secundum refertur ad mundum sicut prius.

12 « *Nonne tu Deus?* » Hic secundum, in quo subjungitur responsio : et dicuntur duo. Primo, nomine proprio designat deductorem in civitatem, et in Idumæam. Secundo, designati nomine subjungit descriptionem, ibi, « *Qui repulisti.* »

Dicit ergo : Sic quæsivi, quis hoc facere sufficiet : « *Nonne tu Deus ?* » Quasi diceret : Sic et non alius. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis*, Domine. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Nec ipse Paulus hoc poterat sicut ipse fatetur, I ad Corinth. XV, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

« *Qui repulisti nos.* » Hic descriptio per duo. Primo, per expositionem suorum tribulationibus. Secundo, per auxilii exterioris subtractionem, ibi, « *Et non exibis, Deus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod tu Deus deduces me, si deducor : Deus, inquam, « *qui repulisti nos*, » tribulationibus exponendo, ac si non curares de nobis. Supra, in Psal. LIX, 3 : *Deus, repulisti nos, et destruxisti nos.* Thren. II, 7 : *Repulit Dominus altare suum.* Nec est contrarium quod dicitur in Psal. XCIII, 14 : *Non repellet Dominus plebem suam.* Et Paulus, ad Roman. XI, 1 : *Nunquid Deus repulit populum suum?* Responsio. Repellit ad tempus, tribulationibus exponendo, sicut loquitur hic : non repellit, finaliter damnando, sicut loquitur Paulus et Psalmus.

« *Et non egredieris, Deus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Tribulationibus nos exponis : « *et non egredieris*, » te exterius manifestando, « *in virtutibus nostris*, » nobis a te datis, sicut faciebas antiquis patribus, sed magis dimittes nos secundum exteriorem apparentiam in manibus eorum. Daniel. III, 32 : *Tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque.* Daniel. IX, 14 : *Vigilavit Dominus super malitiam, et adduxit eam super nos.*

« *Da nobis.* » Hic tertium hujus partis, in quo postquam quæsivit per quem possit fieri salvatio, et responso quod per Dominum solummodo, subjungitur supplicatio ut per ipsum fiat : et dicuntur duo. Primo, supplicatio ut per ipsum fiat liberatio. Secundo, assertio quod fiet tamquam a certo per spiritum prophetiæ, ibi, ℣. 14 : « *In Deo faciemus.* » 13

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, petitionis ratio, ibi, « *Quia vana.* »

Dicit ergo, : Sic, Domine, non alius quam tu poterit prædicta facere, et propter hoc rogamus, « *Da nobis auxilium :* » et hoc, « *de tribulatione*, » nos liberando. Supra, in Psal. XLV, 2 : *Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* Adjuva, tribulationem temperando, ut possimus sustinere, sicut adjuvisti tres pueros in fornace [1]. I ad Corinth. X, 13 : *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione*

[1] Cf. Daniel. III, 1 et seq.

proventum, ut possitis sustinere. Vel sic : « *Da nobis auxilium,* » et hoc, « *de ipsa tribulatione,* » ut ex ipsa noster illuminetur intellectus, secundum illud Eccli. XXIV, 37 : *Mittit disciplinam sicut lucem.* Et ut proficiat in bonum affectus, Proverb. XXXI, 15 : *De nocte surrexit.* De nocte enim surgere, est de tribulatione proficere.

« *Quia vana.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic da nobis auxilium, et necesse est : « *Quia salus hominis,* » ab homine exspectata, qui purus homo sit, et non Deus, est « *vana.* » Isa. XXX, 7 : *Ægyptus frustra et vane auxiliabitur.* Quippe a vano quid posset esse nisi vanitas ? Psal. XXXVIII, 6 : *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Jerem. III, 23 : *Vere in Domino Deo nostro salus Israel.* Propter hoc dicitur, ibidem, XVII, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.*

14 « *In Deo faciemus.* » Hic secundum, in quo postquam petiit, fiducialiter implendum ait quod petiit : et dicuntur duo. Primo scilicet virtuosa operatio. Secundo, inimicorum annihilatio, quæ dabuntur a Deo. Secundum, ibi, « *Ipse ad nihilum.* »

Dicit ergo : Sic petii, et sic fiet, quia nos « *faciemus* » tandem « *virtutem,* » virtuosam scilicet operationem, non a nobis. I ad Corinth. XV, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et, ad Coloss. I, 29 : *Laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.* I Machab. III, 19 : *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.*

« *Et ipse,* » non alius, « *deducet ad nihilum inimicos nostros,* » homines terrenos, qui nos impugnant. Jerem. IV, 23 : *Adspexi terram,* terrenos scilicet homines : *et ecce vacua erat, et nihili.* Genes. I, 2 : *Terra autem erat inanis et vacua.* Isa. XL, 17 : *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo.* Et de Lucifero dicitur, Ezechiel. XXVIII, 19 : *Nihili factus es.* Inimicos enim annihilat, non ut non sint omnino, sed ut nihil possint contra bonos. Ezechiel. XXVI, 21 : *In nihilum redigam te, et non eris, et requisita non invenieris.* Et suppeditati sunt, Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Hoc petebat Paulus, ad Roman. XVI, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter,* ut nec ipse nec membra sua contra nos aliquid possint. Et hæc omnia Deo attribuenda sunt, non homini. Deuteron. VIII, 16 et seq. : *Misertus sum tui, ne diceres in corde tuo : Fortitudo mea, et robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit,* etc.

PSALMUS CVIII.

Opem Dei implorat, et proditori dignas pœnas prædicit.

1. *In finem, Psalmus David.*
2. Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.
3. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.

4. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam.
5. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.
6. Constitue super eum peccatorem : et diabolus stet a dextris ejus.
7. Cum judicatur, exeat condemnatus : et oratio ejus fiat in peccatum.
8. Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.
9. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.
10. Nutantes transferantur filii ejus et mendicent, et ejiciantur de habitationibus suis.
11. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus.
12. Non sit illi adjutor : nec sit qui misereatur pupillis ejus.
13. Fiant nati ejus in interitum : in generatione una deleatur nomen ejus.
14. In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini : et peccatum matris ejus non deleatur.
15. Fiant contra Dominum semper, et dispereat de terra memoria eorum :
16. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam,
17. Et persecutus est hominem inopem et mendicum, et compunctum corde mortificare.
18. Et dilexit maledictionem, et veniet ei : et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum : et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.

19. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona qua semper præcingitur.
20. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam.
21. Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.

Libera me,

22. Quia egenus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intra me.
23. Sicut umbra cum declinat ablatus sum, et excussus sum sicut locustæ.
24. Genua mea infirmata sunt a jejunio : et caro mea immutata est, propter oleum.
25. Et ego factus sum opprobrium illis : viderunt me, et moverunt capita sua.
26. Adjuva me, Domine Deus meus : salvum me fac secundum misericordiam tuam.
27. Et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam.
28. Maledicent illi, et tu benedices. Qui insurgunt in me confundantur, servus autem tuus lætabitur.
29. Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide confusione sua.
30. Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum :
31. Quia adstitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

IN PSALMUM CVIII

COMMENTARIUS.

« *In finem, Psalmus David*[1]. »

« *Deus, laudem meam.* » Hic est Psalmus centesimus octavus. Postquam enim egit immediate ante de beneficio Incarnationis, agit hic de beneficio Passionis : ut propter illud beneficium laudetur Deus. Et est quintus in numero illorum Psalmorum, in quibus agitur late et diffuse de Christi passione. Primus, *Deus, Deus meus, respice in me.* Secundus, *Judica, Domine, nocentes me.* Tertius, *Exaudi, Domine, orationem meam cum deprecor.* Quartus, *Salvum me fac, Deus*[2]. Et hic quintus, quod satis ostenditur in titulo. Sic enim exponendus est : « *Psalmus* » subjectus est « *David,* » id est, Christi, « *in fi-*

Argumentum Psalmi: Christi passio.

[1] C'est avec raison que le titre attribue le psaume à David. Il contient des malédictions contre les ennemis qui s'acharnent à persécuter le psalmiste, contre l'un deux en particulier. Les ℣℣. 17, 22, 31, où David se représente lui-même comme un homme pauvre et malheureux, ne permettent guère de songer à la révolte d'Absalon, durant laquelle David était encore le roi légitime d'Israel ; d'autres remarques, le silence sur Sion, par exemple, et sur les fautes antérieures du suppliant suggèrent la même conclusion. Nous devons donc remonter jusqu'à la persécution de Saül. Celui-ci n'est assurément point l'ennemi particulier que David a en vue ; nous savons le royal psalmiste trop respectueux vis-à-vis de l'oint du Seigneur, pour se permettre à son égard la moindre invective. Il s'agit donc ici de Doëg, le traître qui possède une dignité à la cour de Saül, ℣. 8 (I Reg., xxi, 7), et que sa fourberie et sa cruauté rendent particulièrement détestable. Nous avons par conséquent ici le même sujet que dans les psaumes LI et LXVIII ; mais les malédictions lancées contre le traître sont plus vives encore que dans les autres passages du psautier, et elles visent à la fois le malheureux et toute sa famille. Une certaine exégèse affecte de se scandaliser grandement de tous ces souhaits menaçants, et son scandale est porté au comble quand à la suite de S. Pierre, Act. i, 20, elle voit la tradition catholique reconnaître dans David trahi et dans Doëg le traître, le Sauveur Jésus et le perfide Judas. Remarquons en passant que si quelqu'un doit s'étonner qu'on prête à Notre-Seigneur les paroles du psaume, ce n'est pas le rationaliste pour qui Jésus n'est qu'un simple mortel. Quelques exégètes, Kennicott, Mendelssohn, et plus récemment le Rev. J. Hammond, an Apology for the Vindicative Psalm, dans l'Expositor, 225, Cf. Perowne, ont essayé de tourner la difficulté, en disant que les ℣℣. 6-19 sont tout simplement les paroles de Doëg, rapportées sans avoir été préalablement annoncées, ainsi qu'il arrive souvent dans les Psaumes. Ce qui rend cette idée spécieuse, c'est que dans ces versets il est parlé d'un ennemi en particulier, tandis que le commencement et la fin du psaume parlent au pluriel, et développent des idées familières au psalmiste, de telle sorte que le passage en question a toutes les apparences d'un enclave. Toutes ces raisons se heurtent invinciblement à la citation que fait S. Pierre ; si le ℣. 8, est une imprécation contre David, et David déjà roi, puisqu'on parle de lui ôter sa dignité, comment S. Pierre l'applique-t-il à Judas? Le saint roi peut-il être, en quelque sens que ce soit, le type du traître disciple ? De plus, ajouterons-nous avec Patrizi, comment entendre de lui les ℣℣. 16 et 17 ? Et ces versets ne parlent-ils pas du même homme que le ℣. 22 ? Le passage du pluriel au singulier n'a rien non plus qui doive étonner ; au moment où il composa sa plainte, David, entouré d'ennemis, savait qu'il devait la plus grande partie de ses maux aux instigations de l'un d'entre eux. Si les sentiments exprimés par le persécuté paraissent violents, ils ne sont pas isolés dans le psautier ; on en trouve d'identiques Psal. XXXIV, 4-8 ; LVII, 10, 11 ; LXVIII, 23-29 ; CXXXVIII, 19, etc., sans parler des autres passages de l'Ecriture. Nous n'avons donc point de difficulté spéciale à ce psaume, malgré la longueur et l'insistance de ses malédictions. S. Jean Chrysostôme, constate que de son temps plusieurs en étaient étonnés, et il leur répond qu'il y a là προφητεία ἐν εἴδει ἀρᾶς « prophetia sub specie imprecationis ». C'est déjà ce qu'avait dit S. Athanase : « Quæcumque in hoc psalmo optando dicuntur, « prophetice omnia dicta fuisse sciendum est... « Non enim optat ut id eveniat, sed quæ ejus « improbitatis causa eventura sunt, ipse pro-

nem, » supple, humiliati, scilicet usque ad passionem mortis, et crucis. Ad Philip. II, 8: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Dividitur autem Psalmus in tres partes, secundum tria quæ petit Christus introductus hic. Primo, laudis suæ supplicationem merito passionis. Secundo, inimici illam procurantis dejectionem, ibi, ℣. 6: « *Constitue super eum peccatores.* » Tertio, exuta mortalitate gloriosam resurrectionem, ibi, ℣. 21: « *Et tu, Domine, Domine, fac mecum.* »

In prima duo. Primo, petit laudis suæ publicationem. Secundo, assignat multiplicem rationem quare in hoc debeat exaudiri, ibi, in medio ℣. 2: « *Quia os peccatoris.* »

Dicit ergo Christus: O « *Deus* » Pater, 2
qui eruis sustinentes te, et liberas eos de manu angustiæ[2], « *ne tacueris laudem meam,* » id est, laudem meam ab hominibus taceri ne permiseris. Psal. XXVII, 1: *Ne sileas a me, nequando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.* Hoc autem fiet si me clarificaveris, Joan. XVII, 1: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.* Et, Joan. XII, 28, similiter: *Venit vox de cœlo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Matth. III, 17: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Et similiter, Matth. XVII, 5[3]. Propter hoc specialiter verum est de Christo, quod dicitur, Proverb. X, 7: *Memoria justi cum laudibus.* Jerem. XXIII, 6: *Hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus justus noster.*

« nuntiat. » Cette remarque est d'autant plus importante qu'en hébreu le temps futur sert à exprimer l'optatif, et qu'un souhait ou une malédiction ne peuvent être présentés que sous la forme d'une chose qui doit arriver. Les versions traduisent avec raison par l'optatif, car la prophétie doit s'accomplir, au moins conditionnellement, et « ce que Dieu fait, dit Schegg, « il nous est bien permis de le désirer. » En effet, « punit non delectatione alienæ miseriæ, « sed delectatione justitiæ. »

Le psaume est indirectement messianique, en ce sens que si David est le type du Messie souffrant, Doëg est celui de Judas. C'est l'interprétation de S. Pierre, naturellement suivie par tous les Pères. Cf. Euseb Demonst evang x, 3. Pour eux Judas est le chef de toute la troupe des ennemis du Christ, et en particulier le représentant de la synagogue juive qui est comme la famille du traître, ℣℣. 9-15. « Judas quo« dammodo personam sustinet inimicorum « Christi Judæorum, qui et tunc oderant Chri« stum, et nunc per successionem perseverante « genere ipsius impietatis oderunt. » S. Aug. Le Sauveur parle donc ici de son méchant apôtre, et l'Esprit qui met le psaume sur ses lèvres est le même qui l'a inspiré au psalmiste. Par conséquent, « in verbis quasi mala optantis, « intelligamus prædicta prophetantis. » S. Aug. Le Sauveur était la bonté sans mesure, et il ne voulait point achever le roseau à demi brisé; pourtant il a proféré de terribles malédictions contre les Pharisiens et contre Jérusalem; il a dit de Judas une parole qui exclut toute espérance, et qu'aucun autre mortel n'a jamais eu le malheur d'entendre tomber sur lui: « *Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur; bonum erat ei si natus non fuisset homo ille!* » Matth. XXVI, 24. C'est que le Verbe incarné était à la fois la souveraine bonté et l'infinie justice. « Nemo audiens Dominum fa« cientem legem, ut persequentibus benedica« mus, vaticinationem repugnantem legislatori « esse putet, » dit Théodoret. Le Sauveur est plein de miséricorde, mais il a reçu de son Père le droit de juger, Joan., v, 22; les malédictions du psaume et la parole dite à Judas à la Cène sont comme la sentence d'un juge qui prévoit l'avenir du coupable. Mais dans l'Evangile, ce juge est encore plein de miséricorde et de tendresse, et il donne le nom d'ami à celui dont la réprobation n'est que trop prochaine. On dirait que par une délicatesse toute divine, il a voulu laisser à un écrivain de l'Ancien Testament le soin d'appeler la vengeance sur la tête du grand coupable, et que pour lui, avertissant l'apôtre de la ruine éternelle qui le menace, il ne veut songer qu'à lui mériter le repentir et le salut.

H. Lesêtre.

[1] Scilicet Psal. XXI, XXXIV, LXIII, LXVIII.

[2] Cf. Eccli. LI, et seq., orationem Jesu, filii Sirach.

[3] Cf. etiam II Petri, I, 17, et Luc. IX, 35.

« *Quia os peccatoris.* » Hic secundum, in quo subjungit rationem et causam, quare debeat ejus laus publicari, scilicet illatio mali sine causa, et in publico : et dicuntur tria. Primo, injuria. Secundo, quod sine causa fuit illata, ibi, in medio ỳ. 3 : « *Et expugnaverunt.* » Tertio, quod benefico, et conferenti bona, ibi, ỳ. 4 : « *Pro eo ut me diligerent.* »

In prima tria secundum triplicem injuriam quam fecerunt Judas, et Judæi. Primo, injuriati sunt proferendo verba vituperii. Secundo, doli, ibi, ỳ. 3 : « *Locuti sunt.* » Tertio, damni, ibi, « *Et sermonibus odii.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, laus mea non taceatur, et dignum est : « *quia os peccatoris,* » Judæ scilicet, qui peccator fuit antonomastice, et non credebat manifestus esse, « *et dolosi, apertum est super me,* » per convicia, et vituperia. Job, xvi, 11 : *Aperuerunt super me*, hoc est, contra me, *ora sua.* Thren. ii, 16 : *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui.* Aperuit super eum os suum peccator et dolosus Judas, quando dixit, Matth. xxvi, 15 : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ?* Aperuerunt peccatores et dolosi Judæi, cum dixerunt ad invicem illud Sapient. ii, 12 : *Venite, circumveniamus justum.*

3 « *Locuti sunt adversum me.* » Hic secundum. Quasi diceret : Aperte conviciabantur peccatores et dolosi : et etiam « *locuti sunt adversum me lingua dolosa,* » lingua scilicet exterius blandienti. Matth. xxii, 16 : *Magister, scimus quia verax es*, etc. Jerem. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Eccli. xii, 15 : *In labiis suis indulcat inimicus, et in corde suo insidiatur ut subvertat te in foveam.* « *Locuti sunt etiam lingua dolosa,* » detrahendo, pro qua detractione rogat Psalmista infra, Psal. cxix, 2 : *Domine, libera me a labiis iniquis, et a lingua dolosa.* Detrahebant autem Judæi Christo multipliciter. Primo, attribuendo ei quod suum non erat, Luc. xi, 15 : *In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia.* Male attribuendo quod suum erat, Sapient. ii, 13 : *Filium Dei se nominat.* Et, Joan. xix, 7 : *Filium Dei se fecit.* Attenuando bonum quod fecerat, quando satiaverat in deserto quinque millia hominum quinque panibus, dixerunt : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est*, etc. [1].

Judæi multipliciter Christo detraxerunt.

« *Et sermonibus odii.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic convicia dixerunt, et detraxerunt, « *et* » etiam « *circumdederunt me sermonibus odii.* » Sermones odii proprie sunt, quibus damnum alteri procuratur : et ipsi sermonibus mortem ipsius procuraverunt. Joan. xix, 15 : *Tolle, tolle, crucifige eum.* Psal. lvi, 5, secundum aliam litteram : « Lingua eorum machæra acuta [2]. »

« *Et expugnaverunt.* » Hic secundum, in quo ostensa illorum culpa, et nequitia, innocentiam suam ostendit ad culpæ aggravationem.

Dicit enim : Sic conviciati sunt, detraxerunt, damnum usque ad mortem procuraverunt : « *et* » in his omnibus « *expugnaverunt me,* » et hoc « *gratis:* » id est, pro nihilo et sine causa. Psal. cxix, 7 : *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Et alibi, Psal. cxviii, 161 : *Principes persecuti sunt me gratis.*

Nota Glossam : « Sicut piis per se placet æquitas, etc., » contra quod videtur esse illud Augustini : « Nullus vult malum. » Et est responsio, quod nullus vult malum propter se, sed propter annexum. Vel melius : Nullus bene dispositus : male autem dispositus potest velle. De talibus autem hic loquitur.

[1] Joan. vi, 31.
[2] Vulg. habet, Psal. lvi, 5 : *Lingua eorum gladius acutus.*

4 « *Pro eo ut me diligerent.* » Hic est est tertium, in quo ostendit, quod non tantum sunt injuriati innocenti et bono, sed etiam benefico : unde hic ostendit eorum malitiam, et suam beneficentiam. Et primo, quantum ad verba. Secundo, quantum ad facta, ibi, ỷ. 5 : « *Et posuerunt.* » Tertio, quantum ad interiora cordis, ibi, « *Et odium.* »

In prima duo. Primo, eorum malitia. Secundo, beneficentia Dei, ibi, « *Ego autem orabam.* »

Dicit ergo : Sic impugnaverunt me cum nihil meruissem : et etiam, quod plus est, «*detrahebant mihi,* » aperte et in publico, « *pro eo ut me diligerent,* » id est, ut me diligere deberent, id est, dilectionem in sermone ostendere, in sermone conferendo cum aliis de me.

Detractio grave peccatum.

Venenum pessimum est detractio, maxime de benefico. Eccle. x, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Deo odibile malum, Proverb. vi, 16, 19 : *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus* : et illud est, *Qui seminat inter fratres discordias.* Ad Roman. i, 30 : *Detractores Deo odibiles.* Peccatum inter omnia stultissimum : quia nihil lucratur, et pluribus nocet. Job, xix, 18 : *Stulti despiciebant me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.* Hieronymus : « Quid tibi prodest si mala mea aliis re- « feras, et peccatis meis in detractionibus « meis vulneres alterum ? hoc non est me « emendare, sed tuo vitio satisfacere. » Et unitatis Ecclesiæ scissivum, et destructivum. Augustinus, in libro *contra quinque hæreses :* « Caput meum spinis « exposui, manus meas clavis objeci, « lancea latus meum perforavit, tot ut non « dicam nimiis asperitatibus lanceatus « sum, sanguinem meum fudi, animam « meam tradidi, ut te mihi conjugerem : « et tu dividis me a te, vel te a me ? » Et subdit : « Erubescite, Christiani : tuni- « cam hominis jam mortui, et in cruce « pendentis, Pilati milites non sunt ausi « dividere, et vos Christi charitatem, in « cœlo regnantis, imo ipsius Dei in terris « dividitis. »

« *Ego autem.* » Hic secundum : Christi beneficia.

Ait enim : Sic illi detrahebant : « *ego autem orabam.* » Certe verum est pro ipsis. Luc. xxiii, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Job, xvi, 18 : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces,* supple, pro ipsis.

« *Et posuerunt.* » Hic secundum, in 5
quo ostendit et eorum malitiam, et suam beneficentiam in facto et opere.

Ait enim : Sic detrahebant, et ego orabam : « *Et* » etiam « *posuerunt adversum me mala,* » id est, reposuerunt, et hoc, « *pro bonis* » illis exhibitis. Psal. xxxiv, 12, supra : *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Jerem. xviii, 20 : *Numquid redditur pro bono malum ?* Si saltem pro bonis nullum malum mihi facerent, sustineri posset. Zachar. xi, 12 : *Si bonum est in oculis vestris, offerte mercedem meam, et si non, quiescite,* scilicet non reddatis malum. Sed non fecerunt hoc. Joan. x, 32 : *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo : propter quod horum vultis me lapidare ?*

« *Et odium.* » Ecce tertium, in quo monstrat malitiam eorum, et suam beneficentiam, quantum ad interiora cordis.

Ait enim : Sic mala pro bonis reddiderunt : « *et* » etiam « *odium,* » cordis sui, « *pro dilectione mea,* » qua diligebantur a me. Amos, v, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta.* Joan. xv, 24 et 25 : *Oderunt et me, et Patrem meum. Sed ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis.* Proverb. xxix, 10 : *Viri sanguinum,* Judæi et omnes mali, *oderunt simplicem,* Christum scilicet, et omnem virum bonum. Diligendus autem esset Christus pro sua dilectione, quam prior

exhibuit. I Joan. IV, 19 : *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* Bernardus : « Inveniri potest in dilectio« ne, sed præveniri non potest. »

6 Secunda pars Psalmi. « *Constitue super eum.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in qua postquam oravit pro suæ laudis manifestatione, orat consequenter pro inimici et prosecutoris mortis suæ dejectione : et hoc non optando ejus pœnam, sed prædicendo, et conformando voluntatem suam voluntati divinæ. Primo ergo orat, et prædicit traditoris pœnam, et omnium malorum in illo. Secundo subjungit causam, quare juste sit puniendus, ibi, ℣. 16 : « *Pro eo quod non est recordatus.* »

In prima duo. Primo, orat pro pœna proditoris in seipso. Secundo, in suis, vel filiis, vel parentibus, ibi, ℣. 9 : « *Fiant filii ejus.* »

In prima duo. Primo, petit pœnam qua punitus est a dæmone. Secundo, illam qua punitus est ab ipso Deo justo judice, et hoc in occulto, ibi, ℣. 7 : « *Cum judicatur.* »

In prima duo. Primo, petit dæmonis dominationem super Judam. Secundo, consensum Judæ ad dæmonis voluntatem, ibi, « *Et diabolus.* »

Dicit ergo : Sic oro, et meam laudem non taceas, quia persecutionem patior ab inimico : et etiam conformando meam voluntatem divinæ justitiæ, et ipsam appetendo. Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam :* dico, « *Constitue super eum,* » quem dixi supra peccatorem et dolosum, « *peccatorem,* » scilicet diabolum, qui dicitur *peccator* antonomastice. Primo, quia ab ipso est initium peccati, Sapient. II, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Propter antiquitatem peccandi, Joan. VIII, 44: *Ille erat homicida ab initio.* Propter magnitudinem peccati, quia voluit esse similis Deo, Isa. XIV, 14 : *Similis ero Altissimo.* Propter assiduitatem peccandi, quia non cessat. I Petr. IV, 8 : *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens,* etc. Habac. I, 17 : *Interficere gentes non parcet.*

Quare diabolus dicitur antonomastice peccator?

« *Et diabolus stet.* » Quasi diceret : Sic dominetur ei diabolus : et etiam « *stet a dextris ejus,* » ut opera sint in dextera, sibi scilicet tamquam placentia, secundum illud quod dicitur de iniquis : *Dextera eorum, dextera iniquitatis* [1]. E contra autem Dominus a dextris sanctorum est. Supra, in Psal. XV, 8 : *A dextris est mihi,* Dominus scilicet, *ne commovear.* Et nota, quod diabolus est a sinistris illis quibus aufert tantum temporalia, sicut bono Job [2], et Tobiæ [3]. A dextris aliis, quibus aufert spiritualia, I Reg. XI, 1 et seq., Naas voluit eruere dextros oculos viris de Jabel Galaad. Naas qui interpretatur *serpens,* diabolum signat. Ante faciem, illis qui sibi non cavent a culpa, Habac. III, 5 : *Ante faciem ejus ibit mors.* Proverb. IV, 19 : *Via impiorum tenebrosa,* quia tenebrarum Angelus antecedit : *nesciunt ubi corruunt.* Aliis a tergo, quos impellit in culpam, Supra, in Psal. XXXIV, 6. *Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos.* Aliis supra, quos ad libitum conculcat, Job, XX, 25 : *Et venient super eum horribiles.* Sed aliis est infra, qui eum conculcant, Ad Roman. XVI, 20 : *Deus conterat Satanam sub pedibus vestris.*

Diabolus aliis est a sinistris, aliis a dextris, aliis ante, aliis a tergo, aliis supra, aliis infra.

7 « *Cum judicatur, exeat.* » Hic subjungit petitionem pro pœna, a judice Deo invisibiliter infligenda : in quo petit duo. Primo, ipsius a judice Deo condemnationem. Secundo, frustrationem orationis si effuderit, imo conversionem in malum, ibi, « *Et oratio ejus.* »

Dicit ergo : Sic diabolus stet a dex-

[1] Psal. CXLIII, 8, 11.
[2] Cf. Job, I, 20 et seq.
[3] Cf. Tobiæ, II, 14 et seq.

tris ejus, et ejus consentiat voluntati : et etiam « *cum judicatur,* » a summo et vero judice, qui judicat in occulto. I ad Corinth. iv, 4 : *Qui autem judicat me, Dominus est.* « *Exeat condemnatus,* » sententiam scilicet reportans condemnationis. Joan. iii, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.* Exeat etiam in judicio generali a Christi consortio, secundum illud Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Non sit de numero illorum servorum, quibus dicetur illud Matth. xxv, 21 : *Intra in gaudium Domini tui.* Apocalyps. xxii, 15 : *Foris canes, et venefici.*

« *Et,* » si oraverit, « *oratio ejus fiat,* » supple, ei, « *in peccatum,* » non tantum carens fructu : Deus enim peccatores non exaudit, imo eorum orationes exsecratur. Proverb. xxviii, 9 : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* Isa. i, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ,* etc.

8 « *Fiant dies.* » Hic secundum, in quo imprecatur quasi in seipso pœnam visibilem : et dicuntur duo, secundum pœnam duplicem. Prima est vitæ abbreviatio. Secunda, dignitatis ejus translatio, ibi, « *Et episcopatum ejus.* »

Dicit ergo : Sic puniatur pœna invisibili, et etiam « *fiant dies ejus pauci,* » per mortis ejus accelerationem, sicut debetur malis. Job, xv, 32 : *Antequam impleantur dies ejus, peribit.* Psal. liv, 24 : *Viri sanguinum, et dolosi, non dimidiabunt dies suos,* etc. Et maxime in honore constitutorum. Eccli. x, 11 : *Omnis potentatus brevis vita.* Eccle. viii, 13 : *Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus.* Proverb. x, 27 : *Anni impiorum breviabuntur.*

« *Et episcopatum ejus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic acceleretur ejus mors, « *et episcopatum ejus,* » dignitatem scilicet Apostolatus, in qua erat Judas a Deo positus, « *accipiat alter,* » Mathias scilicet, sicut et factum est, Act. i, 26 : *Et cecidit sors super Mathiam.* Deus enim deponit de sede iniquitatis iniquos, et substituit humiles et pios. Isa. xxii, 19 : *Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te,* dictum est Sobnæ, et statim substituitur Eliacim. Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.* Alter accipit decedentium dignitates, ipsi enim nihil portant secum. Psal. xlviii, 18 : *Non descendet cum eo gloria ejus.* Apocal. iii, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Dicit enim Hieronymus : « Nullus accipit, nisi quod « alius dimittit. » Isa. xxii, 20 et 21 : *Vocabo servum tuum Eliacim, filium Helciæ, et induam illum tunica tua.*

« *Fiant filii ejus.* » Hic secundum, in quo postquam ei imprecatus est pœnam in seipso, etiam miseriam imprecatur in suis. Et primo, in successoribus. Secundo, in antecessoribus, ibi, ℣. 14 : « *In memoriam redeat.* » 9

In prima quinque, secundum quinque mala quæ eis imprecatur. Primum est orphanitas, ut ita dicam. Secundum, viduitas, quantum ad uxorem ibi, « *Et uxor ejus.* » Tertium, instabilitas, ibi, ℣. 10 : « *Nutantes transferantur.* » Quartum, paupertas ibi, « *Et mendicent.* » Quintum, mortis velocitas, ibi, ℣. 13 : « *Fiant nati ejus.* »

Dicit ergo : Sic in se puniatur : et etiam « *filii ejus fiant orphani.* » Hoc sequitur ex hoc quod præcessit, ℣. 7 : *Fiant dies ejus pauci.* « *Et uxor ejus vidua,* » et hoc similiter sequitur ex illo, Jerem. xviii, 21 : *Fiant uxores eorum absque liberis, et viduæ, et viri earum interficiantur morte.* De utroque, Exod. xxii, 24 : *Erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli.* In his filiis et in hac uxore punitus est Judas, quia propter

hos habebat loculos, et erat fur[1]. Jerem. VII, 18 : *Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem.*

10 « *Nutantes transferantur.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic sint orphani filii, uxor vidua, et filii « *nutantes,* » mente, « *transferantur,* » instabilitate exteriori : hoc enim facit peccatum. Genes. IV, 16, Cain post fratricidium factus est vagus et profugus super terram. Thren. I, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Job, XVIII, 4 : *Transferentur rupes,* homines scilicet qui videntur stabiles et fortes, *de loco suo,* propter culpam suam. Nec tantum reddit instabiles quantum ad locum, sed etiam quantum ad opus proprium, Proverb. XI, 18 : *Impius facit opus instabile.* Et etiam quantum ad propositum, Sapient. IV, 3 : *Spuria vitulamina,* scilicet plantationes adulterinæ, *non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt.*

« *Et mendicent.* » Hic imprecatur quartum malum, scilicet paupertatem. Secundo, ostendit modum quo fieri possit tanta paupertas, ibi, ŷ. 11 : « *Scrutetur fœnerator.* »

In prima duo, secundum duo in quibus est arctissima paupertas. Primum, defectus cibi. Secundum, loci, ibi, « *Et ejiciantur.* »

Dicit ergo : Sic transferantur facti instabiles, « *et mendicent* » cibos præ inopia. Jerem. XVIII, 21 : *Da filios eorum in famem.* Job, XX, 10 : *Filii ejus atterentur egestate.* Proverb. XX, 4 : *Mendicabit æstate, et non dabitur illi.*

« *Et ejiciantur de habitationibus suis,* » ut careant locis ad inhabitandum propriis. Job, XVIII, 14 : *Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus.* Isa. XXII, 19 : *Expellam te de statione tua.*

« *Scrutetur fœnerator.* » Hic secun- 11
dum, in quo ostendit modum, quo ad tantam paupertatem poterunt devenire, quia duo. Per præsentiam spoliantis et diripientis, primo. Secundo, per carentiam adjuvantis, ibi, ŷ. 12 : « *Non sit illi.* »

Spolians est duplex : aut sub palliatione boni, et est fœnerator : aut sine, et est raptor, ibi, « *Et diripiant.* »

Dicit ergo : Sic rogo, quod mendicent, et ejiciantur : quod sic poterit fieri : « *fœnerator scrutetur omnem substantiam ejus,* » postquam mutuo acceperit, et non solverit. Supra, Psal. XXXVI, 21 : *Mutuabitur peccator, et non solvet,* fœneratori scilicet, et fœnus crescit, et tandem ad litteram totum scrutatur fœnerator, et portat secum. Abdiæ, ŷ. 6 : *Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus ?* Magnum Dei beneficium ei qui evadit periculum fœneratorum. Psal. LXXI, 14 : *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.* Et Jeremias glorianter dicit, Jerem. XV, 10 : *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam.* IV Reg. IV, 1 : *Mulier...clamabat ad Eliseum...:Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos.*

« *Et diripiant,* » in aperto, « *alieni labores ejus,* » ut accidat ei illud Isa. I, 7 : *Regionem vestram coram vobis alieni devorant.* Et, XLII, 22 : *Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat : in direptionem, nec est qui dicat : Redde.* Jerem. XVII, 3 : *Omnes thesauros tuos in direptionem dabo.* Psal. LXXXVIII, 42 : *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam.* Hanc maledictionem non timent qui in cœlo thesaurizant, secundum consilium Domini, Matth. VI, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo : ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

« *Non sit illi adjutor.* » Hic secundum, 12
in quo imprecatur adjutorii carentiam :

[1] Joan. XII, 6.

et quantum ad opus exterius primo, et quantum ad compassionem interius secundo, ibi, « *Nec sit qui misereatur.* »

Dicit ergo : Sic adsint fœneratores, adsint diripientes : « *et non sit illi adjutor*, ad liberandum ab hoc vel ab illo. Isa. x, 3 : *Quid facietis in die visitationis, et calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium?* Deuter. xxviii, 31 : *Oves tuæ dentur inimicis tuis, et non sit qui te adjuvet.*

« *Nec sit qui misereatur.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non sit adjutor exterius in opere, « *nec sit qui misereatur*, » interiori comparatione, « *pupillis ejus*, » quorum ætas et status deberet ad compassionem movere. Isa. ix, 17 : *Pupillorum ejus, et viduarum non miserebitur.* Et, xiii, 18 : *Sagittis parvulos interficient, et lactantibus uteris non miserebuntur.* Jacob. ii, 13 : *Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam.*

12 « *Fiant nati.* » Hic quintum malum, quod imprecatur ei in successoribus, scilicet mortis velocitas : et dicuntur duo. Primo, imprecatur filiis mortem. Secundo, mortis velocitatem, et generalitatem simul, ibi, « *In generatione una.* »

Ait enim : Sic sint pauperes, « *et fiant nati ejus in interitum*, » ut ipsi intereant propter peccatum patris. Ad Roman. vi, 23 : *Stipendia autem peccati mors.* Et, Joan. viii, 21 : *In peccato vestro moriemini.* Et nota quod dicit : « *Fiant in interitum* : » quasi diceret, semper sint in ipso interitu : unde videtur mortem imprecati æternam. II ad Thessal. i, 19 : *Pœnas dabunt in interitu æternas.* Et tunc intelligendum est de filiis imitationis.

« *In generatione una.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic intereant, et sic « *deleatur nomen ejus in una generatione*, » ut velociter ejus posteritas finiatur, et tota annihiletur usque ad nominis amissionem. Eccli. xli, 10 : *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.* Isa. xiv, 21 : *In iniquitate patrum suorum non consurgent, nec hæreditabunt terram.* Et, paulo post, ℣. 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus.*

« *In memoriam redeat.* » Hic secundum illius partis, in qua imprecatur Judæ malum in suis. Primo enim imprecatus est in successoribus, hic in antecessoribus : illis, quia imitati sunt Judam : istis, quia imitatus est illos. Primi a Juda quasi receperunt : hi in Judam quasi influxerunt. Et primo, precatur Deum jugem habere memoriam de eorum culpa. Secundo, infligere pœnam pro illa, ibi, in medio ℣. 15 : « *Et dispereat.* » 14

In prima duo. Primo, precatur Deum habere memoriam. Secundo, memoriæ continuitatem, ibi, ℣. 15 : « *Fiant contra Dominum.* »

Et in prima primo precatur Deum habere memoriam peccati patris. Secundo, matris, ibi, « *Et peccatum matris.* »

Ait enim : Sic puniatur in suis successoribus : et « *iniquitas patrum ejus*, » si forte abcesserat, « *redeat in memoriam in conspectu Domini*, » ut propter ipsam affligat Judam, ipsorum imitatorem in iniquitate. Job, xxi, 19 : *Deus servabit filiis illius dolorem patris.* Apocal. xvi, 19 : *Babylon magna venit in memoriam ante Deum.* Osee, ix, 9 : *Recordabitur iniquitatis eorum, et visitabit peccata eorum.*

« *Et peccatum matris ejus non deleatur*, » non sit tamquam res deleta, quæ non est in memoria, sed sit sicut illæ, de quibus Jerem. xvii, 1 : *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino.* Hæc mater ejus, puto, est carnalis Jerusalem, de qua Matth. xxiii, 37 : *Jerusalem, Jerusalem,*

quæ occidis prophetas, sicut spiritualis et cœlestis est mater nostra. Hujus peccatum non est deletum. Thren. I, 14: *Vigilavit jugum iniquitatum mearum: in manu ejus convolutæ sunt.* Et, Jerem. XXIII, 40: *Dabo vos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ numquam oblivione delebitur.*

15 « *Fiant contra Dominum.* » Hic secundum, in quo precatur memoriæ continuationem. Quasi diceret: Sic petii, quod Dominum peccata illorum in memoria habeat, et non ad tempus, imo « *fiant* » peccata illa, « *semper contra Dominum,* » id est, ante oculos Domini: unde alia littera habet, « In conspectu Domini, » tamquam signata et fixa. Deuteron. XXXVII, 34: *Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis?* Jerem. XVII, 10: *Ego Dominus scrutans corda, probans renes.* Ad Hebr. IV, 13: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Vel sic: « *Fiant contra Dominum,* » pater et mater, « *semper,* » ut sint blasphemi, et contradicentes divinæ voluntati. Luc. XI, 23: *Qui non est mecum,* per fidem, et obedientiam, *contra me est.* Job, XXXIV, 36, et 37: *Ne desinas ab homine iniquitatis,* tamquam oblitus, quin semper eum affligas: *quia addit super peccata sua blasphemiam.*

« *Et dispereat.* » Hic secundum, in quo postquam precatus est Deum habere jugem de peccatis eorum memoriam, addit pœnam, qua vult eos puniri, ut dispereant usque ad memoriæ annihilationem.

Ait enim: Sic veniat iniquitas in memoriam, et semper sit in illa, « *et dispereat de terra,* » ad litteram, « *memoria eorum,* » ut non sint omnino alicujus bonæ famæ. Job, XVIII, 17: *Memoria illius pereat de terra, et non celebretur nomen ejus in plateis.* Eccli. X, 21: *Memoriam superborum perdidit Dominus:* memoriam dulcem, bene redolentem non relinquunt, sed fœtentem memoriam. Proverb. X, 7: *Memoria justi cum laudibus: et nomen impiorum putrescet.*

« *Pro eo quod non est recordatus.* » 16
Hic secunda pars totius illius in qua petit adversarii pœnam. Postquam enim petiit pœnam, hic subjungit causam, quare tali pœna puniendus, scilicet Judæ culpa. Peccavit autem Judas contra Christi humanitatem: et hanc culpam tangit primo. Peccavit et contra divinitatem: et hanc tangit secundo, ibi, ỳ. 20: « *Hoc opus eorum qui detrahunt.* »

In prima duo dicuntur. Primo, de persecutione Christi hominis. Secundo, de motiva causa persecutionis, ibi, in medio ỳ. 18: « *Et induit maledictionem.* »

In prima tanguntur quatuor. Primo, crudelitas persecutionis, tamquam dispositio ad persequendum. Secundo, ipsa persecutio, ibi, ỳ. 17: « *Et persecutus est.* » Tertio, persecuti descriptio, ibi, « *Hominem inopem.* » Quarto, ad quid, ibi, « *Mortificare.* »

Dicit ergo: Sic fiat ei ut dixi: et justum est: « *pro eo,* » id est, quia, « *non est recordatus,* » propter duritiam cordis, et crudelitatem, « *facere misericordiam.* » Jerem. VI, 23: *Crudelis est, et non miserebitur ejus:* tamen discipulus erat ejus qui dixerat, Matth. V, 7: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et, IX, 13: *Discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium.* Et audisse poterat illud Eccli. XXVIII, 4: *In hominem similem sibi non habet misericordiam, et pro peccatis suis deprecabitur?* Quasi diceret: Nihil valebit illi, quia Jacob. II, 13: *Judicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam.*

« *Et persecutus est.* » Ecce persecutio 17
ipsa, sed quam statim sequitur persecuti

descriptio, quem describit a tribus. A destitutione omnis humani auxilii. A carentia ad sustentationem necessarii, ibi, « *Et mendicum.* » Ab afflictione cordis interiori, ibi, « *Et compunctum.* »

Ait enim : « *Et persecutus est hominem inopem,* » sine spe humani vel mundani auxilii, « *et mendicum,* » carentem rebus ad sustentationem necessariis. Ipse enim erat, in cujus persona David loquens in Psal. LXXXV, 1, dicebat : *Inops, et pauper sum ego.* Isa. LXIII, 5 : *Circumspexi, et non erat auxiliator.* Psal. XXI, 12 : *Tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet.* Thren. III, 10 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ.*

« *Et compunctum,* » multis doloribus, « *corde,* » interius. Alibi, in Psal. LXVIII, 30 : *Ego sum pauper et dolens.* Genes. VI, 6 : *Tactus dolore cordis intrinsecus.* Hunc persequebantur ministri Pilati et Judæorum, secundum illud Psal. LXVIII, 5 : *Confortati sunt qui persecuti sunt me, inimici mei injuste :* sed Judas erat principalior. Luc. XXII, 47 : *Ecce turba, et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos.* Sed ad quid persecutus est ? « *Mortificare,* » id est, ad mortificandum et occidendum, sicut apparuit ex post facto. Hæc ergo persecutio figurata fuit in illa persecutione, qua persecutus est Saul David. I Reg. XXIV, 15 : *Quem persequeris, rex Israel ? quem persequeris ? canem mortuum, et pulicem unum.* Qua persecutus est Cain Abel fratrem suum [1] : qua Absalon patrem proprium [2].

18 « *Et dilexit maledictionem.* » Hic tangitur motiva causa persecutionis, quæ est duplex. Prima, adhæsio peccato immoderata, vel commutabili bono. Secunda, abjectio et contemptus immutabilis boni, ibi, « *Et noluit benedictionem.* »

In qualibet tanguntur duo. Primo, culpa. Secundo, adhærens necessario pœna.

Ait enim : Sic persecutus est, sed quomodo factum est hoc ? quis ipsum movit ? Et respondet : « *Dilexit maledictionem,* » res temporales, quæ dicuntur *maledictio* occasionaliter. Eccli. III, 27 : *Qui amat periculum, in illo peribit.* I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli.* « *Et veniet ei,* » supple, maledictio. Habac. II, 9 : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ !* Appellat forte *maledictionem* ipsam malitiam quæ ei placebat. Psal. LI, 5 : *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Deuter. XI, 26 : *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem et maledictionem.* Eccli. XV, 17 : *Apposuit tibi Dominus aquam et ignem,* peccatum scilicet, et bonum : *ad quod volueris, porrige manum tuam.* Sic et Judæi maledictionem dilexerunt, et venit super eos, quando dixerunt, Matth. XXVII, 25 : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Et venit super illos illud Osee, XII, 14 : *Sanguis ejus super eum veniet, et opprobrium ejus restituet ei Dominus suus.*

« *Et noluit benedictionem,* » benedictum scilicet Christi consortium, nec conjunctionem sui cum Deo : « *et elongabitur ab eo,* » multum : quia descendit in infernum, ille ascendit in cœlum. Psal. LXXII, 27 : *Qui elongant se a te, peribunt.* I Paral. XXVIII, 9 : *Si dereliqueris eum, projiciet te usque in æternum.* Et Judæi ad litteram hanc benedictionem noluerunt, quando dixerunt cæco illuminato, Joan. IX, 28 : *Tu discipulus illius sis :* et ab eis est elongatus transiens ad Gentes. Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.* Job, V, 4 : *Longe fient filii ejus a salute.* Act. XXII, 21 : *In nationes longe mittam te,* quia, Eccli. XV, 7, dicitur : *Longe abest* Dominus *a superbia et dolo.*

[1] Cf. Genes. IV, 5 et seq.

[2] Cf. II Regum, XVI, XVII, XVIII et XIX.

« *Et induit maledictionem.* » Hic tertium, in quo agitur de modo persequendi. Et primo, quia persecutus est exteriori opere. Secundo, quia interiori voluntate, ibi, « *Et intravit.* » Tertio, quod fraudulenter in utroque, vel aperte secundum diversos modo legendi, ibi, ỳ. 19 : « *Fiat ei.* » Quarto, quod constanter, ibi, « *Et sicut zona.* »

Dicit ergo : Sic motus est, quia dilexit malum, et odivit bonum : « *et* » tunc *induit maledictionem sicut vestimentum,* » hoc est, sicut vestimentum est extrinsecum, sic maledictio, id est, culpa, ex qua maledictio sequitur, facta est illi extrinseca. Osee, IV, 2 : *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt* in Juda, et in populo Judæorum.

« *Et intravit sicut aqua.* » Hic ostendit, quod persecutus est interiori voluntate. Et primo, monstratur corruptio voluntatis. Secundo, deliberatio illius corruptionis, hoc est, quod non ex abrupto, sed ex deliberatione fuit, ibi, « *Et sicut oleum.* »

Ait enim : Sic induit maledictionem, ut esset extra : « *et* » etiam, « *intravit in interiora ejus,* » id est, in voluntatem ejus, « *sicut aqua,* » quæ intrat de facili in ventrem, et vix exit de ventre, infrigidat, et corrumpit, et digestionem impedit. De primo, Genes. VIII, 21 : *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* De secundo, Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* De tertio, Jerem. VI, 7 : *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* De quarto, Psal. XIII, 1 : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt.* Propter hoc insultando dicebat Eliu beato Job, XXXIV, 7 : *Qui bibit subsannationem quasi aquam.*

Comparatio peccati cum oleo. « *Et sicut oleum,* » supple, intravit, « *in ossibus ejus,* » in intelligentia, et ratione, in quibus tota debet esse animæ fortitudo. Job, XX, 11 : *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ suæ.* Oleum penetrativum est, nec facit tumultum cum penetrat, sed valde blande intrat : sic culpa. Proverb. XXIII, 32 : *Ingredietur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Oleum etiam rem inunctam reddit habilem et flexibilem, in quo notatur delectatio ad peccatum, et facilis inclinatio rationis. Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint.* Thren. IV, 18 : *Lubricaverunt vestigia nostra :* quippe hæc oleo erant uncta. De hoc oleo, in Psal. CXL, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

« *Fiat ei sicut.* » Ecce tertium. Quasi 19
diceret : Sic exteriori opere, interiori voluntate persecutus est : et etiam « *fiat ei,* » id est, fiet ei illa culpa, maledictio, « *sicut vestimentum,* » non quodcumque, sed « *quo operitur,* » id est, ad operiendum. Quasi diceret : Erit in eo culpa fraudulentiæ, qua cooperit malitiam suam. Jerem. XLIII, 12 : *Captivos ducet illos,* supple, diabolus : *et amicietur terra Ægypti sicut amicitur pastor pallio suo.* Terra Ægypti, quæ amicitur sicut pastor pallio, est terra fraudulentiæ, peccati, et simulationis. Vel, ex opposito, vestimentum quo operitur homo, sicut pallium proprie exterius omnibus apparet, etsi ipso operiatur homo. Sensus ergo est : « *Fiat ei,* » malitia sua, « *sicut vestimentum quo operitur,* » nota scilicet omnibus, et aperta, secundum illud Psal. LXXII, 6 : *Operti sunt impietate et iniquitate sua.* Et iniquitas et impietas extra erunt, non operta, sed cunctis manifesta. Job, XXVI, 6 : *Nullum est operimentum perditioni.* Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.*

« *Et sicut zona.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Sic sit, vel sic erit ejus malitia in aperto : « *et* » etiam fiat ei, id

est, fiet ei, « *sicut zona qua semper præcingitur.* » Præcingimur ut expedite et constanter aliquid faciamus. Sensus ergo est : Sit ad iniquitatem perpetrandam constans et expeditus. II Reg. xx, 9 et 10, Joab accinctus erat gladio, quo interfecit Amasan, quem primo osculatus fuit, et salutavit. Sic Judas peccato seditionis accinctus, Jesum occidit, quem salutavit, et osculatus est [1]. Sed pro hac zona, funiculum quo suspensus est, reportavit [2]. Isa. iii, 24 : *Et erit pro zona funiculus.*

20 « *Hoc opus eorum.* « Hic secundum totius illius partis, in qua agitur de persecutione Christi a Juda, et Judæis, ut monstretur quare sunt puniendi. Postquam enim actum est de persecutione ejus quantum ad humanitatem, hic agitur de persecutione ejus quantum ad divinitatem, quæ erat in detractione et blasphemia. Duo ergo dicuntur. Primo, detractionis culpa. Secundo, in quo erat detractio illa, et blasphemia, ibi, « *Et qui loquuntur mala adversus animam meam.*

Ait enim : Sic persecuti sunt hominem inopem, et mendicum : et « *hoc,* » talis persecutio « *est opus eorum qui* etiam *detrahebant mihi,* » et hoc « *apud Dominum.* » Verum est quod detrahebant ei Judæi, Joan. ix, 16 : *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Et, x, 20 : *Dæmonium habet, et insanit.* Sed hoc *apud Dominum,* quia Dominum non latebat eorum detractio. Sapient. i, 10 : *Tumultus murmurationum non abscondetur.* Quare ? *Quoniam auris zeli audit omnia.* De eodem, Job, xix, 18 : *Stulti despiciebant me, et cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.*

« *Et qui loquuntur.* » In hoc specificat, in quo detrahebant, « *mala adversus animam meam* » dicentes, scilicet quod non habuit potestatem resumendi corpus suum, et sic negabant divinitatis potentiam in me. Matth. xxvii, 63 : *Recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam.* Et dixerat etiam, Joan. x, 18 : *Potestatem habeo ponendi eam,* scilicet animam meam : *et potestatem habeo iterum sumendi eam.*

« *Et tu, Domine.* « Hic est tertia pars totius hujus Psalmi. Postquam enim petiit pro manifestatione suæ laudis, et pro pœna et destructione proditoris, hic petit tertio pro amotione mortalitatis, et gloria resurrectionis. Dicuntur autem duo. Primo, petitio in generali. Secundo in speciali, ibi, ℣. 22 : « *Libera me, quia egenus.* » 21

Tertia pars Psalmi.

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, ratio petitionis, quæ tangitur duplex. Omnipotentia, et suavis misericordia. Primum, cum dicit : « *Propter nomen tuum.* » Secundum, cum addit : « *Quoniam suavis.* «

Dicit ergo : Sic illi faciunt : « *Et tu, Domine* » animæ meæ, « *Domine* » corporis, non sis otiosus, sed « *fac mecum,* » quia non tu solus operaris, sed ego tecum, et tu mecum. Joan. xiv, 10 : *Pater in me manens, ipse facit opera.* Supra, in Psal. lxxxv, 17 : *Fac mecum signum in bonum.* Quid mirum si dicit Filius Patri suo, « *fac mecum,* » quia ipsum liberum arbitrium cum Deo operatur. I ad Corinth. iii, 9 : *Dei sumus adjutores.*

« *Propter nomen tuum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Dixi, quod mecum facias, tamen non excludo, quin hoc ipsum facias, « *propter nomen tuum,* » non meritis præcedentibus. Nulla enim merita præcesserunt, quibus posset natura humana ad tantam excellentiam sublimari. Psal. cxlii, 11 : *Propter nomen tuum vivificabis nos.*

[1] Cf. Matth. xxvi, 48.

[2] Cf. Act. i, 18.

Sed quod est illud nomen? Illud de quo, Exod. xv, 3: *Omnipotens nomen ejus.* Daniel. III, 43: *Da gloriam nomini tuo,* scilicet liberando, ut videaris omnipotens.

« *Quia suavis est.* » Ecce tertium, et ratio secunda. Quasi diceret : Sic fac propter nomen tuum : fac etiam, « *quia misericordia tua est suavis.* » Ipsa enim idem est quod tu : et de te, supra, in Psal. LXXXV, 5 : *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis.* Suavis ergo est misericordia, sicut hic dicitur. Speciosa, Eccli. xxxv, 26 : *Speciosa est misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Universalis, Psal. CXLIV, 9 : *Suavis est Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et æterna, Psal. CII, 17 : *Misericordia ejus ab æterno, et usque in æternum, super timentes eum.*

« *Libera me, quia.* » Hic secundum, in quo agitur de peccatis in speciali : et dicuntur duo. Primo, petit miseriæ amotionem. Secundo, collationem boni, maxime Resurrectionis gloriosæ, ibi, ℣. 26 : « *Adjuva me, Domine.* »

In prima dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, ratio quare exaudiendus sit, ibi, statim, ℣. 22 : « *Quia egenus.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, petii ut mecum facias. Si quæras quid? Ecce : « *Libera me,* » a malis et miseria mortalitatis. Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.*

22 « *Quia egenus.* » Hic supponit rationes quare exaudiendus est, scilicet mala quæ sustinuit propter justitiam, et mundi redemptionem. Et primo, tangit mala quæ sustinuit in factis. Secundo, quæ in verbis, ibi, ℣. 23 : « *Et ego factus sum.* » Tertio, quæ in signis, ibi, « *Viderunt me.* »

Et in prima duo. Primo, quæ sustinuit in seipso. Secundo, quæ in suis, ibi, in medio ℣. 23 : « *Et excussus sum.* »

In prima duo. Primo, carentia boni. Secundo, mali præsentia, ibi, « *Et cor meum.* »

In prima duo. Primo, carentia auxilii. Secundo, necessarii ad sustentationem, ibi, « *Et pauper sum.* »

Dicit ergo : Sic libera, et debes, « *quoniam egenus,* » id est, sine generatione, et gente, quæ me juvet, « *ego sum, et pauper,* » carens rebus ad sustentationem necessariis. II ad Corinth. VIII, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Thren. III, 1 : *Ego vir videns paupertem meam.* Et tales solet adjuvare, Isa. xxv, 4 : *Factus est fortitudo pauperi, et egeno in tribulatione sua.* Psal. x secundum Hebræos, 4 : *Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adjutor.*

« *Et cor meum.* » Ecce præsentia mali, simplicis tribulationis primo : et mortis secundo, ibi, ℣. 23 : « *Sicut umbra.* »

Dicit ergo : Sic egenus et pauper sum factus : « *et cor meum,* » intra me conturbatum est. Matth. XXVI, 38 : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Jerem. XXIII, 9 : *Contritum est cor meum in medio mei.* Joan. XII, 27 : *Nunc,* inquit, *anima mea turbata est* turbatione propassionis, quæ non turbavit rationem, vel contristavit. Isa. XLII, 4 : *Non erit tristis, neque turbulentus.*

« *Sicut umbra.* » Hic secunda miseria in præsentia mali, scilicet mors. 23

Ait enim : Sic turbatum est cor meum : et etiam ego « *ablatus sum,* » de mundo per mortem, « *sicut umbra,* » quæ cito transit valde, quia homo sum, et hominum conditioni me subjeci. Job, VIII, 9 : *Sicut umbra dies nostri super terram.* Isa. LIII, 8 : *Abscissus est*

de terra viventium. Et hoc, « *cum declinat :* » tunc enim citius transit. Psal. ci, 12 : *Dies mei sicut umbra declinaverunt*. Miranda res : Christus sol est, Sapient. v, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis*. Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*. Imo lux, Joan viii, 12 : *Ego sum lux mundi*. Sed hic sol, ista lux facta est sicut umbra in sua passione, Joel, ii, 31 : *Sol convertetur in tenebras*. Et cito in mortem declinavit, Joan. xix, 30 : *Inclinato capite tradidit spiritum*. »

« *Et excussus sum*. » Hic est secundum. Ostensis enim quæ in seipso sustinuit ipse Christus, quantum ad facta, ostendit quæ in suis : et dicuntur duo. Primo, dejectio suorum, Apostolorum scilicet. Secundo, ne crederentur desperati, tangitur consolatio, ibi, in medio ỳ. 24 : « *Et caro*. »

In prima duo. Primo, suorum, scilicet Apostolorum dispersio. Secundo, dispersorum infirmatio, ibi, ỳ. 24 : « *Genua mea*. »

Dicit ergo : Sic in me sum afflictus, « *et*, » in membris meis, « *excussus sum sicut locustæ*, » quæ simul non manent, sed de loco ad locum salientes disperguntur. Joan. xvi, 32, dicit Jesus illis paucis quos habebat : *Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini*, terrore persequentium, *unusquisque in propria, et me solum relinquatis*. Matth. xxvi, 31 : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis* [1]. Et, paulo post, ỳ. 56 : *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt*. Et optime dicit, *Excussus :* sicut farina in cribro excutitur, sic Apostoli fuerunt fortiter excussi. Luc. xxii, 31 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*. Sed his excussis, successerunt postea filii optimi, et non excussi, sed adversarios fortiter saucientes. Psal. cxxvi, 4 : *Sicut sagittæ in manu potentis*, quæ vulnerant fortiter, *ita filii excussorum*. Hoc autem tempore Martyrum, et Confessorum : nunc autem excutiuntur a diabolo valde de facili, qui in alto positi sunt. Apocal. vi, 13 : *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur*.

« *Genua mea*. » Ecce secundum. Qua- 24
si diceret : Sic a me excussi sunt, in quo tamquam in quadam arbore quiescebant, et « *genua mea*, » ipsimet tamquam genua me sustentabant, « *infirmata sunt*, » timore mortis et miseriæ. Ezech. xxi, 7 : *Per cuncta genua fluent aquæ*. Tamen postea fuerunt, sicut dicetur, confirmata. Job, iv, 4 : *Genua trementia confortasti*. Et hoc, « *a jejunio*, » id est, propter jejunium, propter mei carentiam, qui eos tamquam vivus panis reficiebam [2]. Luc. v, 35 : *Venient dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus* [3].

« *Et caro mea*. » Hic secundum, scilicet illorum aliqua consolatio ex Christi resurrectione.

Ait enim : Sic infirmati sunt a jejunio, « *et* » post, ne infirmitas illa ad mortem esset, « *caro mea immutata est*, » in melius scilicet mutata, secundum illud Apostoli, I ad Corinth. xv, 51 : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Et, Job, xiv, 14 : *Exspecto donec veniat immutatio mea*. Et hoc, « *propter oleum*, » id est, propter gratiam tuam, non meis meritis, quæ oleum dicitur. Isa. x, 27 : *Computrescet jugum a facie olei*, id est, gratiæ Dei. Tanta enim fuit in Christo gratiæ plenitudo virtute unionis, ut non potuerit detineri morte, sed statim cum voluit, resurrexit. Act. x, 38 : *Unxit eum Deus Spiritu sancto, et virtute*, Psal. xliv, 8 :

[1] Cf. Zachar. xiii, 17.

[2] Cf. Joan. vi, 48 : *Ego sum panis vitæ*. Ibidem, ỳ. 51 et seq. : *Ego sum panis vivus*, etc.

[3] Cf. Marc. ii, 19 et 20.

Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, etc.

25 « *Et ego factus sum.* » Hic de injuria in verbo, postquam actum est de injuria in facto.

Ait enim : Sic persecuti sunt me, et in me,et in meis : « *et,* » etiam « *ego factus sum opprobrium illis,*» ab eis multa vituperia sustinendo. Thren. III, 14 : *Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die.* Et in eodem, ℣. 30 : *Saturabitur opprobriis.* Christus enim non ambitione, et pompa per mundum incedebat, sed in simplicitate, et propter hoc irridebatur. Job, XII, 4 : *Deridetur justi simplicitas.* Et illis derisionibus nostras sustulit derisiones, illis maledictionibus nostras maledictiones. Ad Galat. III, 13 : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

« *Viderunt me.* » Hic subjungitur de injuria in signo.

Quasi diceret : Sic factis injuriati sunt, et verbis irriserunt : et etiam « *viderunt me* » in cruce pendentem, « *et moverunt capita sua,* » irridendo me tali signo. Isa. LIII, 2 : *Vidimus eum, et non erat adspectus :* quasi nihil erat ad adspiciendum. Deuteron. XXVIII, 66 : *Erit vita tua quasi pendens,* id est, vere pendens, *ante te.* Videbant ergo, et caput movebant. Matth. XXVII, 39 : *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua.* Eccli. XII, 19 : *Caput suum movebit, et plaudet manibus.*

26 « *Adjuva me, Domine.* » Hic secundum, in quo postquam petiit liberari a malo, petit promoveri in bono. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primo, petit gloriosam resurrectionem. Secundo, ut magis moveat, ostendit effectus consequentes ad illam, ibi, ℣. 27 : « *Et sciant quia manus.* »

In prima tria. Primo, petit auxilium homo Christus a Deo Patre. Secundo, subjungit in quo velit adjuvari, ibi, « *Salvum me fac.* » Tertio, per quid, per misericordiam, non per justitiam, ibi, « *Secundum misericordiam.* »

Ait enim : Sic factus sum illis opprobrium in verbo, illusus in facto : sed o « *Domine Deus meus,* » rogo, « *adjuva me.* » In quo? « *Salvum me fac* » a morte, imo a mortalitate, et me in meipso, et me in membris meis. Et hoc non meis meritis, sed « *secundum misericordiam tuam.* » II Paral. in oratione Manassæ, sub finem : *Salvabis me indignum secundum magnam misericordiam tuam.* Pro sua salute oravit, cum, Luc. XXIII, 46, dixit : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Pro suis, Joan. XVII, 11 : *Pater, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

« *Et sciant quia manus.* » Hic tangit effectus consequentes ad salvationem. Et primo, consequentes in omnibus tam bonis quam malis indifferenter. Secundo, consequentes in malis specialiter, et in bonis, ibi, ℣. 28 : « *Maledicent illi.* » 27

In prima duo secundum duplicem conditionem in omnibus consequentem indifferenter. Primo, quod sciant Christum Dei Filium. Secundo,quod incarnatum, ibi, « *Et tu, Domine, fecisti eam.* »

Ait enim : Sic adjuva, et salva : « *et sciant* » per hoc, « *quia manus tua hæc,* » supple, est, quæ in oculis eorum est, nec ipsam cognoscunt, id est sciant me esse manum tuam, illam, de qua scriptum est : *Manus tua Gentes disperdidit, et plantasti eos*[1]. Et quam petie-

[1] Psal. XLIII, 3.

runt dicentes illud cum desiderio et fervore : *Emitte manum tuam de alto* [1]. Et, Isa. XXVI, 11 : *Domine, exaltetur manus tua*, Filius tuus scilicet in cruce elevetur. Sciant, inquam, boni ad gloriam, mali autem ad pœnam : illi experiendo bonitatem et dulcedinem, isti sentiendo justitiam. Joan. VIII, 28 : *Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*, etc.

« *Et tu, Domine.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sciant me manum esse, et sciant, quia « *tu, Domine, fecisti eam,* » manum scilicet : fecisti, inquam, carnem secundum illud Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* Isa. XLIV, 2 : *Hæc dicit Dominus faciens et reformans te, ab utero auxiliator tuus.* Nemo enim posset illam generationem tam mirabilem fecisse, nisi tu, imo nec excogitasse, nec posset adhuc explicare. Isa. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit ?* Propter hoc petebat Ecclesiasticus, Eccli. XXXVI, 7 : *Glorifica manum, et brachium dextrum.*

28 « *Maledicent illi.* » Hic tangit speciales in malis : et hoc primo. Secundo, in bonis, ibi, ỳ. 30 : « *Confitebor Domino.* »

In prima dicuntur duo, secundum duplex malum quod sequitur in malis. Primo, malum culpæ. Secundo, pœnæ, ibi, « *Qui insurgunt.* »

Maledictio qua maledicent Christo inaniter : unde tangitur eorum miseria : et postea agitur de Christi gloria, ibi, « *Et tu benedices.* »

Ait ergo : Sic omnes scient, et « *illi maledicent,* » scilicet perversi, et in malitia obstinati, et mihi in me, et in membris meis, deteriores Balaam, qui timebat maledicere populo Dei, Numer. XXIII, 8 : *Quomodo maledicam cui non maledixit Dominus ?*

« *Et tu benedices,* » eorum maledictionem in benedictionem convertendo, sicut de maledictione Balaam factum fuit, Numer. XXIII, 5 : *Vertit Dominus maledictionem ejus in benedictionem tuam.* Quomodo autem hoc fiat, dicitur, Matth. V, 11 : *Beati eritis cum maledixerint vobis*, homines scilicet, *et exprobraverint*, etc.

« *Qui insurgunt in me,* » vel nunc ante Resurrectionem, vel post, « *confundantur,* » illa confusione, de qua, Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum,* impatientiæ scilicet et blasphemiæ. Jerem. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego.* Et, in Psal. LII, 6 : *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.*

« *Servus autem tuus,* » ego scilicet, per oppositum « *lætabitur,* » vel in seipso, vel in membris suis. In se, propter victoriam de inimicis. Supra, in Psal. CIII, 31 : *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Et vocat se servum Christus prop- Quare Christus vocat se servum ?
ter perfectam obedientiam, quæ fuit in ipso, Ad Philip. II, 8 : *Factus est obediens usque ad mortem.* Propter veram humilitatem, Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Propter ministrationem : hæc est enim servorum. Matth. XX, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Lætabitur etiam in membris suis, secundum illud Isa. LXV, 14 : *Servi mei lætabuntur, et vos confundemini.*

« *Induantur qui detrahunt.* » Hic subjungitur de modo confusionis. Et 29
primo, quod evidenter. Secundo, quod totaliter, intus scilicet, et extra, ibi, « *Et operiantur.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod confundentur adversarii : et hoc sic fiat, quod illi « *qui detrahunt mihi, induantur pudore.* » Psal. XXXIV, 26 : *Induantur confusione et reverentia qui maligna loquun-*

[1] Psal. CXLIII, 7.

tur super me. Et iterum, Psal. LXX, 13 : *Operiantur confusione et pudore qui quærunt mala mihi.* Indumentum hominis exterius videtur. Quasi diceret : Sic confundantur, ut exterius appareat omnibus. Jerem. XX, 12 : *Videam, quæso, ultionem tuam ex eis.*

« *Et operiantur.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic confundantur evidenter, « *et* » etiam « *operiantur confusione sicut diploide.* » Diplois, sicut vult Glossa, duplex pallium est. Quasi diceret : Operiantur confusione duplici, et interiori, et exteriori. Jerem. XVII, 18 : *Duplici contritione contere eos.* Et sic factum est : interiori enim confusione, et exteriori confusi sunt Christi persecutores Judæi, secundum, illud Isa. XL, 2 : *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Sicut et boni duplicia recipiunt pro bonis, et nunc, et in futuro, secundum illud Isa. LXI, 7 : *In terra sua duplicia possidebunt.* Baruch, V, 2 : *Circumdabit te Dominus diploide justitiæ.* Apocal. XVIII, 6 : *Duplicate duplicia secundum opera ejus : in poculo quo miscuit, miscete illi duplum.* Magna enim et multiplex est confusio inimicorum Christi, cum vident eum ita per universum mundum glorificari. Isa. XXIX, 22 : *Non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet :* sed quando? Ibidem, ℣. 23 : *Cum viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum.*

30 « *Confitebor Domino.* » Hic sequitur de effectibus in bonis specialiter. Hi autem effectus sunt confessio, et ejusdem publicatio apud multos. Duo ergo dicuntur. Primo, confessio, et ejusdem publicatio apud multos. Secundo, probatio quod dignum est ut laudetur, ibi, « *Qui adstitit.* »

In prima duo. Primo, confessio. Secundo, publicatio confessionis, ibi, « *Et in medio multorum.* »

Dicit ergo : Sic mali peccabunt, et confundentur, cum adjuveris : ego autem in membris meis, bonis scilicet et justis, « *confitebor Domino,* » confessione laudis, non tantum corde, sed etiam « *in ore meo.* » Ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Eccli. II, 1 : *Confitebor tibi, Domine rex,* interius corde, *et collaudabo te Deum, salvatorem meum,* ore. Et hoc, « *nimis,* » id est, valde, dicit Glossa : non enim notat hic laudis superfluitatem, sed laudis abundantiam, sicut alibi, in Psal. CXXXVIII, 17 : *Nimis honorati sunt amici,* etc. Et alibi, dilectionis vehementiam. Cant. I, 2 : *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.*

« *Et in medio multorum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Laudabo et multum, et in abscondito, imo « *in medio multorum laudabo eum.* » Supra in Psal. XXI, 23 : *In medio Ecclesiæ laudabo te,* cantando, et exsultando in te. Eccli. XXIV, 4 : *In multitudine electorum habebit laudem.* Et prædicando, et docendo, Eccli. XV, 5 : *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus, et adimplebit illum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus.* Dedit exemplum hujus rei, qui dixit, Matth. XXVI, 55 : *Quotidie apud vos sedebam.* Ut quæratur non tantum propria utilitas in cantando in Ecclesia, sed communis in docendo, I ad Corinth. X, 33 : *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis.*

31

« *Quia adstitit a dextris.* » Hic secundum, scilicet probatio quod dignum sit confiteri in publico, et hoc ex duplici beneficio, quod exhibet suis, scilicet quia munit eos in tentationibus, et conservat : tandem quia a miseriis, et tribulationibus animam salvat.

Dicit ergo : Sic confitebor Domino, et laudabo publice : et justum est : « *Quia,* » id est, quia ille, « *adstitit,* » tamquam muniens et conservans,

« *a dextris pauperis.* » Psal. xv, 8 : *A dextris est mihi, ne commovear.* Prov. III, 26 : *Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.* II ad Timoth. IV, 17 : *Dominus mihi adstitit, et confortavit me.* Stat autem Dominus a dextris justorum, quia ex illa parte diabolus impugnare vult potissime. Zachar. III, 1 : *Ostendit mihi Dominus Jesum, sacerdotem magnum... : et Satan stabat a dextris ejus.* Et quia justi non habent nisi dexteram, nihil est in illis sinistrum. Judic. III, 15 : Aod *utraque manu pro dextera utebatur.*

« *Ut salvam.* » Ecce secundum, scilicet salvatio. Quasi diceret : Sic munit stans in dextera : et ad hoc ulterius adstitit, « *ut salvam faceret,* » non ut divitias cumularet, vel honores, aut sanitates corporis daret, « *animam meam,* » exposita carne afflictionibus. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii :* sed anima salva remanet in manu Dei. Sapient. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Et hoc, « *a persequentibus,* » ipsam animam. Eccli. LI, 5 : *Liberasti me de manibus quærentium animam meam,* sicut fecisti beatum Job, II, 6 : *Verumtamen animam illius serva.* Matth. x, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quia Deus salvat illam nunc, tandem salvaturus est cum illa proprium corpus. Ad Philip. III, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ.* Quod in nobis impleat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CIX.

Celebrat Christum ut regem, sacerdotem, et judicem.

1. *Psalmus David.*
Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis [1],
Donec ponam inimicos tuos scabellum petum tuorum [2].
2. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.
3. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te.
4. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech [3].
5. Dominus a dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.
6. Judicabit in nationibus : implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.
7. De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

[1] Matth. XXII, 44.
[2] I ad Corinth. XV, 25 ; ad Hebr. I, 13 et X, 13.
[3] Joan. XII, 34 ; ad Hebr. V, 6, et VII, 17.

IN PSALMUM CIX

COMMENTARIUS.

« *Psalmus David*[1]. »

« *Dixit Dominus Domino meo.* » Hic est Psalmus centesimus nonus in toto libro, nonus in tertia parte libri : in quo postquam actum est de beneficio Incarnationis, et Passionis, agitur de beneficio sublimationis ipsius Christi, ad quod deventum est per humilitatem Passionis, secundum illud Luc. xiv, 11 et xviii, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Et Paulus de Christo, ad Philip. ii, 8 et 9 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens*, Patri, *usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit*, etc[2]. Nec hoc dico propter hoc quod tota ratio exaltationis fuit ex

Argumentum Psalmi: Christi sublimatio.

[1] Le psaume CIX, dit M. Lesêtre, est un mizmor de David. Notre-Seigneur s'en sert dans une argumentation contre les Pharisiens sur la divinité du Messie : *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens* : *Dixit Dominus*, etc., (Matth., xxii, 41-46 ; Marc., xii, 35-37 ; Luc., xx, 41-44). Nous avons à tirer de là trois conclusions importantes : 1° que le psaume est bien de David ; 2° qu'il est inspiré, puisque le saint roi l'a composé « *in Spiritu*, » S. Marc : « *in Spiritu sancto* ; » 3° que c'est une prophétie messianique, puisque Notre-Seigneur le cite comme parlant du Messie, et que cette base d'argumentation est acceptée comme incontestable par les Juifs, disposés pourtant à contredire le Sauveur et à le prendre en défaut. « Quelle joie de voir « Jésus-Christ nous expliquant lui-même les « prophéties qui le regardent, et nous apprenant « par là comme il faut entendre toutes les « autres ! » Boss. Médit. sur l'Ev., dern. Sem. 52° Jour. Cette joie est celle de tous les interprètes catholiques, et de quelques protestants, Rosenmüller, Tholuck, Moll, Johnson, Jennings, qui tiennent le psaume pour directement et exclusivement messianique : l'étude du texte ne fera que confirmer cette idée. C'était d'ailleurs celle de la tradition Juive, comme en font foi l'attitude des Pharisiens devant l'argumentation de Notre Seigneur, et l'interprétation formelle du Talmud. Cf. Perowne. Mais voyant l'usage que les chrétiens faisaient contre eux de ce psaume, les rabbins postérieurs ont abandonné, ici comme dans bien d'autres passages messianiques, leurs antiques traditions. A la place du Messie, ils ont prétendu que le psaume avait en vue Abraham, ou David (*le david* devant signifier alors non plus *de David*, comme dans tous les autres titres, mais *à David* ou *sur David*), ou enfin Ezéchias. C'est cette dernière application qui avait cours au second siècle, comme on le sait par S. Justin, Dial. 33, 83, et Tertullien, adv. Marcion. v, 9. Les rationalistes ont fidèlement suivi les rabbins dans cette voie de l'arbitraire. Herder, Ewald, Hupfeld, Riehm, imaginent qu'au moment où David établit l'arche à Sion, un poète vient l'avertir que le « Seigneur « le fait asseoir à sa droite, » c'est-à-dire, lui assure son secours ; le ℣. 4 est assez embarrassant dans cette hypothèse ; Riehm pense tout expliquer suffisamment en disant que David fut, dans l'antique Salem, le premier successeur de Melchisédech dans la double fonction de roi et de prêtre. Sur quel fondement peut-on affirmer que David fut *cohen ?* On le cherche en vain. Hitzig et Olshausen sont plus logiques en appliquant le psaume à des princes qui furent rois et prêtres, Jonathan, frère de Judas Machabée, Simon, fils de Mathathias, I Machab. xiv, 41, et Alexandre Jannée. Le titre du psaume et la parole de Notre-Seigneur donnent droit de protester énergiquement contre cette prétention, mais les rationalistes ne tiennent point compte de ce qui gêne trop ouvertement leurs théories, et plutôt que de rien rabattre de leur propre infaillibilité, ils préfèrent déclarer modestement, comme Néander, que la science de Notre-Seigneur a été en défaut quand il a attribué le psaume CIX à David.

On ne saurait dire exactement à quelle occasion David écrivit sa prophétie. Plusieurs croient que ce fut à l'époque de l'établissement de l'arche à Sion, ou encore de la guerre contre les Ammonites, II Reg. xi, 1. Ce fut en tout cas postérieurement au premier de ces événements, car le ℣. 2 suppose que la domination du Messie doit avoir son point de départ à Sion. Il n'est pas nécessaire, du reste, d'indiquer une situation historique pour un psaume exclusivement prophétique et messia-

parte humiliatæ humanitatis, sed ex parte unitæ divinitatis : unde assignans sublimationis Christi rationem, assignat in hoc Psalmo, et ex parte divinitatis, et ex parte humanitatis. Eo enim ipso fuit excellentior humilitas, quod erat unita divinitas, ut impleret Christus in se illud Eccli. iii, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

Titulus autem nihil habet novi, propter quod nec nova indiget expositione.

Psalmus autem hic, quia agitur in ipso de utraque natura Christi, ad probandum quod vere sublimandus fuerit et exaltandus, dicitur septimus inter illos, in quibus agitur de utraque natura Christi. Primus enim fuit, *Quare fremuerunt.* Secundus, *Domine Dominus noster.* Tertius, *Domine, in virtute tua.* Quartus, *Deus, judicium tuum regi da.* Quintus, *Deus stetit in synagoga.* Sextus, *Paratum cor meum.* Septimus, hic[1].

Dividitur autem in duas partes. Primo, agit de Christi sublimatione. Secundo, de ratione sublimandi, ibi, ℣. 3 : « *Tecum principium.* »

In prima duo. Sublimatio enim duplex tangitur, quam ostendit in Christo. Altera exaltationis in dignitate. Altera dilatationis in subditis. Primo, ostendit primam in Christo. Secundo, secundam, ibi, ℣. 2 : « *Virgam virtutis.* »

In prima duo. Primo, tangitur ejus occulta sublimatio, quamdiu in fide ambulamus [2]. Secundo, aperta, quando revelabuntur abscondita tenebrarum [3].

In prima duo. Primo, ostendit Patrem operatum in Christo homine. Se-

nique, car l'Esprit souffle où il veut et quand il veut. On ne peut par conséquent admettre l'idée de Delitzch et de Perowne, qui appliquent le psaume à David dans le sens littéral, et au Messie dans le sens spirituel : le titre du psaume et le ℣. 4 deviendraient alors inexplicables, sans parler de la citation du Sauveur dans l'Evangile. David chante le Messie comme roi dominateur et conquérant. « Cette image d'un guerrier détruisant ses « ennemis peut paraître étrange pour repré« senter l'établissement sur la terre de l'empire « spirituel du Christ ; mais David décrit la « victoire du Messie sur ses ennemis par les « images qui lui sont familières, à lui homme « de guerre, de même qu'Ezéchiel emprunte « les siennes au monde assyrien ». Johnson. D'ailleurs la métaphore a son explication dans le psaume même : ce roi guerrier, c'est un prêtre, par conséquent un combattant spirituel, dont la royauté ne vient pas de ce monde, Joan. xviii, 36, et qui ne cherche à conquérir que les âmes. « Le psalmiste le salue « au jour de son triomphe, dans le ciel, gage « de son triomphe sur la terre. » S. J. Chrys. Quod Christus sit Deus, iv, in fine. Signalons ici un remarquable exemple de perspective prophétique : David dans sa contemplation voit le Christ triomphant à la droite du Père ; puis il aperçoit son règne sur la terre, son sacerdoce, intimement lié au mystère de son incarnation, dont les] humiliations lui apparaissent en dernier lieu ; l'ordre chronologique des événements est absolument inverse. Dieu a révélé ses desseins au psalmiste selon l'enchaînement qu'ils ont dans sa pensée éternelle, car pour lui, « prius in intentione posterius « est in exsecutione. »

Les vérités dogmatiques enseignées dans le psaume sont nombreuses et importantes : 1° Supériorité et divinité du Messie, appelé par David *adoni*, mon seigneur, Matth. xxii, 44 ; Marc. xii, 35 ; Luc. xx, 41 ; ad Hebr. i, 13. 2° Toute puissance conférée au Messie, et son ascension : « *sede a dextris meis,* » Act. ii, 34, vii, 55 ; ad Roman. viii, 34 ; ad Hebr. i, 8. I Petr. iii, 22. 3° La victoire définitive sur ses ennemis, ℣℣. 1, 5, 6 ; I ad Corinth. xv, 24, 25 ; ad Hebr. x, 13. 4° Sion, point de départ de sa domination, Isa. ii, 3. 5° Soumission de tous les peuples à son empire, ℣. 3. 6° Son sacerdoce éternel, différent de celui d'Aaron, ad Hebr. vi, 20 et viii, 5. 7° Son pouvoir de Juge, ℣. 6. 8° L'humiliation et la gloire de son incarnation, ℣. 7. 9° enfin, dans la Vulgate, ℣. 3, sa génération éternelle. Aussi aucun endroit de l'ancien Testament n'est-il cité plus souvent que celui-ci dans le Nouveau. Cf. S. Hilar. in Matth. xxiii, 8.

[2] Cf. ad Hebr. ii, 9.

[1] Scilicet, Psal. ii, viii, xx, lxxi, lxxxi, cvi et cix.

[2] Cf. II ad Corinth. v. 7.

[3] Cf. I ad Corinth. iv, 5.

cundo, quid operatus sit in illo, quia sublimationem usque ad confessionem, ibi, « *Sede a dextris meis.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : « *Dominus,* » supple, Deus Pater, et sumitur personaliter, sicut, II ad Corinth. I, 3 : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi.* Vel, essentialiter pro tota Trinitate, sicut, Isa. LXIV, 8 : *Pater noster es tu.* Matth. VI, 9 : *Pater noster, qui es in cœlis.* « *Dixit,* » non oris flatu vocem formando, sed opere implendo : suum enim dicere, facere est. In Psal. XXXII, 9 : *Dixit, et facta sunt.* Vel, « *dixit,* » id est, in æterno verbo suo ordinavit, et sic complebit. Ordinatio enim ejus æterna cassa esse non poterit. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo et non faciet ? locutus est, et non implebit ?* Quasi diceret : Non est possibile. Sed secundum lecturam hanc sumitur Pater personaliter : secundum aliam essentialiter. « *Domino meo,* » homini Christo, qui secundum quod homo, etsi non per id quod homo, sed per hoc quod humanitas divinitati est unita in eo, alias filius esset tantum, non Dominus. Matth. XXII, 45 : *Si David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?* supple, tantum. Quasi diceret : Non fieret hoc.

« *Sede.* » Hic secundum. Quasi diceret : Quid Dominus Pater dixit Domino tuo ? Hoc : « *Sede a dextris meis,* » in potioribus bonis meis, sed adhuc occultatis. Apocal. IV, 2 : *Sedes posita erat in cœlo, et super sedem sedens.* Hoc factum fuit in ejus ascensione. Marc. XVI, 19 : *Assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei.* Ad Hebr. I, 3 : *Sedet a dexteram majestatis,* Dei scilicet, *in excelsis.*

« *Donec ponam.* Hic secundum. Tetigit primo exaltationem Christi, sed occultam, hic apertam.

Ait enim : Sic dixit, cujus dicere facere est, ut sederet, et hoc, « *donec ponam inimicos tuos,* » omnes scilicet infideles, præordinatos tamen ad vitam, « *scabellum pedum tuorum,* » subjectos scilicet tuis pedibus, id est, æternæ divinitati tuæ, quæ omnia sustinet et sustentat. Ad Hebr. I, 3 : *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* Quasi diceret : Occulta sit exaltatio, « *donec* » in fine mundi, quando omnes erunt subjecti : et tunc jam non amplius regnabit in occulto, quod est quodammodo imperfecte regnare, sed aperte. I ad Corinth. XIII, 10 : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Et sic sumitur *donec* proprie, et usitatiori modo. Duplex expositio hujus versus.

Vel sic : « *Sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum,* » id est, quamdiu ponam eos scabellum, et hoc erit æternaliter. Et sic cum præcessit Christi dignitas, subjungitur dignitatis ejus æternitas. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Sic accipitur *donec* in multis locis Scripturæ. I Reg. III, 2 et 3, Heli non poterat videre lucernam, donec exstingueretur[1], id est, quamdiu lucebat, et ardebat. Et, Matth. I, 25, Joseph autem, vir ejus, *non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum,* id est, quamdiu non peperit.

Nec sequitur in his, *Sede... donec ponam inimicos :* ergo non sedebis quando posuero, etc. *Non cognovit do-*

[1] Sic habet Vulgata ex D. Fillion (Ed. Letouzey): I Reg. III, 2 et 3 : *Heli jacebat in loco suo, et oculi ejus caligaverant, nec poterat videre : lucerna Dei antequam exstingueretur Samuel dormiebat in templo Domini.* (Cf. notas 2 et 3 præclari operis cui titulus La Sainte Bible, Lethielleux, I Reg. III, p. 244).

nec peperit : ergo post cognovit. *Lucernam non vidit donec exstingueretur* : ergo post vidit. Quia sicut dicit Hieronymus contra Helvidium : « Non sequitur : « Helvidius non est confessus donec « mortuus : ergo post mortem est con- « fessus : non valet. » Chrysostomus similiter : « Non loquebatur ei donec « mortuus : ergo post loquebatur. Nullo « modo sequitur, I ad Timoth. iv, 16 : « *Donec venio, attende tibi, et doctrinæ* : « non attendet cum venerit Paulus? « Absit. »

Subjiciuntur ergo inimici Christi pedibus ejus quotidie, et ipse regnat : et semper subjicientur, et semper regnabit. Eccli. xxiv, 11 : *Omnium excellentium et sublimium corda virtute calcavi*. Isa. xlv, 1 : *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro,* hæredi scilicet, *cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes,* etc., et fiant omnes inimici scabellum perpetuum. Ut dicat illud Isa. lxvi, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.*

2 « *Virgam virtutis.* » Hic secundum primæ partis totius hujus Psalmi, in qua agitur de sublimatione quantum ad regni dilatationem : et tanguntur duo. Primo, nomine regni, Christi inchoatio. Secundo, ad quos sit ipsius extensio, ibi, « *Dominare in medio inimicorum tuorum.* »

Ait enim : Sic sublimatus es, o Christe, dignitate usque ad dexteram Patris : et etiam « *Dominus emittet virgam,* » regiam scilicet potestatem, quam tibi conferet, « *virtutis tuæ,* » virtuosæ dominationis tuæ, « *ex Sion,* » ad litteram ex illo loco. Ex Judæis scilicet, pro quibus accipitur Sion, emissum est regnum, tamquam a principio et origine. Isa. ii, 3 : *De Sion exibit lex*. Regnum ergo Christi *virga* dicitur, Numer. xxiv, 17 : *Consurget virga de Israel*, id est, regnum Christi ab Israelitis inchoabit, *et percutiet duces Moab*, principalia membra diaboli. Isa. xi, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse*. Et bene dicitur *virga*, quia in Christi regno est justitia, virga dura ad puniendos malos. Psal. ii, 9 : *Reges eos in virga ferrea*. Et misericordia, scilicet virga aurea et tractabilis ad promovendos bonos. Hæc est virga Assueri, de qua agitur, Esther, xv, 15.

Cur regnum Christi dicitur virga?

« *Dominare.* » Ecce extensio. Etenim sic emittet ex Sion virgam : « *Dominare,* » o tu, Christe, vel dominaberis per hunc modum, vel dominabitur Deus Pater per te, « *in medio inimicorum tuorum,* » hoc est, usque ad ipsorum medium extenditur. Primo enim factus est Christus parvus lapis in Judæa, sed postmodum factus est mons magnus in toto mundo [1]. Psal. lxxi, 8 : *Dominabitur a mari usque ad mare*. Genes. xlix, 8 : *Manus ejus in cervicibus inimicorum suorum* : ut illos dejiciat, et subjiciat fidei suæ. Et hoc factum est, quando repulsa veritas a Judæis transivit ad Gentes. Act. xiii, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*. Et etiam *in medio* dicit optime, quia in ipsis cordibus eorum, quæ in medio eorum sunt, est regnum ipsius. Isa. xii, 6 : *Magnus in medio tui Sanctus Israel*. Luc. xvii, 21 : *Regnum Dei intra vos est*, expulsis alienis diis. I Reg. vii, 3 : *Auferte deos alienos de medio vestri*.

« *Tecum principium.* » Hic secunda pars totius Psalmi. Præmissa enim Christi exaltatione, hic subjungitur de exaltationis tantæ ratione. Et cum duplex sit in Christo natura, primo sumit rationes a parte divinitatis. Secundo, a parte humanitatis, ibi, ℣. 4 : « *Juravit Dominus.* » 3

Secunda pars Psalmi.

[1] Daniel. ii, 35.

In prima duo, secundum duo quæ tanguntur de Christi divinitate. Primum est unitas cum Patre in creando. Secundum, æterna generatio ipsius ex Patre, ibi, « *Ex utero.* »

In prima tangitur unitas in creando. Secundo, tantæ unitatis imperceptibilitas in statu moderno, sed tunc in futuro, ibi, « *In die virtutis tuæ.* »

Dicit ergo : Sic dixit Pater Filio, ut sederet ad dexteram, et regnum ejus iterum dilataret, assignans rationem hanc, et dicens : O tu, fili, ego sum « *principium* » unum, et idem « *tecum.* » Joan. x, 30 : *Ego et Pater unum sumus*, una essentia et natura. Unum etiam principium mecum manifestandum, non in hoc miserabili tempore, sed « *in die,* » hoc est, in claritate « *virtutis tuæ,* » tui scilicet, qui virtus mea es. I ad Corinth. I, 23 et 24 : *Nos prædicamus Christum crucifixum,... Christum Dei virtutem*, etc. Manifestando « *in splendoribus sanctorum,* » quando sancti efficientur splendidi, et in anima, secundum illud Isa. LVIII, 11 : *Implebit splendoribus animam tuam :* et in corpore, secundum illud Tob. XIII, 13 : *Luce splendida fulgebis*. Et illud Matth. XIII, 13 : *Tunc justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum.* Et nota Glossam, quæ assignat rationem, quare dicit : Ego sum tecum principium, nam tu es meum.

« *Ex utero.* » Hic tangitur æterna generatio ex Patre, propter quod exaltandus.

Quasi diceret : Sic sublimaberis, quia etiam « *genui te,* » illa inenarrabili generatione, de qua Isa. LIII, 8 : *Generationem ejus quis enarrabit ?* « *Ex utero,* » ex mea secreta substantia et occulta. Ex Patre enim dicitur Filius, quasi tripliciter. Ex ore, Eccli. XXIV, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita*, etc. Ex corde, Psal. XLIV, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum.* « *Ex utero,* » quia consubstantiale, et secum unum. Et hoc, « *ante luciferum,* » et per hoc ante omnem creaturam. Proverb. VIII, 23 : *Ab æterno ordinata sum,... antequam terra fieret.* Aliam lecturam tangit Glossa de David materiali.

« *Juravit Dominus.* » Hic secundum, 4
in quo sumit rationes a parte humanitatis. Ratio autem fuit, ipsius humanitatis immolatio in ara crucis. Dicuntur autem quatuor in hac parte, secundum quatuor quæ ad hanc oblationem concurrerunt. Primo, quis sacerdos, quoniam ipsemet, qui seipsum obtulit. Secundo, quis finis et fructus, vel quæ virtus magis hujus oblationis fuit, ibi, ℣. 5 : « *Dominus a dextris.* » Tertio, tempus hujus oblationis, vel modus, ibi, ℣. 7 : « *De torrente.* » Quarto et ultimo, tam fructuose et virtuose offerentis exaltatio, ibi, « *Propterea.* »

Dicit ergo in prima, quod ex Dei dono Christus homo fuit sacerdos offerens seipsum : et tanguntur tria. Primo, divina promissio. Secundo irrevocatio firmatæ promissionis, ibi, « *Et non pœnitebit.* » Tertio, materia promissionis, ibi, « *Tu es sacerdos.* »

Dicit ergo : Sic dignum est quod sedeas, quia unum es principium cum Deo Patre secundum quod Deus, et etiam quantum ad humanitatem, « *Dominus* » Deus Pater « *juravit,* » firmiter promisit. Ad Hebr. VII, 20 et 21 : *Alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt : hic autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum.* Juravit autem per semetipsum, Genes. XXII, 16 : *Per memetipsum juravi, dicit Dominus.*

« *Et non pœnitebit eum.* » Ecce irrevocabilitas : non enim cadit vel cadere potest in Deum pœnitentia. I Reg. XV, 29 : *Neque enim homo est ut agat pœnitentiam.* Contra, Genes. VI, 7 : *Pœnitet me fecisse eos*, scilicet homines. I Reg. XV, 11 : *Pœnitet me quod constituerim Saul regem.* Et, in eodem, in fine ℣. 35 :

Lugebat Samuel Saülem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel. Respondeo. Mutatio fit in re exteriori, nullo modo in divino consilio, quod est idem quod Deus : in nobis autem cum pœnitemus, fit mutatio in utroque. Dicitur ergo Deus pœnitere propter mutationem rei, non pœnitere propter stabilitatem consilii.

« *Tu es sacerdos.* » Hic tertium, de quo fit illa irrevocabilis promissio, quia de duobus. De sacerdotii æternitate, et de qualitate, ibi, « *Secundum ordinem.* »

Dicit ergo : Sic firmavit et promisit. Quid ? hoc : « *Tu es sacerdos,* » supple, futurus, « *in æternum,* » sacerdotio perpetuo duraturo. Eccli. xlv, 30 : *Statuit illi testamentum pacis,... ut sit illi et semini ejus sacerdotii dignitas in æternum.* Ad Hebr. vii, 24 : *Hic autem,* scilicet Jesus, *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Sed quale erit sacerdotium : « *Secundum ordinem Melchisedech.* »

Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Dicitur autem sacerdos Christus *secundum ordinem Melchisedech* : primo ratione generis, quia sine genealogia fuit : nihil enim legitur de patre et matre ejus carnalibus. Et Christus dixit, Matth. xii, 48 : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* Ratione nominis. Dicitur enim Melchisedech idem quod rex Salem, id est, rex pacis. Et de Christo dicitur, Isa. ix, 6 : *Vocabitur nomen ejus,... pater futuri sæculi, princeps pacis.* Ad Ephes. ii, 14 : *Ipse est pax nostra.* Ratione operis : benedixit enim Abrahæ, Genes. xiv, 19. Et ipse dicit, Numer. vi, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* Decimas accepit. Et Christo debemus dare primitias et decimas, confitendo cum Paulo, ad Philip. ii, 13 : *Operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* Panem et vinum obtulit [1]. Et Christus sanguinem suum sub specie vini, et carnem sub specie panis discipulis dedit, et Deo Patri obtulit, et offerri quotidie facit [2].

« *Dominus a dextris.* » Hic secundum 5
in quo tangitur virtus hujus sacerdotis, qui seipsum obtulit, vel fructus. Et primo, in Judæis, vel comparatione ad Judæos. Secundo, ad Gentiles, ibi, ỳ. 6 : « *Judicabit in nationibus.* »

In prima tangitur in quibus de Judæis specialiter apparuerit passionis virtus, et quando, ibi, « *In die iræ.* »

Dicit ergo : Sic Dominus fortiter eum statuit sacerdotem seipsum offerentem : et, o tu, Pater (convertit sermonem ad Patrem) « *Dominus,* » Christus, « *a dextris tuis,* » in dextris scilicet tuis constitutus, sicut paulo ante dictum est, « *confregit reges,* » majores scilicet de Judæis, et alios regentes confregit in corpore per Romanos, quando tamquam vas confractum, quilibet principum mundi portavit partem suam. Apocal. ii, 27 : *Reget eas,* scilicet gentes, *in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur.* Psal. ii, 9 : *Et tamquam vas figuli confringes eos.* Job, xxxviii, 15 : *Brachium excelsum confringetur.* Confregit in mente, quando quod cogitabant, totum dissipatum est et annihilatum. Job, v, 12 : *Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.* Et hoc, « *in die iræ suæ,* » quando scilicet in illis iram exercuit per Romanos, et eos interius contrivit, et exterius. Matth. xxi, 44 : *Super quem vero* lapis ille *ceciderit, conteret eum.* Hi sunt reges, de quibus in Psal. ii, 2, supra, et Act. iv, 26 : *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum,* etc. Sed impletum est illud Isa. xliii, 17 : *Contriti sunt quasi linum, et exstincti sunt,* scilicet peccatores.

[1] Cf. Genes. xiv, 18 et seq.

[2] Matth. xxvi, 26 et seq. ; Marc. xiv, 22 et seq. ; Luc. xxi, 17 et seq., et I ad Corinth. xi, 23 et seq.

6 « *Judicabit in nationibus.* » Hic tangitur virtus, vel fructus in Gentilibus : et tangitur primo in omnibus generaliter. Secundo, in majoribus specialiter, ibi, « *Conquassabit.* »

In prima autem duo. Primo, ostendit ejus dominium in Gentibus. Secundo, fructus in omnibus communiter, ibi, « *Implebit.* »

Ait enim : Sic confregit reges sibi contrarios, et etiam « *judicabit in nationibus,* » hoc est, ad Gentes, ut in illis fiat judex, transibit. Isa. XLII, 1 : *Judicium Gentibus proferet.* Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam in terra.* Et, XXV, 31 : *Judicium Domino cum Gentibus.* Act. X, 45 : *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est.*

Christus reparavit ruinas hominum et Angelorum.

« *Implebit ruinas.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic transibit ad Gentes, et « *implebit,* » post transitum ad illas, « *ruinas illarum,* » id est, restaurabit, revocans a culpa idololatriæ, in quam ceciderant. Isa. XLIX, 19 : *Deserta tua, et solitudines tuæ, et terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus : et longe fugabuntur qui absorbebant te.* Et, LI, 3 : *Consolabitur Dominus Sion,* Ecclesiam scilicet, *et omnes ruinas ejus reparabit,* supple, et in triumphante quantum ad Angelos, et in militante quantum ad homines : totum enim ante ruinosum erat. Isa. III, 8 : *Ruit enim Jerusalem, et Judas concidit.* Implet etiam ruinas secundum Glossam, quia humilibus, et per humilitatem coram ipso ruentibus, dat gratiæ abundantiam. IV Reg. IV, 3 et seq., vasa vacua implet oleo Eliseus. I Petr. V, 5 : *Humilibus autem dat gratiam.* Job, XI, 17 : *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.*

« *Conquassabit.* » Ecce secundus fructus in Gentibus. Quasi diceret : Sic ruinas reparabit, vel humiles gratia replebit, et « *conquassabit,* » humiliando, « *capita multorum,* » prius per superbiam erecta. Psal. LXXIII, 14 : *Tu confregisti capita draconis,* superbos et elatos, qui sunt ejus capita. Luc. XX, 18 : *Omnis qui ceciderit super lapidem istum, conquassabitur.* Isa. II, 11 : *Incurvabitur altitudo virorum... in die illa.* Et, XLV, 2 : *Gloriosos terræ humiliabo.* Et hoc, « *in terra,* » ad litteram in hac vita. Vel, « in terra copiosa, » secundum aliam litteram. Multi enim conquassantur in terrenorum abundantia. Proverb. I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos.* Vel, in bono, ut sit conquassatio bona. Augustinus : « Melius est homini capite conquassato humiliter incedere, quam capite erecto in futuro in judicium mortis incidere. »

« *De torrente.* » Hic tertium hujus partis, in quo postquam egit de Christi sacerdotio, et post de virtute, vel fructu sacerdotii, subjungitur de modo offerendi. 7

Ait enim : Sic sacerdos æternus Christus confringens reges, implens ruinas, conquassans capita : sed unde hoc ? quod est ipsius sacrificium ! Ecce, « *De torrente,* » de tribulatione, et angustia turbulenta et transitoria, « *bibet,* » invitans consanguineos ad eumdem potum. Matth. XX, 22 : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Ad litteram in horto trans torrentem Cedron captus fuit, et ad passionem ductus [1]. II Reg. XV, 23 : *Rex David transgradiebatur torrentem Cedron,* et mirabiliter, et delectabiliter, omnes duros lapides hujus torrentis sustinuit. Lapides torrentis, et de torrente, illi dulces fuerunt. Hi sunt lapides de torrente, quibus David Goliath interfecit [2].

« *Propterea.* » Hic quartum, scilicet exaltatio tam virtuose offerentis.

[1] Cf Joan. XVIII, 1.

[2] Cf. I Reg. XVII. 40.

Ait enim : Sic bibit de torrente, pleno haustu, « *propterea exaltabit,* » in altum, audacter elevando « *caput,* » tamquam victor. Vel, Dominus exaltabit caput ipsius. Ad Philip. II, 8 et 9 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens,* scilicet Patri, *usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc. Eccli. XI, 1 : *Sapientia humiliati exaltabit caput ipsius.* Et, XX, 11 : *Est qui ab humilitate levabit caput.* Si sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, certum est, quod nec nos intrabimus nisi per humilitatem. Luc. XIV, 11 et XVIII, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur,* et elevabitur, et sublimis erit valde, affectus sui cum Deo firmissima conjunctione. Hæc est gloria, de qua Job, XXII, 29 : *Qui autem humiliatus fuerit, erit in gloria,* ad quam nos perducat, etc.

PSALMUS CX.

Laudat Deum ob beneficia, et incitat ad ejus timorem.

Alleluia.

1. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in consilio justorum, et congregatione.
2. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.
3. Confessio et magnificentia opus ejus : et justitia ejus manet in sæculum sæculi.
4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus.
5. Escam dedit timentibus se.
Memor erit in sæculum testamenti sui.
6. Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo,
7. Ut det illis hæreditatem gentium.
Opera manuum ejus veritas et judicium.
8. Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate.
9. Redemptionem misit populo suo : mandavit in æternum testamentum suum.
Sanctum et terribile nomen ejus.
10. Initium sapientiæ timor Domini [1] :
Intellectus bonus omnibus facientibus eum.
Laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

[1] Proverb. I, 7 et IX, 10 ; Eccli. I, 16.

IN PSALMUM CX

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [1]. »

Argumentum Psalmi: institutio sacramenti altaris.

« *Confitebor tibi, Domine.* » Hic est Psalmus centesimus decimus in toto libro, decimus in tertia parte libri. Postquam enim egit de Christi sublimatione usque ad dexteram Dei Patris, quod factum fuit in Ascensione, quando recessit a nobis, ne nos videatur penitus deseruisse, agitur hic de beneficio commansionis nobiscum in Sacramento Altaris, in quo et nobiscum perpetuo manere voluit, et nos reficere : ex quo potissime est a nobis laudandus : unde intitulatur Psalmus, « *Alleluia,* » et perfecte laudandus : unde Psalmus hic est digestus per omnes litteras Alphabeti Hebraici : sicut enim hic dicitur, et super Psalmum vigesimum quartum, *Ad te, Domine, levavi animam meam*, illi qui non per omnes litteras distinguuntur, ad imperfectos laudatores pertinere videntur : qui autem per omnes, ad perfectos, qualis est iste, et cxi, *Beatus vir qui timet Dominum*, et cxviii, *Beati immaculati in via.* Hilarius tamen vult in Glossa, quod « omnes hujusmodi Psalmi, qui « per elementa digeruntur, ad rudes per« tineant, et sint ad invitandum eos ad « instructionis elementa et primordia di« vinæ laudis. » Sed Cassiodorus, cujus est sententia prima, respicit ad numerum litterarum, quia per omnes digeritur Psalmus : Hilarius ad substantiam ipsarum, quia sunt elementa, vel ordinem, quia prima principia in doctrina. Et bene utrumque : quia in sacra doctrina per totum : et est lac quo parvulorum et rudium nutriatur infantia. I ad Corinth. iii, 2 : *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Et est solidus cibus, quo perfectorum fortitudo amplius roboretur. Ad Hebr. v, 12 : *Facti estis,* de quibusdam, *quibus lacte opus est, non solido cibo.* Et, paulo post, ℣. 14 : *Perfectorum autem est solidus cibus.*

Conciliatio Cassiodori cum Hilario.

Si autem quærat quis, quomodo cum non sint nisi decem versus in toto Psalmo isto, dicitur digestus per omnes litteras Alphabeti ? Dicendum, quod litteræ non tantum præponuntur versibus, sed clausulis, ita quod in octo versibus sunt sedecim : in duobus autem in quibus sunt sex clausulæ, sunt sex, et sic sunt viginti duæ litteræ.

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo quidem promittit in persona generalis justi, laudis confessionem. Secundo, ostendit laudis rationem, et causam, ibi, ℣. 2 : « *Magna opera.* » Tertio, ne videatur quod ad tempus debeat

[1] Ce psaume et le suivant se ressemblent sous bien des rapports, et semblent former, dit S. Jean Chrysostôme, « veluti quoddam « corpus continuum atque conjunctum. » Ils ont tous deux pour titre « *Alleluia* » sont en vers heptasyllabiques, et sont alphabétiques, chaque lettre de l'alphabet commençant un vers. Les sujets seuls sont différents : le premier célèbre le Seigneur à cause de ses bienfaits, le second célèbre l'homme de bien à cause de ses vertus ; et encore y a-t-il entre les deux morceaux des emprunts ou des analogies frappantes ; on peut comparer ainsi entre les deux psaumes les vers qui commencent par les lettres ב, ז, ה, et même ח, et ת. On peut conclure de là avec une grande probabilité que les deux psaumes ont le même auteur. Mais quel est cet auteur ? à quelle époque écrivait-il ? Rien dans le texte ne l'indique. On croit pourtant assez communément qu'il vivait vers l'époque du retour de la captivité.

Les bienfaits que chante ici le psalmiste sont naturellement la figure de ceux que Dieu préparait dans la loi nouvelle.

H. Lesêtre.

pro causis his laudari, subjungit laudis perpetuitatem, ibi, in fine ỳ. 10 : « *Laudatio ejus.* »

In prima duo. Primo, promittitur confessio laudis. Secundo, supponitur modus laudis ipsius, ibi, « *In toto corde.* »

I Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : O « *Domine,* » qui ascendisti ad dexteram Patris, « *confitebor tibi,* » confessione exsultationis et laudis, quæ gaudet, sicut dicit Glossa : non iniquitatis, quæ luget : laudis quæ gratias agit, non iniquitatis quæ vulnus ostendit. Ergo videtur, quod non sit gaudium in confessione peccati. Sed contra, Augustinus de *Pœnitentia :* « Peccator de « peccatis doleat, et de dolore gaudeat, « et se non doluisse doleat. » Proverb. xiv, 10 : *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Respondeo. In confessione laudis, in ipso actu laudis est exsultatio. In confessione peccati, in ipso actu dolor, sed post de hoc ipso quod doluit, gaudium. Loquitur ergo Glossa, prout in actu suo sunt istæ confessiones, scilicet confessio laudis, et confessio iniquitatis.

« *In toto corde meo.* » Hic secundum, in quo tangitur laudis modus, qui tangitur in tribus. In integritate cordis. Discretione, ibi, « *In consilio justorum.* » Et pietate, ibi, « *Et congregatione.* »

Ait enim : Sic dixi, quod confitebor, sed quomodo? « *In toto corde meo,* » non in parte. Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Si intereunt qui non toto corde laudant, sed tantum parte cordis, quid de illis qui solo ore mussitant vel clamant, et nihil corde, de quibus Matth. xv, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [1]. Et, Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum,* etc. Qui autem toto corde laudat, pro certo teneat, quod omnem inimici tentationem fugat. Hæc est enim perfecta doctrina tentationes fugandi, laudare Deum. Psal. XVII, 4 : *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.*

Et ob hoc optime præponitur ALEPH (א), quod interpretatur *mille,* in quo est perfectio vel doctrina tentationum fugiendarum. Quasi diceret : Quod hic dicitur, est perfecta doctrina fugandi tentationes.

« *In consilio justorum.* » Hic secundum eorum quæ pertinent ad modum. Quasi diceret : Sic confitebor corde integro, et « *in consilio justorum,* » ut confitear discrete. Eccli. XXXII, 24 : *Fili, sine consilio nihil facias.* Consilium autem justorum dicitur consilium Dei, justis datum ut perficiantur. Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes,* etc. Et illud Apostoli, I ad Corinth. VII, 25 : *De virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do.* Perfectum enim est confiteri in vera paupertate, et virginitate, et discretum valde.

« *Et congregatione.* » Ecce tertium, quod cum pietate. Confiteri enim quocumque modo extra congregationem Ecclesiæ non valet, sed confiteri in congregatione sanctorum et justorum : quia, Matth. XVIII, 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* infundens veram fidem, vel augens, et charitatem ut sint unum. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* Idem est ergo ac si dixisset : Confitebor tibi in Ecclesia existens, in fide, et charitate. Eccli. LI, 31 : *Congregate vos in domum disciplinæ.*

Et propter hoc huic clausulæ optime præponitur BETH (ב), quod interpretatur *domus.* Quasi diceret : In congregatione quæ est domus Dei, illi confitebor.

« *Magna opera.* » Hic secundum, in 2

[1] Cf. Isa. XXIX, 13.

Secunda pars Psalmi. quo subditur ratio et causa laudis : et dicuntur duo. Primo, sumit rationes a qualitate operum Dei universaliter. Secundo, ab opere quo liberat suos specialiter, quia de illo intendebat, ibi, ỳ. 4 : « *Memoriam fecit.* »

In prima dicuntur quinque secundum quinque quæ dicit de divina operatione. Primo, quia magna. Secundo, quia cum diligentia et discrete facta, ibi, « *Exquisita.* » Tertio, quod gloriosa, ibi, ỳ. 3 : « *Confessio.* » Quarto, quod decora, ibi, « *Et magnificentia.* » Quinto, quod perseverans, ibi, « *Et justitia ejus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod confitebor, et dignum est, quia « *opera,* » in singulari, ut vult Glossa, « *Domini,* » a Domino nobis ostensa, est « *magna.* » Vel, in plurali, opera Domini sunt magna. Job, v, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia.* Estne aliquod opus majus illo, quod fit in conversione impii ? Nullum. Augustinus : « Majus est de impio facere pium, quam cœlum et terram creare. » Et ipse hoc vult, Ezech. xviii, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impii? dicit Dominus Deus : et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* Et suum velle est facere. Psal. cxiii, 3 : *Deus noster in cœlo : omnia quæcumque voluit, fecit.*

Propter hoc bene præponitur huic clausulæ tertia littera GHIMEL (ג), quod interpretatur *plenitudo divinæ bonitatis.*

« *Exquisita.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic opera ejus magna, « *in omnes voluntates ejus,* » non tantum in quibusdam : et « *exquisita,* id est, omni diligentia et discretione facta. Vel, in plurali : nec refert, quia alibi, in Psal. ciii, 24, dixit : *Omnia in sapientia fecisti.* Quid magis exquisitum quam hoc, quod conversis mala præcedentia convertantur in bonum ? Ad Roman. viii, 28 : *Omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Quid magis exquisitum quam quod ipsam sævitiam malorum convertit in bonum ? Daniel. iii, 50 : *Fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Tanta sapientia, tanta exquisitio, ut non attingi possit a sensu humano. Ad Roman. xi, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ,* etc. Ipse enim Deus in creaturis facit opera, tamquam in tabulis scripturas, quæ nemo legere possit, vel sufficit.

Unde præponitur huic clausula DALETH (ד), quod interpretatur *tabulæ* vel *tabularum* : et est idem, ac si diceret : Tam exquisita, et subtilia sunt opera Dei in creaturis, ut ipsæ creaturæ sint tabulæ tabularum, ad quarum capacitatem, nullus possit attingere. Eccle. iii, 11 : *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio mundi usque ad finem.*

« *Confessio.* » Hic tertium, et quar- 3
tum, scilicet gloriosa operatio Dei, et pulchra. Pro eo enim quod hic dicitur, « *Confessio et magnificentia,* » habet littera Hieronymi secundum Hebraicam veritatem, « Gloria, et decor opus ejus : » et secundum nostram litteram, « *Confessio* » laudis, quæ est ejus gloria, « *et magnificentia* » operis, hoc est, opus magnificum, et perfectum, quod est decorum, nobis factum, non est a nobis, sed, « *opus ejus,* » supple, est : ipse enim in nobis facit totum. Ad Roman. ix, 16 : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei est.* Ad Philip. ii, 13 : *Operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.* Eccle. ix, 11 : *Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum,* etc., sed totum Dei, et nostrum esse, et nostrum vivere. Ad Roman. xi, 36 : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Act. xvii, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.*

Propter hoc præponitur optime HE (ה), quod interpretatur *esse,* vel *vivere.* Ac si dicat : Non solum opus nostrum, sed radix operis, esse, et vivere, opus suum est.

« *Et justitia.* » Hic quintum. Quasi diceret : Sic magna sunt, et exquisita, gloriosa, et decora : « *et justitia ejus,* » qua unicuique reddit quod suum est, et quod ei debetur, « *manet in sæculum sæculi,* » hoc est, in æternum. Sapient. I, 15 : *Justitia perpetua est et immortalis.* Isa. XIV, 27 : *Dominus exercituum decrevit, et quis poterit infirmare ?* Manet enim et non corrumpitur.

Unde bene præponitur VAU (ו), quod interpretatur *hæc,* vel *ipsa.* Quasi diceret : Justitia hæc de qua loquitur hic, est ipsa, manens in se stabilis et firma.

4 « *Memoriam fecit.* » Hic secundum, in quo subjungit rationem laudis, ab opere refectionis specialiter. Primo ergo commendatur Sacramenti altaris institutio. Secundo, operatio illius per ministros Ecclesiæ, ibi, in fine ỳ. 7 : « *Opera manuum.* » Tertio, ipsius Sacramenti perceptio cum effectu suo, ibi, in fine ỳ. 8 : « *Sanctum et terribile.* »

In prima duo. Primo, institutionis commendatio. Secundo, publicatio instituti per prædicationem, ibi, ỳ. 6 : « *Virtutem operum.* »

In prima duo. Primo, institutio tangitur. Secundo, monstratur promissionis divinæ adimpletio in institutione, ibi, in medio ỳ. 5 : « *Memor fuit.* »

In prima duo. Primo, ad quid instituerit. Secundo, quid, ibi, ỳ. 5 : « *Escam dedit.* »

Sacramentum altaris, memoriale mirabilium Dei.

Dicit ergo : Sic dixi, quod confitebor, quia magna, exquisita, gloriosa, et decora, et perseverantia ejus opera : et etiam, « *fecit memoriam,* » id est, memoriale reliquit « *mirabilium suorum,* » id est, ad hoc quod sequitur instituit, ut memoria mirabilium suorum remaneret. Psal. CI, 13 : *Memoriale tuum in generationem et generationem.* Hoc memoriale, quod totos nos debet rapere ad ipsum, et omnino inebriare. Osee, XIV, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.* Maxime autem illorum mirabilium, quæ pro nobis fecit, quando pati voluit. Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et, I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* « Memoriale puri, et consolatio dulcis, » dixit quidam. « *Dominus,* » inquam, « *miserator,* » in actu, « *et misericors,* » quasi in habitu. Supra, in Psal. CII, 8 : *Miserator et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors.* Vere miserator et misericors, qui est origo olei misericordiæ : unde olivæ comparatur, supra, in Psal. LI, 10 : *Ego autem sicut oliva fructifera.* Jerem. XI, 16 : *Olivam uberem, pulchram, speciosam, fructiferam, vocavit Dominus nomen tuum.*

Propter hoc optime huic clausulæ præponitur ZAIN (ז), quod interpretatur *oliva.* Quasi diceret in substantia, quod est dictum de Dei misericordia. Et HETH (ח), quod interpretatur *pausum :* Quis ad hanc olivam non pausat ?

« *Escam dedit.* Hic secundum. Quasi 5
diceret : Sic ad memoriam habendam aliquid fecit. Quidnam illud ? « *Escam dedit,* » non vendidit, « *timentibus se.* » Patet, quod non loquitur de materiali esca : hanc enim non solum timentibus dat, sed certe non timentibus, etiam in majori abundantia. Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum.* Sed de spirituali, scilicet corpore proprio et sanguine, de se ipso. Sapient. XVI, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum.* Si autem tam gloriosam escam dat in præsenti, quid dabit in futuro ? Dat enim se in altari modo in arrham, et pignus. Ad Ephes. I, 14 : *Qui est pignus hæreditatis nostræ.* Chrysostomus : « Qui genuerunt alios, multoties dant illis « edere alia : ego autem non ita : sed « carnibus meis nutrivi vos, omnes vos « nobiles esse volens, et de futuris bonis « fidem præbens. » Et in cibum, sicut hic dicitur, et, Joan. VI, 56 : *Caro mea*

Christus in Eucharistia arrha, cibus, medicina, comes, pax, hostia.

vere est cibus. Cantic. v, 1 : *Comedite, amici, bibite, et inebriamini, charissimi.* Hoc Joannes satiatus, et inebriatus obdormivit in sinu Jesu [1]. In medicinam saluberrimam, et generalem, Eccli. XLIII, 24 : *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* III Reg. VIII, 12 : *Dominus dixit ut habitaret in nebula :* sicut pillulæ medicinales. Augustinus : « Qui vulnus ha« bet, medicinam quærit. » In comitem inseparabilem, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Implet illud Luc. XXIV, 29 : *Mane nobiscum, Domine.* Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* In reconciliationem, et pacem, Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Ideo optime ibi ei dicitur : « Dona nobis « pacem. » In hostiam salutarem pro quotidianis delictis nostris. Ambrosius : « Quotiescumque hoc Sacramentum su« mitur, subaudi digne, peccata dimit« tuntur. Hæc mensa convivas suos pec« catis obligatos, supple, venialibus, « immunes, et liberos facit. » Versus :

Arrha, cibus, medicina, comes, pax, hostia Christus.

Et ob hoc optime præponitur hæc littera TETH (ט), quod interpretatur *bonum :* quid enim æque bonum isto cibo, vel melius ? Nihil.

« *Memor erit in sæculum.* » Hic secundum : tacta enim sacramenti institutione, monstratur impleta divina promissio.

Ait enim : Sic dixi, quod memoriam fecit, hoc est, faciet, et escam dedit, et sic, « *memor erit,* » memorem se esse implendo demonstrabit hic, « *testamenti sui,* » promissionis suæ, « *in sæculum* » duraturi. Luc. I, 73 : *Juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.*

Iterum, in omnibus antiquis sacrificiis, quid aliud fiebat, nisi ex ipsis factis se futurum verum sacrificium, quo reficeremur in conspectu ejus, figurabatur? Sed figuram impleri, et promissionem reddi oportebat. Matth. v, 18 : *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Isa. LV, 11 : *Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum.*

Propter hoc optime præponitur ibi IOD (י), quod interpretatur *scientia,* vel *principium,* id est, scientia quæ est principium, scientia scilicet omnino certa, et infallibilis, lex divina. Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

« *Virtutem operum.* » Præmisso de sacramenti institutione, hic subjungitur de instituti divulgatione, cum aliis mirabilibus quæ fecit Christus : et dicuntur duo. Primo, tangitur divulgatio. Secundo, ratio quare voluit divulgari, ibi, ℣. 7 : « *Ut det illis.* » 6

Ait enim : Sic dedit escam, memor testamenti, et post hoc « *virtutem operum suorum.* » Glossa dicit, quod « cæ« cos illuminavit, et claudos ambulare « fecit [2]. » Et ego addo, quod majus est, quod panem et vinum in carnem et sanguinem proprium convertit : quod suos inde pascit. « *Annuntiavit populo suo,* » parvo, in Ecclesia converso. Hæc erat virtus, de qua Eccli. XVIII, 4 : *Virtutem magnitudinis ejus quis enuntiabit ?* Virtus autem Dei, quæ hoc fecit, quid aliud est quam manus Dei ?

Propter hoc bene præponitur CAPH (כ), quod interpretatur *palma,* vel *manus.* Quasi diceret : Annuntiari voluit populo suo manum suam, potentiam scilicet, quæ ante nesciebatur. Isa. LIII, 1 : *Et brachium Domini, cui revelatum est ?*

[1] Cf. Joan. XIII, 23.

[2] Cf. Luc. VII, 27.

7 « *Ut det illis hæreditatem.* » Hic secundum, finis divulgationis.

Ait enim : Sic annuntiavit populo suo virtutem : « *ut* » post prædicationem, « *det illis hæreditatem Gentium,* » id est, ipsas Gentes faciat regni cœlestis hæredes. Audientes enim Gentes Dei virtutem, et maxime quod se exhiberet escam, conversæ sunt, et expulsis Judæis, hæredes regni factæ sunt. Matth. xxi, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Isa. lv, 5 : *Ecce gentem quam nesciebas vocabis : et gentes quæ te non cognoverunt ad te current.* Et, ii, 2 : *Et fluent ad eum omnes gentes.* Et, lx, 3 : *Ambulabunt gentes in lumine tuo.* Et hæ factæ sunt hæreditas, quæ corde Christo servierunt, et subjectæ sunt.

Unde bene ponitur ibi lamed (ל), quod interpretatur *cor serviens.* Quasi diceret : Gentes dedit illis hæreditatem, quia cor serviens et obediens contulit. Ezechiel. xi, 19 : *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum.*

« *Opera manuum ejus.* » Hic secundum. Postquam enim actum est de sacramenti institutione, et instituti publicatione, hic agit de transsubstantiatione, et virtute verborum. Et primo, agit de primo, de transsubstantiatione, et verborum virtute. Secundo, de perpetuitate, ibi, in medio ℣. 9 : « *Mandavit in æternum.* »

In prima tria. Primo, agit de transsubstantiatione. Secundo, de virtute verborum, per quam fit transsubstantiatio, ibi, ℣. 8 : « *Fidelia.* » Tertio, de fructu, et utilitate, ibi, ℣. 9 : « *Redemptionem.* »

In prima duo. Primo, tangitur corporis Christi præsentia vera. Secundo, absconsio sub speciebus panis et vini justa, ibi, « *Et judicium.* »

Ait enim : Sic hæc fecit publicari, ut Gentes hæreditarent regnum : sed quomodo fit hoc? Ecce, « *Opera manuum ejus,* » hoc est, potentiæ suæ in illo sacramento exercitatæ, est « *veritas,* » non phantasia, ut ibi sit vera esca, esca corporis et sanguinis Christi. Joan. vi, 56 : *Caro mea vere est cibus,* supple, in altari. Et rursus, ℣. 59 : *Non sicut manducaverunt patres vestri manna,* in deserto scilicet, *et mortui sunt.* Psal. cxviii, 151 : *Omnes viæ tuæ,* scilicet operationes tuæ, *veritas,* non phantasia. Daniel. iii, 27 : *Universa opera tua vera.* Unde secure potes dicere in cœna : « *Hoc est corpus meum* [1]. »

« *Et judicium.* » Quia etsi vere sit ibi et præsentialiter corpus tuum, tamen justo judicio latet sub illis speciebus, quia qui adhuc est in carne mortali, non sufficit intueri quod latet sub corporalibus et visibilibus speciebus. Eccli. xvi, 26 : *In judicio Dei opera ejus ab initio.* Deuter. xxxii, 4 : *Omnes viæ ejus judicia.*

Unde optime præponitur hic littera Hebræa mem (מ), quod interpretatur *ex ipsis.* Ac si diceret, quod sic veraciter præsens assistit, latet tamen sub speciebus illis, est ex ipsis, ex natura illorum, quæ aliter non caperent. Hoc tamen aliter legit Glossa, sicut in illa patebit, sed hæc lectura plus placet, et magis consequentiæ litteræ consonat.

« *Fidelia omnia.* » Hic tangitur de virtute et commendatione verborum, de quibus tangit quatuor. Primo, quod fide digna. Secundo, quod firma et stabilia, ibi, « *Confirmata.* » Tertio, quod impleta, ibi, « *Facta.* » Quarto, quod discreta, ibi, « *Et æquitate.* » 8

Dicit ergo : Sic præsentialiter ibi est, quia « *omnia mandata ejus,* » verba scilicet quibus conficitur altaris sacramentum, secundum mandatum suum, sicut et alia, supple, sunt, « *fidelia.* » I ad

[1] Matth. xxvi, 26. Cf. etiam I ad Corinth. xi, 24.

Timoth. I, 15 : *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus.* Isa. XXV, 1 : *Fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles. Amen.* Fidelia enim necesse est esse, quæ a fidelissimo sunt mandata. Deuter. XXXII, 4 : *Fidelis Deus, et absque ulla iniquitate.* Hæc autem verba, sunt illa proprie, in quorum fide justus reficitur, et pascitur secundum illud Habac. II, 4 : *Justus in fide sua,* maxime verborum quæ in altari proferentur, *vivet.*

Et ob hoc optime præponitur littera Hebræa NUN (נ), quod interpretatur *pascens eos,* vel *pascua eorum.* Ac si diceret : Hæc sunt fidelia mandata eos pascentia, eorum pascua.

« *Confirmata.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic sunt fidelia, et sunt etiam « *confirmata,* » a Deo, « *in sæculum* » consecutivum « *sæculi,* » id est, quamdiu sese sæcula subsequentur, et sibi invicem succedent, confirmata morte ipsius testatoris, qui quasi condidit ex illis testamentum. Ad Hebr. IX, 16 et 17 : *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est :* et per illa confirmata confirmat suos in bono. Per hoc confirmantur Ecclesiæ Prælati, et sacerdotes. Psal. LXXIV, 4, de ipsis : *Ego confirmavi columnas ejus :* quippe per illa verba præsens est Deus, et sumitur Deus qui omnia potest confirmare, sicut dicit Paulus, II ad Thessal. III, 3 : *Fidelis Deus, qui confirmabit vos.*

Et propter hoc optime præponitur SAMECH (ס) : interpretatur enim *adjutorium,* vel *firmamentum,* et conjunge, *firmum adjutorium.* Ac si diceret : Per hæc verba, quæ mandavit, quæ in se firma, firmum adjutorium.

« *Facta.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic sunt fide digna, firma, et « *facta,* » id est, completa, « *in veritate,* » id est, secundum quod veritas tradidit illa, quæ dicit, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Et æquitate.* » Ecce quartum, quod discreta. Quasi diceret : Impleta sunt in æquitate, in libro scilicet rectitudinis et justitiæ, ut nihil addendum sit, vel minuendum, Deuter. IV, 2 : *Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis,* de confectione sacramenti altaris, *nec auferetis ex eo.* Proverb. XXX, 6 : *Ne addas quidquam verbis illius, et arguaris, inveniarisque mendax,* in illo qui omnia videt et omnia discernit.

Unde hic præponitur AIN (ע), quod interpretatur *fons,* vel *oculus.* Quasi diceret : Vere in veritate facta, et æquitate, quia a fontali oculo, qui omnia intuetur. Job, XIII, 1 : *Ecce omnia hæc vidit oculus meus.*

« *Redemptionem misit.* » Hic tangitur 9
fructus, vel utilitas sequens ex tanta verborum virtute.

Ait enim : Sic sunt fidelia mandata, etc. : per hæc « *misit redemptionem,* » a quotidianis peccatis, et negligentiis, « *Dominus populo suo,* » ipsum Filium suum qui nostram redemptionem quotidie operatur, mittens ad nos, et missus a se in sacramento altaris. Psal. CXXIX, 7 : *Copiosa apud eum redemptio.* I ad Corinth. I, 30 : *Factus est nobis a Deo sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Ad Hebr. IX, 12 : *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Quis enim adinvenisse potuisset nisi ipse ? ut ex ore hominis sermo procederet, quo prolato redemptio populi mitteretur ?

Unde optime præponitur hic PHE (פ), quod interpretatur *ex ore.* Ac si aperte diceret : Ex ore sacerdotum sacra verba proferentium redemptio mittitur ad populum. Sapient. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos,* etc.

« *Mandavit.* » Hic secundum, in quo postquam egit de transsubstantiatione, et verborum virtute, agit de perpetuitate.

Ait enim : Sic sunt fidelia mandata Dei, et efficacia, et perpetuo durantia : quia « *mandavit testamentum suum,* » hoc novum duraturum, « *in æternum,* » totum scilicet novum, in quo et hæc continentur et mandantur. Ad Hebr. IX, 20 : *Hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus.* Et æterni testamenti, quia, Matth. XXVI, 28 : *Hic est sanguis meus novi testamenti*, etc.[1].

Cur Evangelium dicitur testamentum æternum?

Dicitur autem Evangelium *æternum testamentum,* quia ei aliud non succedit, sicut æterno nihil succedit. Ad Hebr. VIII, 8 : *Consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum*[2]. In morte enim confirmatur voluntas testatoris, quæ non iterabitur. Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* Item, quia proprio ore conditum ejus qui æternus est, scilicet Filii Dei. Proverb. XII, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Et ipse veritas, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Quia quod promittit est æternum, Matth. XIX, 29 : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Imo quod plus est, ad æterna ducit. Joan. IV, 14 : *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam,* id est, salire facientis. Et hoc habet novum proprie a sacramento altaris, quod est maxima consolatio, quod datur nobis, quod nos ad vitam perducit æternam : unde et *viaticum* appellatur.

Propter hoc bene præponitur hic SADE (צ), quod idem est quod *consolatio.* Isa. XL, 1 : *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester.* Consolamini, quia do me vobis in cibum : sed plus consolamini, quia per hoc duco vos ad æternum.

« *Sanctum et terribile.* » Hic tertium hujus partis, in quo agitur de tanto sacramento. Acto enim de institutione, de confectione, et virtute verborum, agitur de modo sumendi hujusmodi sacramentum, et fructu speciali sic sumentium. Debet autem sumi cum timore, ut aliquid sapiat palato cordis : unde dicuntur duo. Primo, modus quo sumendus est, quia cum timore. Secundo, fructus sic sumentis, ibi in medio ℣. 10 : « *Intellectus bonus.* »

In prima duo. Primo, causa modi tangitur. Secundo, subjungitur modus sumendi, ibi, ℣. 10 : « *Initium sapientiæ.* »

Ait enim : Sic seipsum veraciter in altari et dat, et dabit : sed advertendum, quod « *nomen ejus* est *sanctum.* » Verum est, Luc. I, 35 : *Quod nascetur ex te sanctum.* Imo, Sanctum sanctorum[3]. Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen :* ut sit non tantum sanctum, sed sanctissimum. « *Et terribile.* » Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus, et magnus vehementer.* Eccli. I, 8 : *Unus est altissimus, creator omnipotens, et rex potens, et metuendus nimis.* Sanctum, quia sanctificans digne accedentes ad se in altari. Levit. XXI, 23 : *Ego Dominus, qui sanctifico eos.* Terribile quantum ad indigne accedentes, quia, I ad Corinth. XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Propter hoc de utroque, in Psal. XCVIII, 3 : *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est.* Et maxime in sumptione sacri calicis in altari.

Unde determinat quod hic dicitur littera præposita, quæ est COPH (ק), quod interpretatur *calix*, vel *potatio*, quia

[1] Cf. etiam, Marc. XIV, 24. Et, I ad Corinth. IX, 25 : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Verba Consecrationis sanguinis D. N. J. C. : « Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, etc. »

[2] Cf. Jerem. XXXI, 31.

[3] Cf. Daniel. IX, 24 : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt ... ut ungatur Sanctus Sanctorum.*

terribile et sanctum nomen est, cum sumitur in calice, et potatur.

« *Initium sapientiæ.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic est sanctum, et terribile, et propter hoc « *initium sapientiæ,* » id est, saporis, et illuminationis. Vere in illo est timor Domini. Proverb. I, 7 : *Timor Domini principium sapientiæ.* Et loquitur hic de initiali timore, qui inchoat saporem : sed filialis et castus, hic consummat. Servilis enim tantum expellit mala. Eccli. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Sed initialis facit bona, et saporat quodammodo sacramenta. Eccli. XV, 1 : *Qui timet Deum, faciet bona,* in inchoatione.

Unde hic est initium boni proprie intrinsecum, quod ostendit præcedens littera RES (ר), quod interpretatur *caput.* Quasi diceret : Quia sanctum et terribile est quod potatur et sumitur, caput boni operis habet timorem, scilicet initialem.

« *Intellectus bonus.* » Hic sequitur effectus. Quasi diceret : Sic sumatur cum timore, si saporem vis habere : quia « *omnibus* » sic « *facientibus eum,* » scilicet intellectum ipsius Sacramenti, est « *intellectus bonus.* » Quasi diceret : Si sic intelligit aliquis, et si operatur in ipso sacramento, bonus est ejus intellectus, vel in bonitate augetur et promovetur. Si enim scit et intelligit sic faciendum, et non facit, vel alio modo facit, peccat : non est ei ad bonum intellectus. Jacob. IV, 17 : *Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.* Luc. XII, 47 : *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Propter hoc dicitur, Proverb. XXIII, 1 et 2 : *Quando sederis ut comedas cum pincipe,* imo principum principe, *diligenter attende quæ tibi apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo,* id est, comede cum timore, et ut statim moriturus, et accidet tibi facienti hunc intellectum bonum.

Quod bonum litera præmissa dicit SIN (ש) : interpretatur enim *egressio tentationis :* fugat enim mirabiliter, et facit tentationes egredi digna sumptio sacramenti altaris.

« *Laudatio ejus.* » Hic tertium totius hujus Psalmi, sicut a principio dictum fuit, in quo postquam præmisit confessionem laudis, addit de perpetuatione. Tertia pars Psalmi.

Ait enim : Sic propter antecedentia beneficia laudabo, sed non ad tempus : quia « *laudatio ejus,* » passiva, qua laudandus est, « *manet in sæculum sæculi* » consecutivum, hoc est, in nostro æterno. Eccli. LI, 8 : *Laudabit usque ad mortem anima mea.* Vel, in æternitate : unde ibi etiam laudabo. Daniel. III, 57 : *Laudate, et superexaltate eum in sæcula.* In hoc erit finis meus, in hoc omnium quæ ago consummatio. Augustinus : « Videbimus, amabimus, et « laudabimus. Ecce quod erit in fine « sine fine. »

Ecce Thau (ת) littera ultima, quæ hic præponitur, et interpretatur *consummatio,* ad quam nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Glossa alias lecturas satis plane persequitur, nec immorari oportet.

PSALMUS CXI.

Justi beatitudo, impio tabescente.

Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ.

1. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.
2. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur.
3. Gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi.
4. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, et miserator, et justus.
5. Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio :
6. Quia in æternum non comovebitur.
7. In memoria æterna erit justus : ab auditione mala non timebit.
   Paratum cor ejus sperare in Domino.
8. Confirmatum est cor ejus : non commovebitur donec despiciat inimicos suos.
9. Dispersit, dedit pauperibus. Justitia ejus manet in sæculum sæculi. Cornu ejus exaltabitur in gloria.
10. Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : desiderium peccatorum peribit.

IN PSALMUM CXI

COMMENTARIUS.

« *Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ*[1]. »

Argumentum Psalmi: Adventus Christi ad judicium.

« *Beatus vir qui timet.* » Hic est Psalmus centesimus undecimus in toto libro, in tertia vero parte undecimus : in quo postquam egit de Christi Ascensione, et rursus de ejusdem nobiscum mansione in sacramento, agit de reversione ipsius ad judicium, et justa retributione tam piis quam impiis, secundum merita illorum, quæ reversio figurata fuit in reversione Aggæi et Zachariæ de Babylone, et templi reædificatione : quia sicut in illa reversione templum est ædificatum, sic Christo revertente ad nos in die judicii, templa corporum reædificabuntur. Sic enim illa vocat Paulus, I ad Corinth. III, 17 : *Templum Dei san-*

[1] Ce psaume est le parallèle du précédent. Sa forme est la même, mais à la louange de Dieu succède celle de l'homme de bien. Le titre de la Vulgate n'est ni dans l'hébreu, ni dans les Septante. Quelques manuscrits grecs seulement ont à la suite d'Alleluia : τῆς ἐπιγραφῆς (ou ἐπιστροφῆς) Ἀγγαίου καὶ Ζαχαρίου. « Cette inscription, dit Schegg, marque vraisemblablement moins l'auteur que le temps « de la composition. »
L'éloge du pieux israélite convient très bien au chrétien, à condition qu'on prenne dans un sens spirituel les bénédictions temporelles accordées au juste de l'ancienne loi.

H. Lesêtre.

ctum est, quod estis vos. Et, vi, 19: *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri?* Quæ bene post annos septuaginta, quia idem per septem et per septuaginta designatur, et post revolutionem temporum quæ per septem dies currunt, fiet reversio, et templorum reædificatio. Hanc autem reversionem spiritualem, hanc corporum reformationem intelligentes sancti Prophetæ, Aggæus et Zacharias, in illa figurari, non tam pro illa materiali, quam pro hac spirituali laudabant Deum.

Et hoc est quod dicit titulus Psalmi: « *Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ.* » In hoc Psalmo subjecto, est laus Dei, « *Aggæi et Zachariæ,* » id est, ab Aggæo et Zacharia, « *reversionis,* » id est, pro reversione. Forte verbis similibus Deum laudabant, vel laudare poterant. Melius autem exponitur titulus, si ad interpretationes nominum recurratur. Aggæus enim interpretatur *festinus*: Zacharias, *memor Domini*. Sensus ergo est: In hoc Psalmo agitur, unde laudandus est Deus, a populo suo festino, et memore sui, scilicet populo Christiano, quia de reversione ipsorum, et de confusione peccati ad statum gratiæ et gloriæ.

Digestus est autem Psalmus per litteras Alphabeti Hebraici, sicut et præcedens, et secundum quod in antecedenti visum est, si diligentius attendatur, non sine ratione litteræ præponuntur.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. In prima tangitur bonorum secundum præcedentia merita remuneratio. Secundo, est diversa malorum punitio propter peccata præcedentia, ibi, ℣. 10: « *Peccator videbit.* »

In prima duo. Primo, tangitur bonorum remuneratio ex meritis propriis absolute. Secundo, ex his quæ habet comparatione ad alios, ibi, ℣. 4: « *Exortum est in tenebris lumen.* »

In prima dicuntur duo. Primo, tangit meritum beatorum. Secundo, præmium sequens ex merito, ibi, ℣. 2: « *Potens in terra.* »

In prima duo tanguntur, in quibus est meritum justorum, timor faciens a malo declinare, et bona voluntas, quæ facit in actum bonum exire si adsit facultas, ibi, « *In mandatis.* »

Dicit ergo: « *Vir qui timet Dominum,* » et per hoc declinat a malo, est « *beatus,* » non beatitudine patriæ, sed viæ, et hic inchoata, non adhuc consummata. Inchoatur enim in peccati expulsione, Eccli. i, 27: *Timor Domini expellit peccatum*: et ex hoc beatum fecit, Psal. cxxvii, 1: *Beati omnes qui timent Dominum*. Eccli. xxv, 15: *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei*. Proverb. xxviii, 14: *Beatus homo qui semper est pavidus*. I Prima pars Psalmi.

« *In mandatis ejus,* » id est, Dei, « *volet nimis,* » esse et commorari. Eccli. ii, 21: *Qui timent Dominum, custodiunt mandata ejus*. Et, iterum, xxiii, 37: *Nihil melius est quam timor Dei*. Et subdit statim quare: *Et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini*. Quare autem magis dicit, *volet*, vel *cupit* in mandatis esse, quam mandata faciet, tangit Glossa. Item, quod dicit, *nimis*, non notat superfluitatem, sed notat abundantiam: multum enim fortificat timor Domini animam ad bene volendum, juxta illud Proverb. xiv, 26: *In timore Domini fiducia fortitudinis*.

Et inde est quod primæ clausulæ præponitur ALEPH (א), quod interpretatur *doctrina*, hic, BETH (ב), quod interpretatur *domus*. Junge ergo et invenies, *doctrina domus*. Quasi diceret: Hæc est doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est. Isa. lvi, 7: *Domus mea, domus orationis vocabitur*: scilicet declinat a malo propter timorem Domini, et mandata Domini facere velle facit.

2 « *Potens in terra.* » Hic secundum, in quo præmisso de merito, subjungit de præmio quod sequitur ex his : et est quadruplex. Primum, in bono proposito confirmatio. Secundum, bonorum operum multiplicatio, ibi, « *Generatio rectorum.* » Tertium, gloria propriæ conscientiæ, ibi, ỳ. 3 : « *Gloria et divitiæ.* » Quartum, perpetuatio vel perseverantia justitiæ, ibi, « *Et justitia ejus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod beatus qui timet, et vult opera bona, Dei mandata : et vere, quia « *semen,* » bonum scilicet propositum in corde ejus seminatum, « *erit potens in terra,* » cordis sui, ut nullo modo possit avelli, juxta illud Apostoli, ad Roman. VIII, 35 et seq. : *Quis nos separabit a charitate Christi ?... Certus sum quia neque mors, neque vita,... neque instantia, neque futura,* etc. Eccli. XLIV, 12 : *In testamentis stetit semen eorum,* propositum scilicet bonum stetit in testamento Dei.

Et sic

« *Generatio rectorum,* » filii, « *benedicetur,* » multiplicabitur scilicet. Matth. XIII, 8 : *Alia ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Christus vir est beatus, Zachar. VI, 3 : *Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Et, Jerem. XXXI, 22 : *Fœmina circumdabit virum.* Iste autem vir est timens Deum, Isa. XI, 3 : *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Hic in mandatis Dei plenissimam habuit voluntatem, Joan. VI, 38 : *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Matth. XXVI, 39 : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hujus semen fuerunt Apostoli, de quo Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen,* etc. Iterum, ibidem, LXI, 9 : *Isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Et semen potens contra carnem, II ad Corinth. IX, 27, dicit unus illorum : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Contra mundum, I ad Corinth. II, 15 : *Spiritualis homo dijudicat omnia.* Contra dæmonem, ad Roman. XVI, 20 : *Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris.* Genes. XXII, 17 : *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Et eorum generatio, filii scilicet, benedicta est : unde in Psal. CXLVII, 3, dicitur Ecclesiæ primitivorum : *Benedixit filiis tuis in te.* Proverb. XX, 7 : *Justus qui ambulat in simplicitate sua, bonos post se filios derelinquet.* Psal. III, 9 : *Super populum tuum benedictio tua.*

In hoc versu sunt duæ litteræ, GHIMEL, (ג), quod interpretatur *retributio,* et DALETH (ד), quod interpretatur *tabularum.* Junge ergo et dic : *Retributio tabularum.* Quasi diceret : Pro recessu a malo, et voluntate boni, quod est ex tabulis legis divinæ, hæc est retributio ut sit semen potens, et generatio benedicta.

« *Gloria et divitiæ.* » Quasi diceret: 3
Sic qui timet Dominum, potens erit et in operibus benedictus : et « *gloria,* » boni et securi testimonii, « *in domo ejus,* » in interiori conscientia, quæ domus est. Eccli. XXXII, 15 : *Præcurre prior in domum tuam,* Et supra, in Psal. C, 2 : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Et hæc est illi gloria, de qua Proverb. XXI, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi.* Vel, scientiarum ad salutem necessariarum. Isa. XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis, sapientia et scientia.* Nec mirum si divitias habet qui Deum timet, quia, Isa. XXXIII, 6 : *Timor Domini ipse est thesaurus ejus.* Propter has divitias dicebat quibusdam Paulus, I ad Corinth. I, 5 : *In omnibus divites facti estis* scilicet in scientiis, et virtutibus, ut possit justus dicere illud Proverb. VIII, 18 : *Mecum sunt divitiæ et gloria.* Et illud Sapient. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa,* scilicet sapientia, vel timore Dei.

« *Et justitia.* » Ecce quartum bonum, scilicet perseverantia in istis bonis.

Ait enim : Sic in domo conscientiæ erunt gloria et divitiæ : « *Et justitia ejus,* » totum comprehendit quidquid est boni in anima, « *in sæculum sæculi,* » hoc est, in æternum mansura. Job, xxvii, 6 : *Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.* Proverb. x, 30 : *Justus in æternum non commovebitur.* Et, ibidem, ℣. 25 : *Justus quasi fundamentum sempiternum.* Nec ipsa per seipsam deficiet, quia, Sapient. i, 15 : *Justitia perpetua est, et immortalis.*

Et optime ponuntur hic duæ litteræ Hebraicæ, scilicet HE (ה) et VAU (ו). HE enim interpretatur, *hæc* vel *ipsa :* VAU vero interpretatur, *vita.* Quasi diceret : Gloriari in conscientiæ testimonio, et in justitia perseverare, hæc est vita, et vera vita, et sola vita.

4 « *Exortum est in tenebris.* » Hic secundum, in quo ostensis bonorum præmiis ex meritis propriis habitis, timore scilicet, et bona voluntate, hic subjungitur de præmiis habendis, per merita comparative accepta. Duo ergo tanguntur. Primo, adventus Christi secundum unam expositionem primus, in quo est radix meriti justorum. Vel secundum aliam, in quo fiet retributio secundum merita illorum comparativa, ibi, ℣. 5 : « *Jucundus homo.* »

In prima duo. Primo, adventus. Secundo, adveniens magis describitur, ibi, « *Misericors.* »

Dicit ergo : Sic qui timet, habebit bona præcedentia, sed etiam « *rectis,* » qui timent, et bonum volunt, « *exortum est lumen,* » quod lumen « *Dominus misericors* » in habitu, « *et miserator* » in actu bonis, « *et justus,* » malis, scilicet Dei Filius Christus. Supra, in Psal. cx, 4 : antecedenti : *Misericors et miserator Dominus, escam dedit,* etc. Hic dicitur, quod exhibuit suam præsentiam timentibus. Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Sed talibus timentibus, qui recti sunt, hoc est, qui non timent tantum serviliter, sed diligenter. Cantic. i, 3 : *Recti diligunt te.*

Vel, de secundo adventu, in quo apparebit, et orietur rectis lux vera. Isa. lviii, 10 : *Orietur in tenebris,* in turbationibus, quæ erunt in fine mundi, *lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Tanto enim fulgore omnes illuminabit, ut secreta cordium pateant. I ad Corinth. iv, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Hoc autem quod sequitur, « *misericors, et miserator, et justus,* » non mutatur.

Et nota, quod *lumen* dicitur Christus, primo quia speciosus est sicut lumen, quod speciosum est, Sapient. vii, 9 : Quare Christus dicitur lumen?
Speciosior est, Dei sapientia, *sole : et luci,* materiali, *comparata, invenitur purior.* Quia ininquinabilis est, sicut Sapient. vii, 24 : *Attingit ubique propter suam munditiam.* Sui diffusivus, sine omni diminutione, Eccli. i, 10 : *Effudit illam Deus super omnia opera sua, et super omnem carnem.* Sapientia enim Dei Patris relucet in omnibus, etiam in carne, qua nihil fragilius. Quia occultorum ostensivus est, sicut lumen, Joan. xv, 15 : *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Quia male agentibus odiosus, sicut lux, Joan. iii, 20 : *Qui male agit, odit lucem.* Sapient. ii, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Sanis oculis ad videndum delectabilis, Eccle. xi, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Tob. v, 12 : *Quale mihi gaudium, qui in tenebris sedeo,* etc. Imputribilis sicut lux, Psal. xv, 10 : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Item, quia principium omnis motus et cognitionis sicut lux, Joan. i, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te.* Tandem quia Patri coæquævus, qui est verus et fontalis sol, Sapient.

VII, 25 : *Emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.*

Hic ergo optime præponitur ZAIN (ז) primæ clausulæ, quod interpretatur *oliva :* et HETH (ח) secundæ, quod interpretatur *pavor.* Ac si aperte diceret : Adveniente Christo, vel in primo, vel in secundo adventu, adest oliva pavens, oliva virens misericordia, bonos terrens, et malos, et illis terrorem incutiens.

5 « *Jucundus homo.* » Hic secundum, in quo subjungitur de retributione : et primo, ponitur retributio, quantum ad liberationem a malo. Secundo, quantum ad adeptionem boni, ibi, in fine ỿ. 7 : « *Paratum cor ejus.* »

In prima tanguntur duo. Primo, tanguntur merita. Secundo, præmia ad carentiam mali pertinentia, ibi, ỿ. 6 : « *Quia in æternum.* »

In prima tria. Primo, tangitur compassio cordis. Secundo, exhibitio operis, ibi, « *Et commodat.* » Tertio, dulcedo sermonis, ibi, « *Disponet sermones suos.* »

Dicit ergo : Sic « *exortum est,* » præteritum pro futuro, « *lumen rectis,* » in judicio : sed non timeat pius, quia ille homo « *jucundus est,* » id est, gratus Deo, et amabilis : unde alia littera habet « suavis, » « *qui miseretur,* » proximo suo. Luc. VI, 36 : *Estote misericordes, quia,* etc. Matth. v, 7 : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Proverb. XI, 17 : *Benefacit animæ suæ vir misericors.* Propter hoc dicitur, Eccli. XXX, 24 : *Miserere animæ tuæ placens Deo :* gratus Deo scilicet et suavis.

« *Et commodat,* » misericordiam exhibens in opere, sicut præceptum fuit, Deuter. XV, 11 : *Præcipio tibi ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, et pauperi qui tecum versatur in terra.* Et in quo determinatur ibidem, ỿ. 8 : *Dabis mutuum.* Quando ? Cum perspexeris indigere[1]. Luc. VI, 35 : *Mutuum date, nihil inde sperantes,* non ab homine, sed multas usuras a Deo, quia, Proverb. XIX, 17, dicitur : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis,* mutuum dando.

« *Disponet,* » etiam « *sermones suos in judicio,* » rationis, dulciter loquendo, non impetuose cum suo proximo, et pro tempore et loco. Proverb. x, 19 : *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Eccli. XXVIII, 29 : *Verbis tuis facito stateram,* ut sit in illis modus, et mensura : et tempus loquendo observa, quia, Eccle. III, 7, dicitur : *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* Eccli. XX, 7 : *Sapiens tacebit usque ad tempus.*

Vel, « *disponet sermones suos,* » et ordinat proferenda, « *in judicio.* » Diligenter enim considerat quid in judicio arguenti Domino de misericordia possit respondere, et propter hoc facit opera misericordiæ. Habac. II, 1 : *Contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.*

« *Quia in æternum.* » Præmissis me- 6
ritis, hic subjunguntur præmia. Et tanguntur tria. Primo, perseverantia in bono opere. Secundo, recordatio bonorum æterna, ibi, ỿ. 7 : « *In memoria.* » Tertio, separatio ejus et securitas a sententia judicis condemnante malos, ibi, « *Ab auditione mala.* »

Dicit ergo : Bene dixi, quod ille qui misericors est corde, commodat opere, sermones dulces habet et bene dispositos, gratus est Deo, « *quia,* » Deo dante, « *non commovebitur,* » ab iis bonis, « *in æternum.* » Proverb. XII, 3 : *Radix justorum non commovebitur.* Et, x, 25 : *Justus quasi fundamentum sempiternum,* et in se, et in operibus suis, quæ non transeunt, sed perpetuo perseverant.

[1] Deuter. XV, 8 : *Aperies eam,* scilicet manum tuam, *pauperi, et dabis mutuum quo eum perspexeris indigere.*

Supra, in Psal. LXXXVIII, 35 : *Tota die miseretur et commodat, et semen illius in æternum manebit.*

Ergo operari bonum misericordiæ proximo est utile. Hæc dicunt litteræ quæ ponuntur hic. Prima TETH (ט), quod interpretatur *bonum*. Secunda IOD (י) quod interpretatur principium. Tertia CAPH (כ) quod interpretatur *manus*. Quasi diceret : Bonum principium veniendi ad Deum, est manus mutuum dans proximo, et illi misericordiam exhibens.

7 « *In memoria æterna.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic non commovebitur a bono, et ipse « *in memoria æterna justus erit,* » ut nullo modo tradatur oblivioni a Deo. Proverb. x, 7 : *Memoria justi cum laudibus :* et æterne perseverans, quia, Eccli. XLI, 14 : *Bonum nomen permanebit in ævum.*

« *Ab auditione.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic erit in memoria, et « *non timebit ab auditione mala,* » malitia pœnæ et miseriæ, qua dicetur illud Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Job, v, 21 : *A flagello linguæ absconderis, et non timebis calamitatem,* supple, æternam, cum venerit super malos. Securitatem ergo, et spem æternam habebit.

Hoc est quod ostenditur litteris præpositis : LAMED (ל), interpretatur enim *erectio :* MEM (מ), *ex ipsis.* Quasi diceret aperte : Erectio animæ ut non timeat ab auditione mala, est ex ipsis de quibus locutus sum, misericordiæ operibus.

« *Paratum cor ejus.* » Hic secundum, in quo agitur de retributione bonorum in judicio, quantum ad boni adeptionem. Et primo, tangit meritum comparatione ad alium. Secundo, præmium, ibi, in fine ℣. 9 : « *Cornu ejus.* »

In prima duo. Primo, tangitur meritum comparatione ad Deum, ad quem bene ordinatur. Secundo, comparatione ad proximum, ibi, ℣. 9 : « *Dispersit, dedit pauperibus.* »

In prima dicuntur tria. Primo, tangitur meritum promptæ spei. Secundo, meritum fidei, ibi, ℣. 8 : «*Confirmatum est.* » Tertio, stabilis charitatis, ibi, « *Non commovebitur.* »

Dicit ergo : Sic non timebit ab auditione mala vir misericors factus Deo gratus : et etiam « *cor ejus paratum est,* » meritis præcedentibus, et gratia Dei, « *sperare in Domino,* » non in mundo. Psal. CXVII, 9 : *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus,* quidquid illi contingat. Sapient. XII, 22 : *Cum de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam,* etiam in judicio mortis. Job, XIII, 15 : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Proverb. XIV, 32 : *Sperat justus in morte sua.* Sunt autem tria, quæ parant cor ad spem certam. Primum est misericordia aliis exhibita, Eccli. IV, 10 et 11 : *Esto pupillis misericors ut pater, et pro viro matri illorum : et eris tu velut filius Altissimi obediens, et miserebitur tui magis quam mater.* Et illud Matth. v, 7 : *Beati misericordes.* Et illud Proverb. XIV, 21 : *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* Et passionum sustinentia, ad Roman. v, 3 : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem.* Et Sanctorum exempla, Pauli, Matthæi, Magdalenæ. Osee, II, 15 : *Dabo eis vallem Achor ad aperiendam spem.*

Tria quæ parant cor ad spem.

« *Confirmatum est.* » Ecce secundum. 8
Quasi diceret : Sic sperat, et etiam « *cor ejus confirmatum est* » in fide a Deo. Psal. LXVII, 29 et 30 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo,* etc. Act. XVI, 15 : *Confirmabantur fide.* Et, ad Coloss. II, 7 : *Confirmati fide :* et confirmati a Spiritu sancto. Psal. L, 14 : *Spiritu principali confirma me.* Confirmatum ab Altaris sacramento. Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmet.*

« *Non commovebitur.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic sperabit, in fide firmus erit, et etiam « *non commovebitur,* » a stabili charitate, quantumcumque alii irrideant. Job, XII, 4 : *Deridetur justi simplicitas.* Et rideant, Luc. VI, 25 : *Væ vobis qui ridetis nunc.* Ad Roman. VIII, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi?* Proverb. XII, 3 : *Radix justorum non commovebitur,* id est, charitas, quia in Deo firmatur. Eccli. XV, 3 : *Firmabitur in illo, et non flectetur.* Psal. XX, 8 : *Rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.*

« *Donec despiciat inimicos suos,* » id est, donec tempus illud veniet, in quo despiciet despicientes se. Tale *donec* est hic quale supra, in Psal. CIX, 1 : *Donec ponam inimicos tuos.* Non enim intelligendum est, quod commovendus postquam despexerit. I Paral. XVII, 9 : *Ultra non commovebitur,* populus meus Israel : *nec filii iniquitatis atterent eos.* Sed magis e contra, Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Justus ergo hic in terra fide sua pascitur, spe firmiter roboratur, et charitate carnalis concupiscentia tamquam fonte quodam vivo exstinguitur.

Hoc notant tres litteræ hic positæ ordine dicto : NUN (נ), quod interpretatur *pascens :* SAMECH (ס), *firmum adjutorium :* et AIN (ע), *fons.*

9 « *Dispersit, dedit pauperibus.* » Hic tangit meritum comparatione ad proximum, in quo dicuntur duo. Primo, ad proximum ordinatio debita. Secundo, perseverantia in ordinatione illa, ibi, « *Justitia ejus.* »

Eleemosyna ordinatur.

Dicit ergo : Sic ad Deum bene ordinatus est, et ad proximum, quia « *dispersit,* » non ad luxuriandum, sicut filius prodigus, qui dissipavit omnem suam substantiam cum meretricibus [1], sed « *dedit pauperibus.* » Ecce quod eleemosyna in pluribus locis debet dispergi, non totum in uno loco dari, sicut semina disperguntur. Isa. XXXII, 20 : *Beati qui seminatis super omnes aquas.* Propter hoc *semina* appellantur eleemosynæ a Paulo, II ad Corinth. IX, 6 : *Qui parce seminat, parce et metet.* Luc. VI, 30 : *Omni petenti te tribue,* non uni tantum. Et pauperibus debet erogari, non illis qui abundant in reditibus. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum.* Luc. XIV, 13 et 14 : *Cum facis convivium,* aut cœnam, *voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos. Et beatus eris, quia non habent,* etc. Proverb. XXVIII, 27 : *Qui dat pauperi, non indigebit.*

« *Justitia ejus,* » eleemosynarum scilicet largitio, « *manet in sæculum sæculi,* » consecutivum. Largitio enim eleemosynarum dicitur *justitia,* quia quod superfluum habes, pauperum est : et quia cum judicio debet homo illam exsequi, ut retineat sibi quod est necessarium, et proximo pauperi det superfluum : et sic reddet unicuique quod est suum. Eccli. XIV, 13 : *Secundum vires tuas exporrigens da pauperi.* II ad Corinth. VIII, 13 : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio.* Propter hoc, Isa. LVIII, 8, postquam locutus est de eleemosyna, subjungit : *Anteibit faciem tuam justitia tua,* id est, eleemosyna, et misericordia.

« *Cornu ejus.* » Ecce præmium, postquam præcessit meritum.

Ait enim : Sic ordinatus est quoad Deum, et quoad proximum, et propter hoc « *cornu ejus,* » humile in hac vita et dejectum, scilicet ejus potentia, « *exaltabitur in gloria* » æterna. Luc. XIV, 11, et XVIII, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Eleemosyna enim in eo primo ardorem exstinguet peccati, Eccle. III, 33 : *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* Secundo, viam faciet ad

Effectus eleemosynæ.

[1] Cf. Luc. XV, 13.

regnum, et introitum, Proverb. XVIII, 16 : *Donum hominis dilatat viam ejus, et ante principes spatium ei facit.* Tandem intromissum exaltare faciet, Eccli. XX, 30 : *Qui operatur justitiam, ipse exaltabitur.* Psal. LXXIV, 11 : *Exaltabuntur cornua justi.* Et alibi, Psal. CXLVIII, 14 : *Exaltavit cornu populi sui.* Ecce verba multum pauperum et largorum consolatoria. Pauperum, quia tanta promittuntur suis largitoribus : largorum, quia pro modicis temporalibus æterna tribuuntur.

Hoc monstratur in litteris PHE (פ), et COPH (ק) : interpretantur enim *disciplina, consolatio, potio.* Ac si dicat : Hæc est disciplina confortans, et potans.

10 Secunda pars Psalmi.

« *Peccator videbit.* » Hic secundum totius Psalmi, in quo agitur de malorum punitione. Et primo, de inflictione mali. Secundo, de amotione boni, ibi, « *Desiderium peccatorum.* »

In prima dicuntur quatuor. Primo, gloriæ bonorum cognitio, et suæ miseriæ. Secundo, commotio et ira de sua afflictione, ibi, « *Et irascetur.* » Tertio, invidia de bonorum exaltatione, ibi, « *Dentibus suis fremet.* » Quarto, perseverantia in his, ibi, « *Et tabescet.* »

Dicit ergo : Sic justus exaltabitur, et « *peccator videbit,* » hoc, et suam propriam miseriam, « *et irascetur,* » commotus, et conturbatus propter illam. Sapient. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili.* Isa. VIII, 21 : *Cum esurierit,* æterna fame et miseria, *irascetur.* Et in eodem : *Irascetur, et maledicet regi suo, et Deo suo.* Sicut e contrario dicitur de justo, in Psal. LVII, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam,* etc.

« *Dentibus suis fremet,* » præ invidia de bonorum gaudiis, quæ amisit. In Psal. XXXVI, 12 : *Observabit peccator justum, et stridebit super eum dentibus suis.* Matth. XIII, 42 : *Ibi erit fletus, et stridor dentium.*

« *Et tabescet,* » malum invidiæ in se retinens, et impotens complere quod desiderat. Ezech. IV, 17 : *Contabescant in iniquitatibus suis,* et in maxima invidia. Sapient. VI, 25 : *Neque cum invidia tabescente iter habebo.* Amos, IX, 5 : *Qui tangit terram,* terrenam animam, affligendo eam, *et tabescet.* Psal. XXXII, 12 : *Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.*

« *Desiderium.* » Ecce carentia omnis boni. Quasi diceret: Sic affligitur, et « *desiderium peccatorum peribit,* » ab eis, ut nihil omnino desideratorum habere possint. Apocalyps. XVIII, 14: *Poma desiderii animæ tuæ discesserunt a te : et omnia pinguia et præclara perierunt a te.* Job, XL, 28: *Ecce spes ejus frustrabitur eum.* Sed bonorum, non. Proverb. X, 28 : *Exspectatio justorum lætitia, spes autem impiorum peribit.* Illa lætitia omne bonum est. In eodem, XI, 23: *Desiderium justorum omne bonum est,* sicut illis, omne malum.

Hoc monstratur in tribus litteris, quæ hic tanguntur : RES (ר), quod interpretatur *caput :* SIN (ש), *egrediens* : THAU (ת) vero *consummatio.* Ac si diceret : Malorum caput diabolus erit, egrediens a Deo egressione consummata, hoc est, repleta omni miseria. A qua egressione nobis caveat Dominus, præmium bonorum, qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXII.

Laudandus Deus super omnia excelsus et exaltans humiles.

Alleluia.

1. Laudate, pueri, Dominum : laudate nomen Domini.
2. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc et usque in sæculum.
3. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini [1].
4. Excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus.
5. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,
6. Et humilia respicit in cœlo et in terra?
7. Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem :
8. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
9. Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

IN PSALMUM CXII

COMMENTARIUS

« *Alleluia* [2]. »

Psalmus agit de laude Dei pro conversione Gentilium.

« *Laudate, pueri, Dominum.* » Hic est Psalmus centesimus duodecimus in toto libro, in tertia vero parte duodecimus. Et, sicut superius dictum fuit in Psal. CVII, 2 : *Paratum cor meum*, in quinque præcedentibus Psalmis immediatis egit de beneficiis Dei populo Christiano exhibitis in capite suo Christo, vel in re, vel in spe, hinc aget de beneficiis exhibitis in ipso corpore : et dividitur in duas partes totum quod sequitur. Primo, agit de beneficiis in corpore Ecclesiæ exhibitis in conversione fidelium. Secundo, in unione conversorum ad invicem, et Deo, et in Deum, ibi, in

[1] Malach. I, 11.

[2] Ce psaume, qui est sans nom d'auteur, et dont on ne peut déterminer l'époque, a beaucoup de traits communs avec le cantique d'Anne, I Reg., II, et le *Magnificat*. Il célèbre la grandeur de Dieu, qui daigne s'abaisser pourtant jusqu'à secourir les malheureux. Nous avons deux particularités à noter dans ce cantique. D'abord il commence le *Hallel*, qui comprend les psaumes CXII-CXVII, et que les Juifs chantaient à leurs trois grandes fêtes, aux Encénies et aux Néoménies. On y trouve ensuite, à partir du ℣. 5, l'emploi du י paragogique ou *chirek compaginis*, reste d'une ancienne déclinaison dont il était le génitif, et qui sert à marquer l'état construit. On rencontre cette forme dans les livres poétiques, et dans la prose ancienne ; elle est demeurée dans les noms composés *malki-tsedeq*, *elih e-zer*, etc. Elle ne peut servir à déterminer l'âge du psaume, puisqu'elle est en usage jusque dans Jérémie et Ezéchiel.

« Ce psaume allie la majesté avec la douceur, « et la noblesse des idées avec l'onction des « sentiments ; il élève l'âme au Seigneur, et il « fait voir le Seigneur plein de miséricorde et « d'attention pour l'âme qui le cherche. » Berthier.

Psal. cxiv, 1 : « *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* »

In prima duo. Primo enim agit de laude Dei pro conversione Gentium in hoc Psalmo cxii. Secundo, de laude Dei pro conversione Judæorum in sequenti, scilicet cxiii.

Titulus autem Psalmi est « *Alleluia :* » quia agit de laude divina pro Gentium conversione.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, agitur de divina laude. Secundo vero, de laudis causa, et ratione, ibi, ỷ. 4 : « *Excelsus super omnes gentes Dominus.* »

In prima dicuntur tria. Primo, invitat ad Dei laudem. Secundo, ad laudis perpetuitatem, ibi, ỷ. 2 : « *Sit nomen.* » Tertio, ad laudis generalitatem, ibi, ỷ. 3: « *A solis ortu.* »

In prima invitat ad laudem ejus in se. Secundo, in suo nomine, ibi, « *Laudate nomen Domini.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic monui ad laudem Dei pro beneficiis in capite Christo exhibitis : et me etiam promisi laudaturum, et vos, o « *pueri,* » non ætate, sed simplicitate, et cordis puritate, « *laudate Dominum.* » Talium enim laus speciosa est, non in sordibus peccatorum voluptuantium. Eccli. xv, 9: *Non est speciosa laus in ore peccatoris,* sed pueri. Psal. viii, 3 : *Ex ore infantium et lactentium,* qui carent malitia, nec fantur detractionis, adulationis, et blasphemiæ verba, et sugunt lac doctrinæ, *perfecisti laudem,* ut sint laudantes pueri, puritate oris, puritate cordis, et puritate operis. Daniel. iii, 51 : *Tunc hi tres,* scilicet pueri, *quasi ex uno ore laudabant, et glorificabant, et benedicebant Deum in fornace, dicentes,* etc. Augustinus : « Sit senectus vestra puerilis, et pueritia senilis, « id est, ut nec sapientia vestra cum superbia, nec humilitas sine sapientia, « ut laudetis Dominum in sæculum sæculi. »

« *Laudate nomen Domini.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic laudate Dominum, nec solum ipsum in se, sed « *laudate nomen Domini,* » id est, Dominum in suo nomine, quod est nomen purum, et pietate redundans. Cantic. i, 2: *Oleum effusum nomen tuum.* Nomen salubre, Act. iv, 12 : *Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Nomen excelsum, Ad Philip. ii, 9: *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Propter hoc dicitur, Eccli. li, 15 : *Laudabo nomen tuum assidue.* Joel, ii, 26 : *Laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.*

« *Sit nomen Domini.* » Hic invitat ad laudis perpetuitatem. Quasi diceret : Sic laudate nomen : et « *nomen Domini sit benedictum,* » a nobis non ad tempus : sed, « *ex hoc nunc et usque in sæculum.* » *Et* superfluit more Hebraico, hoc est, usque in æternum, vel usque in sæculum futurum. Quasi diceret, quod non est cessandum ab ejus laude. De isto, Tob. iii, 23 : *Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula.* Eccli. li, 8 : *Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum.* Et certe si sic est, post mortem non cessabit, etsi non audiatur. Psal. xxxiii, 2: *Benedicam Dominum in omni tempore,* imo ultra omnia tempora. Daniel. iii, 52 : *Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis.* 2

« *A solis ortu.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic monui ut laudetur, et semper, « *a solis ortu* sit *laudabile nomen Domini,* » id est, laudetur, et laudabile reputetur, quod in se semper est laudabile, « *usque ad occasum.* » Malach. i, 11 : *A solis ortu usque ad occasum ma-* 3

gnum est nomen meum in Gentibus. Isa. xxiv, 16 : *A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi.* Et, xlii, 10 : *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.* Et, xlv, 6 : *Sciant hi qui ab ortu solis et qui ab occidente, quoniam absque me non est,* supple, Deus.

4 « *Excelsus super omnes gentes.* » Hic
secunda pars Psalmi, scilicet ratio, et causa quare laudandus : quia cum esset tam excelsus, usque ad conversionem Gentium humiliari est dignatus : unde dicuntur duo. Primo, ipsius celsitudo. Secundo, celsitudinis humiliatio, ibi, ỳ. 6 : « *Et humilia respicit.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, tangitur ipsius celsitudo. Secundo, celsitudinis incomparabilitas, et magnitudo, ibi, ỳ. 5 : « *Quis sicut.* »

In prima duo. Primo, celsitudo divina comparatione ad inferiores creaturas. Secundo, comparatione ad superiores, ibi, « *Et super cœlos.* »

Dicit ergo : Sic monui ut Deus laudetur : et hoc dignum est, quia « *Dominus* est *excelsus super omnes Gentes.* » Ergo fortius super omnes alias creaturas inferiores. Isa. xii, 4 : *Mementote quoniam excelsum est nomen ejus.* Etiam super illos qui videntur aliis fuisse excelsiores. Job, xxxvi, 22 : *Deus excelsus in fortitudine sua, et non est similis ei in legislatoribus.* Et, in Psal. lxxxii, 19 : *Cognoscant quia nomen tibi Dominus : tu solus altissimus super omnem terram.*

« *Et super cœlos,* » non tantum super Gentes, sed super Angelos, qui sunt cœli spirituales, « *gloria ejus,* » supple, est. Isa. lvii, 15 : *Hæc dicit Excelsus, et Sublimis, habitans æternitatem.* Job, xi, 8 : *Excelsior cœlo est.* De utroque, Isa. lxvi, 1 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* Job, xxxvii, 3 : *Subter omnes cœlos ipse considerat, et lumen illius super omnes terminos terræ.* Eccli. xxiv, 6 : *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram.*

« *Quis sicut Dominus.* » Ecce secun- 5
dum, in quo monstratur celsitudinis incomparabilis magnitudo.

Quasi diceret : Sic dixi, quod excelsior super omnes gentes : et vere dixi, quia « *quis,* » supple, quantumcumque excelsus est, « *sicut Deus noster,* » excelsus ? Exod. xv, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Isa. vi, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum,* in se, *et elevatum,* comparatione ad omnem creaturam. Imo si potest aliqua creatura aliquo modo a longe sequi, et non attingere celsitudinem, valde magnum est. Eccli. xxiv, 7 : *Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.* Psal. xcii, 4 : *Mirabilis in altis Dominus.*

Sed sedem amisit, et habitationem suam, Mich. vii, 2 : *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.* Unde impletur illud Luc. ix, 58 : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.*

« *Et humilia respicit.* » Hic secundum, 6
in quo monstrata Dei Filii excellentia, monstratur ejus condescensio pia : et dicuntur duo. Primo, hominibus condescensio, et illorum respectus generaliter, in quocumque statu sint. Secundo, fructus condescensionis, ibi, ỳ. 7 : « *Suscitans a terra.* »

Dicit ergo : Tantus est Deus, « *et* » tamen, « *humilia respicit,* » eis condescendendo, non tantum in uno loco, imo « *in cœlo et in terra.* » Isa. lxvi, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et humilem, et contritum, et trementem sermones meos?* Luc. i, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Psal. cxxxvii, 6, infra : *Excelsus Dominus, et humilia respicit.* Exod. xxvi, 7 : *Respexit,* supple, Dominus, *humilitatem nostram, labores et angustias :* quippe omnes videt.

Quanto ergo potius illos quos amat? In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos, sed differenter : oculo sinistro malos respicit, eorum facta interiora et exteriora judicando : bonos autem in melius promovendo, oculo dextro, vel a peccatis liberando, si electi sunt. Sapient. IV, 15 : *Et respectus in electos illius.*

7 « *Suscitans a terra.* » Hic tangitur condescensionis et respectus fructus. Tangitur autem duplex. Primo, gentium ereptio a culpa. Secundo, ereptorum congregatio in Ecclesia, ibi, ỷ. 9 : « *Qui habitare facit.* »

In prima duo. Primo, ereptio. Secundo, finis, et ratio, ibi, ỷ. 8 : « *Ut collocet.* »

In prima duo. Primo, ereptio Gentium ab amore terrenorum. Secundo, a voluptate carnalium desideriorum, ibi, « *Et de stercore.* »

Dicit ergo : Sic respicit humilia, et per hunc respectum est « *suscitans,* » quasi mortuum, « *inopem,* » qui opem gratiæ non habebat. Et hoc, « *a terra,* » in qua jacebat per concupiscentiam terrenorum. Psal. XLIII, 25 : *Conglutinatus est in terra venter noster.* Amos, VII, 2 : *Quis suscitabit Jacob de terra,* in qua jacet, *quia parvulus est?* et parvulorum scilicet amator factus. Nullus hominum hoc poterit. Eccli. LI, 10 : *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.* Propter hoc dicitur *inops,* sed ille suscitabit illum, qui suscitavit Archisynagogi filiam in domo mortuam[1] : filium viduæ in porta Naim[2] : et Lazarum quatriduanum[3].

Bona temporalia et vitia carnalia dicuntur stercora.

« *Et de stercore,* » fœtore scilicet carnalium voluptatum, « *erigens pauperem.* » I Reg. II, 8, idem fere[4]. Et nota, quod *stercora* dicuntur temporalia, Tob. II, 11, excæcatus est stercoribus hirundinum. Et, Thren. IV, 5, dicitur : *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Et Apostolus omnia temporalia tamquam stercora reputabat, et carnalia vitia, sicut hic[5]. Joel, I, 17 : *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Sophon. I, 17 : *Corpora eorum sicut stercora.* Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Et pœnitentiæ vilia indumenta. Luc. XIII, 8. *Dimitte illam et hoc anno, dum fodiam circa illam, et mittam stercora.*

« *Ut collocet eum.* » Hic finis et inten- 8
tio liberantis ab his, et erigentis : et tangitur duplex. Primo, collocatio ejus cum Angelicis potestatibus. Secundo, cum Apostolis, ibi, « *Cum principibus.* »

Ait enim : Sic suscitat de terra, sic erigit de stercore, et ad hoc, « *ut collocet eum,* » inopem scilicet, « *cum principibus,* » scilicet Angelis. Apocal. XXI, 17 : *Mensura hominis, quæ est Angeli:* unum scilicet facti sunt Angeli et homines per Christum. Apocal. XIX, 10 : *Vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu.* Quod autem Angeli principes sint, manifeste apparet per illud Daniel. XII, 11 : *In tempore illo consurget princeps magnus.* Et, in Psal. LXVII, 26, supra : *Convenerunt principes conjuncti psallentibus.* Et etiam, « *collocet cum principibus populi sui,* » supple, judicibus : hi enim sunt Apostoli. Psal. XLIV, 17 : *Constitues eos principes super omnem terram.* Et, alibi, Psal. XLVI, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Matth. XIX, 28 : *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me,*

[1] Cf. Matth. IX, 18 et seq.

[2] Cf. Luc. VII, 11 et seq.

[3] Cf. Joan. XI, 1 et seq.

[4] I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem,* etc.

[5] Ad Philip. III, 8 : *Propter quem,* scilicet Jesum Christum, *omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora,* etc.

etc. Cum his multos constituit de gentibus propter se omnia relinquentes, et ipsum sequentes. Propter hoc dicitur, Job, XXXVI, 6: *Judicium pauperibus tribuit, et reges in solio collocat in perpetuum.*

« *Qui habitare facit.* » Hic secundus fructus divini respectus, scilicet congregatio Gentium (ad quod tendebat Psalmus) in unitatem primitivæ Ecclesiæ, et ipsius fructificatio: unde dicuntur duo. Primo, ipsorum congregatio et unio cum Ecclesia. Secundo, unitæ exsultatio in fructificatione filiorum, et bonorum operum, ibi, « *Matrem filiorum.* »

Dicit ergo: Nullus est sicut Deus noster, qui prædicta bona facit, et etiam, « *qui habitare facit in domo,* » in primitiva Ecclesia, de Judæis, quæ domus erat, non civitas adhuc. Joan. X, 16: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere.* « *Sterilem,* » Gentilitatem, quæ prius omnino sterilis erat a bonorum opere, a spiritualium filiorum generatione: unde per Saram significabatur [1]. Sed unitam cum primitivis de Ecclesia. Ad Ephes. II, 14: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Psal. LXVII, 7: *Qui inhabitare facit unius moris in domo,* Ecclesiæ scilicet, de qua Matth. XXI, 13: *Domus mea, domus orationis vocabitur.*

« *Matrem.* » Hic secundum, in quo subjungitur exsultatio cum causa exsultationis.

Ait enim: Sic sterilem fecit inhabitare in Ecclesia, faciens etiam ipsam, « *matrem filiorum.* » Isa. LIV, 1: *Lauda, sterilis, quæ non paris: decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum,* etc. I Reg. II, 5: *Donec sterilis peperit plurimos, et quæ multos habebat filios, infirmata est.* « *Lætantem,* » nunc post partum, etsi in ipso partu aliquantulum contristetur. Joan. XVI, 21: *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Genes. XXI, 6, dixit Sara post partum: *Risum fecit mihi Dominus.* In Psal. CXXI, 1, infra: *In domum Domini,* dicit gentilis populus, id est, in Ecclesiam, lætantes *ibimus,* in militantem hic, et postmodum in triumphantem, ad quam nos perducat, qui est benedictus in sæcula, etc.

PSALMUS CXIII.

Narratio miraculorum Dei in exitu de Ægypto: idolorum vanitas.

Alleluia.

1. In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob populo barbaro [2],

2. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.

3. Mare vidit, et fugit: Jordanis conversus est retrorsum.

4. Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.

5. Quid est tibi, mare, quod fugisti?

[1] Cf. Genes. XVI, 1, et multoties alibi.

[2] Exod. XIII, 3.

et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?
6. Montes, exsultastis sicut arietes? et, colles, sicut agni ovium?
7. A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob:
8. Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.

1. NON NOBIS, DOMINE, NON NOBIS: sed nomini tuo da gloriam,
2. Super misericordia tua et veritate tua: nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?
3. Deus autem noster in cœlo: omnia quæcumque voluit fecit.
4. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum[1].
5. Os habent, et non loquentur[2]: oculos habent, et non videbunt.
6. Aures habent, et non audient: nares habent, et non odorabunt.
7. Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.
8. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.
9. Domus Israel speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.
10. Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.
11. Qui timent Dominum speraverunt in Domino: adjutor eorum et protector eorum est.
12. Dominus memor fuit nostri, et benedixit nobis.
Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.
13. Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.
14. Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros.
15. Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum et terram.
16. Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum.
17. Non mortui laudabunt te, Domine[3]: neque omnes qui descendunt in infernum.
18. Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc, et usque in sæculum.

IN PSALMUM CXIII

COMMENTARIUS.

« *Alleluia*[4]. »

« *In exitu Israel de Ægypto.* » Hic est Psalmus centesimus decimus tertius in toto libro, decimus tertius in tertia parte libri, in quo agit de laude Dei pro conversione Judæorum. Et quia illorum conversio est duplex, alia particularis inchoata in primitiva Ecclesia et usque nunc continuata, alia vero universalis in fine mundi fienda, agetur de utraque, præposito titulo satis exposito, scilicet « *Alleluia.* »

Psalmus agit de laude Dei pro conversione Judæorum.

Et dividitur Psalmus in duas partes

[1] Infra, CXXXIV, 15.
[2] Sapient. XV, 15.
[3] Baruch, II, 17.
[4] Dans les Septante et la Vulgate, dans les versions syriaque, éthiopienne et arabe, et même dans un certain nombre de manuscrits hébreux, les deux psaumes CXIV et CXV du texte actuel de la Bible hébraïque sont réunis en un seul. Le premier des deux morceaux célèbre la puissance de Dieu, telle surtout qu'elle se manifesta dans les merveilles de la sortie d'Egypte; le second invite l'Israélite à rapporter toute gloire à Dieu et à mettre en lui sa confiance, en méprisant les idoles sans

secundum has duas conversiones, seu vocationes. In prima agitur de laude Dei pro Judæorum conversione particulari. In secunda vero, pro universali, ibi, ỳ. 9 : « *Domus Israel speravit.* » Quamvis sequendo Glossam posset de omnibus ad fidem conversis exponi. Sed illas melius, et magis proprie figuravit exitus de Ægypto.

In prima dicuntur duo. Primo, tangitur conversio. Secundo, laus Dei pro conversione illa, cum detestatione spurcitiæ idolorum, ibi, ỳ. 1 secundæ partis : « *Non nobis Domine, non nobis*, etc. »

In prima tanguntur tria. Primo, conversio tangitur. Secundo, quorum ministerio facta sit, ibi, ỳ. 4 : « *Montes exsultaverunt.* » Tertio, cujus aucto-

vie des nations. Il n'y a pas toujours une liaison très étroite entre les différentes parties de psaumes dont l'unité est incontestable ; le psaume CXIII pourrait donc être regardé comme un tout indivisible, d'autant plus aisément que le verset *non nobis* est une transition suffisante entre le début lyrique et la suite beaucoup plus simple du morceau. C'est l'idée de M. le Hir qui ne refuse à cette composition, telle que la donnent les versions, ni « l'unité de style » ni « la suite des pensées. » Néanmoins, les deux morceaux ont une allure si différente, que les auteurs modernes sont unanimes à en admettre la distinction ; cette conclusion s'impose à la lecture du texte : le début est poétique au suprême degré, les prosopopées d'une hardiesse étonnante, la disposition strophique très régulière ; la seconde partie est une exhortation du ton le plus ordinaire, sans couleur poétique, sans régularité strophique. « Dubium mihi non est, dit « V. Steenkiste, primitus fuisse duo carmina « distincta. »

Le premier morceau a toujours excité la juste admiration des critiques. « Ce psaume, dit Herder, « est une des plus belles odes qu'il « soit possible de trouver en aucune langue. « La concision brusque des peintures, l'éton- « nement, la surprise attribuée à la mer « et au Jourdain, et qui semble augmenter « encore par la question que le poète leur « adresse, la conclusion qui fait de ces phé- « nomènes le résultat d'un regard de Dieu, « d'un regard qui perce à travers les nuages, « et convertit les rochers et les pierres en lacs « et en sources vives, achèvent de donner à « cette petite ode le caractère important et « majestueux d'un résumé fondamental de « toute l'histoire du voyage à travers le dé- « sert. » Poés. des Hébr. II, 3. La Harpe, dans son Discours préliminaire au Psautier, parle dans les mêmes termes : « Si ce n'est pas là « de la poésie lyrique et du premier ordre, « il n'y en eut jamais... Le poète raconte des « merveilles inouïes comme il raconterait des « faits ordinaires : pas un accent de sur- « prise ni d'admiration, comme n'y aurait pas « manqué tout autre poète. (En note : Il n'y « a qu'une manière d'expliquer comment on « expose si uniment des prodiges si extraor- « dinaires ; c'est que celui qui en parle ici est « celui qui les a faits)... Je connais, comme « un autre, Horace et Pindare : mais si j'ose « le dire, sans manquer de respect pour ce qui « est sacré en le rapprochant du profane, « l'Esprit-Saint qui n'avait pas besoin, pour « agir sur nous, de remporter la palme de « l'esprit poétique, apparemment ne l'a pas « dédaigné. » Quelques commentateurs pensent que ce premier morceau faisait partie de la liturgie pascale ; il est du reste inséré dans le *Hallel*, et s'il a été composé en vue de cette destination liturgique, on s'explique facilement sa fin un peu brusque.

Le second morceau dont l'auteur n'est pas plus indiqué que celui du premier, a aussi, selon toute apparence, un but purement liturgique. Ewald a conjecturé qu'il se chantait pendant qu'on offrait un sacrifice, et que le ỳ. 12 était dit par le prêtre au nom de Dieu pour déclarer que l'offrande était acceptée du Seigneur. Tholuck et M. le Hir ont aussi pensé que le psaume était aussi un dialogue entre un lévite et un chœur représentant le peuple ; le second vers des ỳỳ. 9-11, a en effet la forme d'un refrain répété avec intention. Ces suppositions ne manquent pas de vraisemblance, mais il est difficile de les prouver catégoriquement, et dans l'hypothèse d'un dialogue, de déterminer sûrement ce qui appartient aux différents interlocuteurs.

Dans ce second psaume, la Vulgate garde la numération des versets de l'Hébreu.

Dans le sens spirituel, « l'Eglise rend grâce « à Dieu qui l'a tirée de l'esclavage du démon « et de l'idolâtrie par des miracles dont les « prodiges anciens n'étaient que l'ombre. » Le Hir.

H. Lesêtre.

ritate, ibi, ℣. 7 : « *A facie Domini.* »

Et in prima tangitur primo quorumdam conversio : de particulari enim agitur. Secundo, quorumdam aversio, imo plurimorum, ibi, ℣. 3 : « *Mare vidit.* »

Ad conversionem autem concurrunt duo quæ tanguntur. Primo, mali desertio. Secundo, adhæsio bono, ibi, ℣. 2 : « *Facta est Judæa.* »

Et desertio mali primo in se. Secundo, occasiones mali, ibi, « *Domus Jacob.* »

1 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Israel* » (potest esse nominativi casus, ut locum habeat sequens relatio) « *in exitu de Ægypto,* » spirituali, scilicet de peccato, quod dicitur Ægyptus, quia Ægyptus *tenebræ* interpretatur, et peccatum tenebra est. Proverb. iv, 19 : *Via impiorum tenebrosa.* Psal. xxxiv, 6 : *Fiat via illorum tenebræ, et lubricum.* Sapient. ii, 21 : *Excæcavit illos malitia eorum.* Qui exitus figuratus fuit in exitu litterali, de quo, Exod. xiv, 4 et seq.

« *Domus Jacob.* » Hic secundum. Quasi diceret : Israel in exitu de Ægypto, id est, cum exiret de Ægygto : et « *domus Jacob,* » in exitu, id est, cum exiret, « *de populo barbaro,* » id est, de malorum consortio, scilicet infidelium, secundum illud Pauli, II ad Corinth. vi, 17 : *Exite de medio eorum,* scilicet infidelium, *et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis.*

Cur peccatores appellantur barbari?

Dicuntur autem mali et infideles barbari. Primo, propter bestialem deformitatem, quæ in ipsis est. Ad Tit. i, 12 : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Propter indomabilitatem, quia nulla lege refrænantur. Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* Propter habitus diversitatem, quia barbari pellibus animalium induuntur. Habac. iii, 7 : *Turbabuntur pelles terræ Madian.* Jerem. xiii, 23 : *Si potest Æthiops mutare pellem suam?* Propter victus asperitatem : barbari enim vilibus et asperis pascuntur, sicut peccator. Job, xxx, 4 : *Mandebant herbas, et arborum cortices,* id est, in vanis et apparentibus delectantur. Propter solitudinis inhabitationem : habitant enim peccatores in peccatis, et penuriis gratiæ Dei, et sapientia. Job, xxx, 6 : *In desertis habitabant torrentium, et in cavernis terræ.* Propter ferocitatem et bellorum amorem. Psal. lxvii, 31 : *Dissipa Gentes quæ bella volunt.* Jacob, iv, 1 : *Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis quæ militant in membris vestris?* Propter barbarum et crinium longitudinem. Hieronymus : « Homines fuge, « quos videris catenatos, habentes bar- « bam prolixam, longos crines, sordidos « habitus. »

Posset etiam legi, ut hoc quod dicitur *Israel,* et *domus Jacob,* esset genitivi casus, et patet constructio sic : « *In exitu Israel,* » id est, Israelitici populi, « *de Ægypto,* » ut supra : « *domus,* » id est, familiæ, « *Jacob, de populo barbaro.* »

« *Facta est Judæa.* » Hic secundum, scilicet adhæsio bono, quia confessio divinæ potestatis, et laus : et tanguntur duo. Primo, Dei confessio. Secundo, fructus sequens ex laude, ibi, « *Israel potestas ejus.* » 2

Ait enim : Sic Israel de peccato exeunte, et domo Jacob de pravo consortio, « *facta est sanctificatio ejus Judæa,* » confessio laudis divinæ. Quasi diceret : Laudavit Deum, in quo sanctificatus fuit, et confessus est ipsum. Confessio enim fidei sanctificat, Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum.* I ad Corinth. vi, 11 : *Abluti estis, et sanctificati estis in nomine ejus.* Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sicut et ipsa confessio peccati, II ad Timoth. ii, 21 : *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in ho-*

norem sanctificatum, et utile Domino. Isa. XLIII, 26 : *Narra, si quid habes, ut justificeris.*

Hæc sanctificatio figurata fuit in illa litterali, qua sanctificati fuerunt ingredientes terram illam, Josue, III, 5 : *Sanctificamini : cras enim faciet in vobis Dominus mirabilia.* Hæc sanctificatio placet Deo non modicum, II ad Thessal. IV, 3 : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra,* per peccati confessionem, et fidei puritatem.

« *Israel potestas ejus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic sanctificati sunt, et sic « *Israel* » factus est « *potestas ejus,* » ipsius scilicet Israel. Quasi diceret : Per hoc Israel factus est potens, qui primo in peccato servus, et dejectus erat. Joan. VIII, 34 : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati*[1]. Quid mirum ? Qui bene peccata confessus est, et fide purgatus, charitatem habet. Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Et, Augustinus : « Nihil fortius habente cha« ritatem. » Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hæc potest assigurata fuit in illa potestate, quæ collata fuit filiis Israel, post ingressum in Judæam. Deuter. XI, 24 : *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*[2].

3 « *Mare vidit.* » Hic secundum, in quo agitur de aversione, et obstinatione aliquorum de Judæis, quamvis aperte cognoscerent ipsum esse Christum : et dicuntur duo secundum duplicem causam. Prima est amaritudo invidiæ. Secunda, amor carnalis observantiæ, ibi, « *Jordanis.* »

Dicit ergo : Sic exeuntes fideles de peccato, et de pravorum consortio, sanctificati et fortes facti sunt : sed « *mare,* » Judæi multi, invidia lividi sicut mare, et turbulenti iracundia, « *vidit,* » opera Christi, « *et fugit,* » resiliit a bono et conversione. Isa. VI, 9 : *Videte visionem, et nolite cognoscere,* urgente vos invidia et turbatione. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens.* Isa. XXX, 17 : *Fugietis,* a verbo scilicet, *donec relinquamini.* In aliquibus tamen, qui boni fuerunt, viam habuit doctrina Christi. Sapient. XIX, 7 : *In mari Rubro via sine impedimento.* Sed hoc verum est, quando mare rubeum est per dolorem peccatorum, et passionis Christi meditationem : unde sic transitus significatus fuit maris Rubri divisione, et libero transitu[3].

« *Jordanis.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic existentes in infidelitatis amaritudine fugerunt : « *Jordanis* » vero, id est, existentes in carnalium observatione, quæ justo Dei judicio Judæis sunt imposita, « *conversus est retrorsum,* » a Deo, et fidei veritate. Zachar. VII, 11 : *Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes.* Isa. LIX, 13 : *Aversi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri.* Hoc est quod dicitur, Joan. VI, 67, quando invitabat ad esum suæ carnis, et potum proprii sanguinis : *Multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo,* scilicet cum Jesu, *ambulabant.*

Vel, sic posset legi, ut primum hujus versus ad malos referretur, secundum ad bonos. Quasi diceret : « *Mare,* » mundani scilicet homines, « *vidit,* » potestatem conversorum ad Christum, « *et fugit,* » retraxit se a suo timore, et fervore. Nahum, I, 4 : *Increpans mare, et exsiccans illud.* « *Et Jordanis,* » humiles baptizati : Jordanis enim *humilis defectus* interpretatur, et in Jordane Dominus baptizatus est[4], « *conversus est,* » a peccatis suis, « *retrorsum,* » ad Deum a quo in esse exivit.

[1] Cf. ad Roman. VI, 15, et II Petr. II, 19.

[2] Josue, I, 3 : *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.*

[3] Cf. Exod. XIV, 21 et seq.

[4] Cf. Matth. III, 13 et seq., et Luc. III, 12 et seq.

Isa. xxxi, 6 : *Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel.* Eccle. i, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur.*

4 « *Montes exsultaverunt.* » Hic secundum : tacta enim aliquorum conversione, ostenditur hic per quos facta sit ista conversio, et per quales, quia per Apostolos exsultantes, et per Apostolis similes. Tria ergo dicuntur in Apostolorum conversione. Primo, illa exsultatio tamquam ductorum gregis, et Apostolorum sequentium. Secundo, ipsorum admiratio de obduratione nolentium converti, ibi, ỳ. 5 : « *Quid est tibi mare ?* » Tertio, reperitur exsultatio Apostolorum, et eorum sequentium, pro multiplicatione fidelium, ibi, ỳ. 6 : « *Montes exsultastis.* »

Et in prima duo. Primo, exsultatio Apostolorum tangitur. Secundo, Apostolos imitantium, et sequacium illorum, ibi, « *Et colles.* »

Dicit ergo : Sic aliqui sunt conversi, aliis remanentibus in erore : et « *montes,* » Apostoli scilicet, « *exsultaverunt,* » pro conversione. Psal. xcvii, 8 : *Montes exsultabunt a conspectu Domini.* Isa. ix, 3 : *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Et, xlix, 13 : *Jubilate, montes, laudem.* Montes dico facti, « *ut arietes,* » gregum scilicet ductores. Hi enim sunt arietes, de quibus supra, in Psal. xxviii, 1 : *Afferte Domino filios arietum.* Proverb. xxx, 31 : *Aries, nec est rex qui resistat ei.* Fuit talis aries Petrus, fuit et Paulus.

Apostoli comparantur montibus.

Dicuntur autem Apostoli *montes* propter firmitatem. Ad Roman. viii, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi ?* Hinc, Psal. lxxxvi, 1 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis,* id est, firmis. Sanctum enim idem est quod firmum. Item, propter vitæ eminentiam. Ad Philip. iii, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Daniel. ii, 34 : *Abscissus est lapis de monte,* primo vilis et abjectus, Petrus, et Andreas : *factus est mons magnus.* Item, propter priorem radiorum susceptionem, et infusionem aliis Psal. lxxi, 3 : *Suscipiant montes pacem populo.*

« *Et colles.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic Apostoli sunt lætati : « *et colles,* » scilicet minores sancti et Apostolorum successores et illis subjecti, « *exsultaverunt,* » pro conversione infidelium, « *sicut agni ovium,* » sicut simplices et benigni. Act. xiii, 52 : *Discipuli replebantur gaudio et Spiritu sancto.* Et sicut agni, Sapient. xix, 9 : *Tamquam agni exsultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.* Isa. lv, 12, de utrisque : *Montes et colles cantabunt coram vobis laudem.*

« *Quid est tibi, mare ?* » Hic secundum, in quo subjungitur admiratio pro obduratione nolentium converti propter infidelitatem. Secundo, nolentium converti propter carnalium observationum amorem, ibi, « *Et tu, Jordanis.* » 5

Lege ergo sic : Ita Apostoli, et Apostolorum discipuli exsultabunt, dicentes admirando : O « *mare,* » amarum, scilicet popule Judæorum, « *quid est tibi quod fugisti ?* » scilicet a tam apertissima veritate. Talis increpatio est, II Paral. xxiv, 20 : *Quare transgredimini mandatum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos ?* Et hæc increpatio profuit in aliquibus. Isa. xliii, 16 : *Dedit in mari viam.* Et, l, 2 : *In increpatione mea desertum faciam mare, ut ejiciat mortuos suos,* id est, malos motus. Apoc. xx, 13 : *Et dedit mare mortuos suos,* confitendo et enarrando illos.

« *Et tu, Jordanis.* » Hic est secundum. Quasi diceret : Quid est infidelis populus, quod a veritate fugis ? « *Et tu, Jordanis,* » popule humiliter descen-

dens in carnales observantias, repete, quid est tibi, « *quia conversus es,* » fugiendo a bona informatione, « *retrorsum,* » et sermones doctrinæ sanæ abjiciendo ? Psal. XLIX, 17 : *Projecisti sermones meos retrorsum.* Isa. V, 41 : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ?* Mich. VI, 3 : *Popule meus, quid feci tibi ? et quid molustus fui tibi ?* Non est causa ex parte mei, sed ex parte tui. Act. VII, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.*

6 « *Montes, exsultastis.* » Hic tertium, in quo subjungitur iterata Apostolorum, et subjectorum illis exsultatio pro multiplicatione fidelium. Et primo, majorum. Secundo, minorum, ibi, « *Et, colles.* » Dicit ergo convertens sermonem ad illos : O vos, « *montes,* » quid « *exsultastis* » de conversorum multiplicatione, « *sicut arietes,* » gregum plurimorum læti duces ? Hanc multiplicationem et lætitiæ causam in montibus videbat Ezechiel cum dicebat, XXXVI, 8 : *Vos, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel,* unde gaudeatis. Ad Philip. IV, 1 : *Itaque, fratres mei dilectissimi, gaudium meum, et corona mea.* I ad Thessal. II, 19 : *Quæ est nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ ? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum.*

« *Et, colles.* » « Et, » quid est, « *colles,* » repete, quod exsultastis, « *sicut agni ovium ?* » Isa. XLI, 18 : *Aperiam in supinis collibus flumina,* supple, gaudiorum.

7 « *A facie Domini.* » Hic tertium, in quo ostendit cujus auctoritate facta fuerit conversio, quia per unum : et dicuntur duo. Primo, quod per solum Deum facta fuerit. Secundo, quod necesse fuit ita fieri, ibi, ℣. 8 : « *Qui convertit petram.* »

In prima dicuntur duo. Primo, quod per Deum conversio facta sit, et Judæorum commotio ad pœnitentiam. Secundo, ostendit de quo Deo intelligit, quia non de recenti aliquo, sed de Patriarcharum Deo, ibi, « *A facie Dei Jacob.* »

Dicit ergo : Sic conversi sunt, et Apostoli cum suis successoribus sunt lætati : sed per quem hoc factum est ? Ecce : « *Terra mota est,* » scilicet Judæorum terrena corda mota sunt ad pœnitentiam et conversionem, « *a facie Domini,* » a præsentia scilicet Domini. Baruch, III, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et a præsentia etiam spirituali : quia præsens est per clementiam suam et gratiam, quam infundit in illis intuitu suo, sicut Matthæum intuitus est [1], et Petrum [2]. Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicis, dissipat omne malum intuitu suo.* De utroque potest intelligi illud Psal. LXVII, 9 : *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai.* Et, Judicum, V, 4 et 5 : *Terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis. Montes fluxerunt a facie Domini.* Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes ! a facie tua montes defluerent.*

« *A facie.* » Hic secundum. Non a facie cujuscumque dei, hoc dico fieri, sed « *a facie,* » id est, a præsentia, et a clementia « *Dei Jacob.* » Hoc dico fieri ab eo qui est Deus antiquus, et non recens. Exod. III, 6 : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.* In Psal. LXXX, 9 et 10, supra : *Israel, si audieris me, non erit in te deus recens.*

« *Qui convertit petram.* » Hic ostendit, quod per Deum fieri hoc necesse fuit, nec posset per alium, quod fuit secundum. Et primo, quantum ad conver- 8

[1] Cf. Matth. IX, 9.

[2] Cf. Luc. XXII, 61.

sos de perversis moribus ad gratiam. Secundo, quantum ad conversos de infidelitate ad fidem, ibi, « *Et rupem.* »

Ait enim : Sic dixi, quod hæc facta sunt « *a facie Domini,* » hoc est, ab ejus præsentia et spirituali et corporali : et necesse fuit : « *qui,* » id est, quia ille « *convertit,* » hæc faciendo, « *petram,* » plebem suam durissimam, « *in stagna aquarum,* » in loco gratiarum, sicut stagna loca sunt stantium aquarum.

Christi et sanctorum comparatio cum petra in aquas conversa.

« *Et rupem,* » eamdem scilicet plebem duram sicut rupes, « *in fontes aquarum,* » in abundantiam scilicet Scripturarum ad alios derivatarum, sicut aperte videmus in Paulo factum, qui prius durus erat sicut petra, et factus est vas gratiarum. Act. IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste,* ad portandum gratiam meam. I ad Corinth. XV, 10 : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et, II ad Corinth. XII, 9 : *Sufficit tibi gratia mea.* Et prius sicut rupes durus, factus est fons doctrinarum abundantissime irrigans totum mundum. Proverb. V, 16 : *Deriventur fontes tui foras.* Sic Stephanus de dura petra stagnum factus est. Act. VI, 8 : *Stephanus plenus gratia et fortitudine.* Et etiam fons doctrinarum. In eodem, ℣. 10 : *Et non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.* Isa. XXXV, 6 et 7 : *Scissæ sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.*

Petra etiam et rupes fuit Christus. I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Daniel. II, 34 : *Abscissus est lapis de monte sine manibus : et percussit statuam..., et comminuit.* Sed hunc lapidem percussit Deus, percuti in cruce fecit gladio lanceæ [1], et egressæ sunt aquæ largissimæ ad abluendum totum mundum. Aquæ, quas non poterat Ezechiel transvadere [2]. Aquæ dulcissimæ, imo mel, oleum. Deuter. XXXII, 13 : *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.*

« *Non nobis, Domine, non nobis.* » 1
Hic secundum totius primæ partis Psalmi.

Actum enim est de Judæorum particulari conversione, hic subjungitur de Dei laude pro conversione illa, cum idolorum detestatione : et secundum hoc dicuntur duo. Primo enim agitur de divina laude propter præcedens beneficium. Secundo, de simulacrorum detestatione, ibi, ℣. 4 : « *Simulacra Gentium.* »

In prima duo. Primo, petit a Deo singularem ejus glorificationem. Secundo, addit petitioni persuasionem, ibi, in medio ℣. 2 : « *Nequando dicant.* »

In prima petit primo, ut Deus sui, non hominum procuret gloriam. Secundo, ostendit super quo eum gloriari velit, ibi, ℣. 2 : « *Super misericordia.* »

Dicit ergo : Sic per te solum, Domine, sunt conversi, tamquam actorem principalem, et propter hoc petii, o « *Domine, non nobis,* » ab infidelitate recedentibus, « *non nobis,* » fidei veræ adhærentibus. Vel, « *non nobis,* » Judæis, « *non nobis,* » Gentibus, « *da gloriam :* » quia omnes quantum ex nobis nihil sumus, nisi peccatores. Ad Roman. III, 22 et 23 : *Non enim est distinctio : omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.* Sed ipsam « *nomini tuo da,* » famæ tuæ, ut prædiceris gloriosus. Daniel. III, 43 et 44 : *Da gloriam nomini tuo, Domine : et confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala.* Et respondet, Isa. XLII, 8, huic petitioni : *Gloriam meam alteri non dabo.* Et, XLVIII, 11 : *Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer,* scilicet in Gentibus : *et gloriam meam alteri non dabo.* Et propter hoc dicebat Paulus, I ad Timoth. I, 17 : *Soli*

[1] Joan. XIX, 34 : *Unus militum lancea latus ejus,* scilicet Christi, *aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.*

[2] Cf. Ezech. XLVII, 1 et seq.

Deo, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen[1]. Et, Apocal. v, 13 : *Sedenti in throno et Agno, benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum.*

2 « *Super misericordia.* » Hic secundum, in quo et super quo vult ipsi procurare gloriam, et non nobis, quia super duobus : « *Super misericordia,* » bonos advocante, « *et* super *veritate,* » seu justitia, malos puniente.

Ait enim : Sic dixi, ut non detur nobis gloria, sed et hoc « *super misericordia tua,* » qua vocatos ad fidem convertisti. Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum,* etc. Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.* Sed quos vocat, justificat, et salvat. Ad Roman. VIII, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

« *Et veritate tua,* » qua tuo judicio in errore suo alios dimisisti. Apocalyps. XXII, 11 : Justum est, ut *qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Qua et eos punies in futuro, si non fuerint correcti. Ad Roman. II, 6 : *Reddet unicuique juxta opera ejus.* II ad Corinth. v, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Hæc duo utique fere in Deo junguntur. Psal. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini, misericordia, et veritas.* Et hæc duo in nobis sunt necessaria, ut simus misericordes et veraces : quia, Proverb. XVI, 6, dicitur : *Misericordia et veritate,* non una sine altera, *redimitur iniquitas.* Et, XIV, 22 : *Misericordia et veritas præparant bona.*

« *Nequando dicant.* » Hic est persuasio ad petitionem superius factam adimplendam, scilicet ut infidelium vitetur irrisio : in quo duo. Primo, ut evitetur infidelium blasphemia et irrisio. Secundo, secundum Glossam, nihilominus supponitur fidelium responsio ad illam irrisionem, ibi, ℣. 3 : « *Deus autem noster.* »

Sed potest dici melius, quod suadet ut sic evitetur irrisio. Secundo, probatio quod vere est irrisio et blasphemia, ibi, « *Deus autem noster.* »

Dicit autem : Sic facias, Domine, « *nequando,* » id est, aliquando, « *dicant Gentes,* » Deum volentes habere oculis corporalibus visibilem : « *Ubi est Deus eorum ?* » Quasi diceret : Nusquam est, quia videri non potest. Supra, in Psal. XLI, 4 : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?* De hoc satis ibi[2].

« *Deus autem noster.* » Hic probatio, 3
quod vere blasphemant hæc dicendo. Primo, in hoc quod Deum credunt esse nusquam. Secundo, in hoc quod nullam omnino rem, ibi, « « *Omnia.* »

Ait enim : Sic volo, quod prædicta facias, ne hoc dicant, quia vere blasphemia. « *Autem,* » quia « *Deus noster in cælo,* » secundum manifestationem, et apparentiam. Isa. LXVI, 1 : *Cælum mea sedes.* Job, XI, 8 : *Excelsior cælo est, et quid facies ?* Eccli. XXIV, 7 : *Ego in altissimis habitavi.* I ad Timoth. VI, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem,* mortalibus oculis, non glorificatis.

Et etiam

« *Omnia quæcumque voluit fecit.* » Bene mentiuntur dicentes, quod omnino nihil est. Sapient. XII, 18 : *Subest tibi, cum volueris, posse.* Job, IX, 4 : *Quis restitit ei, et pacem habuit ?* Et, XXIII, 13 :

[1] Ad Roman. XVI, 27 : *Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

[2] Cf. Commentarium in ℣. 4 Psal. XLI, tomo XVI hujusce editionis.

Anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. Isa. XLVI, 10 : *Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Psal. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.*

4 « *Simulacra Gentium.* » Hic secundum, scilicet, in quo subjungitur de simulacrorum detestatione : et dicuntur duo. Primo, detestatio ipsorum idolorum. Secundo, imprecatio colentibus illa, in quo sunt detestanda, ibi, ℣. 8 : « *Similes illis.* »

In prima duo. Primo, ostendit idolorum vanitatem in se, quod omnino sint sine vita. Secundo, inutilitatem, quia nulla possunt membrorum exercere officia, ibi, ℣. 5 : « *Os habent.* »

Vanitatem autem ostendit quantum ad materiam primo. Secundo, quantum ad auctorem, ibi, « *Opera manuum.* »

Dicit ergo : Vere talis est Deus noster ut dixi : sed « *simulacra Gentium,* » sunt « *argentum et aurum,* » id est, de auro et argento, quæ ad litteram trahuntur de terra, et terra sunt. Et, Jerem. IV, 23, dicitur : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.*

« *Opera manuum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic in materia sunt, et sunt « *opera manuum hominum,* » non a Deo facta, vel genita. Osee, VIII, 4 : *Argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.* Isa. II, 8 : *Repleta est terra ejus idolis : opus manuum suarum adoraverunt :* contra hoc quod prohibitum est, Exod. XX, 4 : *Non facies tibi sculptile.* Baruch, VI, 46 : *Artifices ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis : numquid ergo possunt ea, quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dii ?* Quasi diceret : Nullo modo. Si autem vana pretiosiora videntur, et sunt illa quæ de argento sunt et auro, quid erit de ligneis, et luteis ? Sapient. XIII, 10 : *Infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum et argentum, artis inventionem,* etc.

« *Os habent, et non loquentur.* » Hic 5
secundum, in quo ostendit illorum inutilitatem. Primo, quia carent usu membrorum animantium vitam perfectam habentium. Secundo, habentium etiam imperfectam, ibi, in fine ℣. 7 : « *Non clamabunt.* »

In prima, quod non habent usum membrorum animantium habentium vitam perfectam, et rationabilium. Secundo, quod nec irrationabilium, ibi, « *Oculos.* »

Dicit ergo : Sic dii gentium vani sunt, et inutiles omnino, quia « *os habent,* » secundum apparentiam, quia animalia rationalia vocem formare potentia, « *et* » tamen « *non loquentur,* » tamquam omnino usu oris carentia. Baruch, VI, 7 : *Lingua ipsorum polita a fabro : ipsa etiam inaurata et inargentata, falsa sunt, et non possunt loqui.*

« *Oculos habent,* » illa simulacra secundum apparentiam, « *et non videbunt,* » ut usum oculorum exerceant : quippe sine anima sunt. Sapient. XV, 4 et 5 : *Effigies sculpta per varios colores, cujus adspectus insensato dat concupiscentiam, et diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.* Iterum : Si animam haberent, oculos tamen plenos habent pulvere, ut videre non possint. Baruch, VI, 16 : *Oculi eorum pleni sunt pulvere a pedibus introeuntium.*

« *Aures habent, et non audient.* » Hic 6
ostendit usus auditus defectum. « *Nares habent, et non odorabunt :* » hic olfactus. « *Manus habent, et non palpabunt :* » hic tactus. Sed quare non facit mentionem de gustu ? Responsio. Posset esse, quod gustus quidam tactus est, et sub ipso comprehenditur. Iterum : Illa tantum tangit, per quæ idola ad alios, scili-

Quare non sit ibi mentio de gustu?

cet idololatras, videbantur ordinata : gustus autem ad seipsum, et ad sustentationem ipsius substantiæ, et propter hoc non commemoratur.

7 « *Pedes habent, et non ambulabunt.* » Ecce defectum motus. Sapient. xv, 15 : *Omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus nec oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed et pedes eorum pigri ad ambulandum.* Sapient. xiii, 19 : *Pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest.*

« *Non clamabunt.* » Hic ostendit, quod carent usu sensus animalium imperfectorum : omnia enim animalia vocem emittere possunt a gutture : quod non possunt etiam simulacra. Baruch, vi, 65 : *Neque regibus maledicent, neque benedicent.* Et arguit in eodem miram idololatrarum stultitiam. Ait enim, ibidem, ỷ. 40 : *Qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui.*

Prælati inscii et perversi ex duplici capite arguuntur : ex promotione et conversatione.

In his arguuntur Prælati inscii, et perversi, qui idola sunt et simulacra. Zach. xi, 17 : *O pastor, et idolum derelinquens gregem.* Primo, de mala adeptione prælationis, quia indigni sunt. Sunt enim aurum et argentum cupiditate et amore. Augustinus : « Si paleam sequeris, palea efficeris : ergo si aurum « et argentum sequeris, aurum et argen« tum efficeris. » Et talis non debet exaltari, sed corruere. Proverb. xi, 28 : *Qui confidit in divitiis suis, corruet.* Iterum, quia male introducti, non a Deo, sed ab advocatis, a carnalibus amicis, versutiis, et subtilitatibus quibusdam, quasi fabricati. Osee, viii, 4 : *Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt, et non cognovi.*

Secundo, de negligenti conversatione, et insufficienti. Primo, quia non docent. *Os habent, et non loquentur.* Jerem. x, 5 : *In similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur.* Secundo, quia ignorant. *Oculos habent*, interiores, *et non videbunt*, intelligentes veritatem. Isa. xxviii, 7 : *Sacerdos et propheta nescierunt.* Et, lvi, 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Tertio, quai doceri non sustinent ab aliis. *Aures*, inquit, *habent, et non audient.* Dicitur tamen illis, Sapient. vi, 2 : *Audite ergo, reges, et intelligite : discite, judices finium terræ.* Apocal. ii, 7 : *Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*, per Scripturas sacras. Quarto, quia non discernunt et judicant quid sit bonum, et quid malum, qui sint boni et qui mali. *Nares habent, et non odorabunt*, bonum a malo discernendo, sed totum confundunt. Isa. iii, 24 : *Erit pro suavi odore fœtor.* Quinto, quia per opus bonum non illuminant alios. *Manus habent, et non palpabunt.* Proverb. xxi, 25 : *Noluerunt quidquam manus ejus operari.* Et si aliquando os habeant, et loquantur, frequentius tamen carent usu manuum. Genes. xxvii, 22 : *Vox quidem, vox Jacob est : sed manus, manus sunt Esau.* Sexto, quia desideriis bonis ad æterna non currunt. Sapient. xv, 15 : *Pedes eorum pigri ad ambulandum.* Nec mirum, quia spinas multas habent in pedibus, id est, divitias. *Spinæ* divitiæ a Domino appellantur [1]. Septimo, quia non gemunt pro propriis et alienis peccatis, quod est *clamare in gutture*, quod suum esset tamen. Job, xxvi, 5 : *Ecce gigantes gemunt sub aquis.* Sed magis eructant sonantes in gutture propter crapulam. Psal. v, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum*, ad recipiendum carnes diversorum animalium mortuorum. Osee, viii, 1 : *In gutture tuo sit tuba quasi aquila super domum Domini*, supple, existens.

[1] Cf. Luc. viii, 14.

8 « *Similes illis fiant.* » Hic secundum, in quo imprecatur cultoribus, et factoribus idolorum. Et primo, factoribus. Secundo, cultoribus, ibi, « *Et omnes.* »

Dicit ergo : Sic vana sunt simulacra, et omnino inutilia, et propter hoc peto, quod « *similes illis fiant qui faciunt ea.* » Sapient. xiv, 8 et 9 : *Per manus quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud... Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas ejus :* si fuerint similes, nihil fient, quia, I ad Corinth. viii, 4 : *Nihil est idolum in mundo :* ergo ipsi nihil. Et hoc verum est, Isa. xliv, 9 : *Plastæ idoli omnes nihil sunt.*

« *Et omnes qui confidunt in eis,* » colentes ea tamquam deos. Sapient. xv, 6 : *Malorum amatores digni sunt qui spem habeant in talibus, et qui faciunt illos, et qui diligunt, et qui colunt.* Isa. xlii, 17 : *Confundantur confusione qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili : Vos dii nostri.* Eccli. xxvii, 3 : *Conteretur cum delinquente delictum.* Simulacra, sunt mali et negligentes Prælati. Ergo qui faciunt ea, id est, simulacra illa, fiant eis similes in pœna : sed de ipsis dicitur, Sapient. vi, 6 : *Judicium durissimum his qui præsunt, fiet.* Et in illis ergo, qui tales faciunt : imo qui ut fiant consentiunt, si resistere possunt. Ad Roman. ii, 32 : *Non solum qui talia agunt, sed qui facientibus consentiunt, digni sunt morte.*

9 Secunda pars Psalmi. « *Domus Israel.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua agit de generali conversione, a sanctis Patribus exspectata et prædicta, et complenda in fine mundi : et dicuntur tria in hac parte. Primum, Sanctorum exspectatio, quod in fine fiet conversio. Secundo, ipsa conversio, ibi, ℣. 12 : « *Dominus memor.* » Tertio, gratiarum actio pro conversione illa, ibi, ℣. 17 : « *Non mortui.* »

In prima duo. Majorum spes et exspectatio. Secundo, minorum, ibi, ℣. 11 : « *Qui timent.* »

In prima duo. Primo, exspectatio majorum, quantum ad principes vel sapientes. Secundo, quantum ad sacerdotes, vel ad sanctiores, ibi, ℣. 10 : « *Domus Aaron.* »

In prima duo. Primo, exspectatio. Secundo, conditio illorum qui exspectant interim, ibi, « *Adjutor.* »

Ait ergo : Sic sunt vana simulacra, sed « *domus Israel,* » videntium Deum, scilicet majores in sapientia Christianorum, « *speravit in Domino,* » quod adhuc convertet reliquias Israelitarum. Sophon. iii, 12 : *Sperabunt in nomine Domini reliquiæ Israel*[1].

« *Adjutor,* » in bonis agendis, « *et protector,* » in malis cavendis, « *eorum est.* » Adjutor etiam in convertendis reliquiis electorum, et protector ab insidiis reproborum. Eccli. ii, 11 et 12 : *Scitote quoniam nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est ?* Sed adjuvat, et protegit, et liberat, et salvat. Isa. xxxi, 5 : *Sicut aves volantes, sic proteget Dominus Deus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans.* Jerem. xiv, 8 : *Exspectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis.*

« *Domus Aaron.* « Hic secundum, 10 Spes sacerdotum. spes sacerdotum, vel sanctiorum : et divide sicut antecedentem versum, et lege sicut supra, et adde, quod ipsos sacerdotes et sanctiores in tota Ecclesia dicit sperare, quia et ipsi non adhuc apprehendunt in re, sicut nec alii, sed adhuc ambulant in spe. Ad Philip. iii, 13 et 14 : *Ego autem me non arbitror com-*

[1] Vulgata habet, Sophon. iii, 12 et 13 : *Derelinquam in medio tui pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem,* etc.

prehendisse :... ad destinatum persequor, etc. Hæc spes designabatur in tunica sacerdotis summi hyacinthina, quæ colorem habebat cœlestem [1]. In portione signata, qua carebant Levitæ. Josue, xiv, 4 : *Nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum, et suburbana earum ad alenda jumenta et pecora sua.* Urbes sunt virtutes : suburbana ad alenda pecora, sunt Scriptura sacra. Psal. xv, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei : tu es qui restitues* (non adhuc restituisti) *hæreditatem meam mihi.*

11 « *Qui timent Dominum.* » Hic secundum, scilicet spes, et exspectatio minorum : et divide versum sicut prius, et lege : et nota, quod optime jungitur timor cum spe : unum enim non debet esse sine altero. Deuter. xxiv, 6 : *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam.* Superior mola est spes, inferior vero timor. Eccle. ii, 9 : *Qui timetis Dominum, sperate in illum : et in oblectatione erit anima vestra.* Sic debent sperare omnes. Supra, in Psal. lxi, 9 : *Sperate in eo, omnis congregatio populi.* Tales Dominus oculo misericordiæ respicit, ab adversario illo protegit scuto potentiæ suæ, ad bene operandum virtutem infundit, et refrigerium ab ardore concupiscentiæ tribuit, precem exaudit, adjuvat si ceciderit, exaltat, illuminat, sanat, vivificat, et tandem æterna benedictione benedicit. Eccli. xxxiv, 19 et 20, tanguntur hæc omnia bona una auctoritate : *Oculi Domini super timentes eum,* ecce quod respicit : *protector potentiæ,* ecce quod protegit : *firmamentum virtutis,* ecce quod virtutes infundit : *tegimen ardoris, et umbraculum meridiani,* ecce quod refrigerium tribuit : *deprecatio offensionis,* id est, pro offensione, ecce quod exaudit : *adjutorium casus,* ecce quod adjuvat si ceciderit : *exaltans animam,* ecce quod plane exaltat : *et illuminans oculos,* ecce quod illuminat : *dans sanitatem,* ecce quod sanat : *et vitam,* ecce quod vivificat : *et benedictionem,* ecce quod in finali benedictione totum consummat.

Timor optime jungitur cum spe.

« *Dominus memor fuit.* » Hic secundum. Postquam enim egit de exspectatione conversionis, subjungitur hic de ipsa conversione. Duo ergo dicuntur. Primo, de conversione agitur. Secundo, de desiderio et affectione ad conversorum multiplicationem, ibi, ỳ. 14 : « *Adjiciat Dominus.* » 12

In prima duo. Primo, tangitur ipsa conversio. Secundo, ratio conversionis, et causa, ibi, « *Et benedixit nobis.* »

Dicit ergo : Sic speraverunt, et non sunt frustrati, quia « *Dominus memor fuit nostri,* » tandem convertendo : loquitur de futuro, tamquam de præsenti. Isa. xlix, 14 et 15 : *Et dixit Sion : Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. Numquid potest oblivisci mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.*

« *Et benedixit.* » Hic secundum, in quo tangitur causa et ratio conversionis. Primo, in generali. Secundo, in speciali quantum ad status diversos conversorum, ibi, « *Benedixit domui Israel.* »

Dicit ergo : Sic memor fuit, nos convertendo : « *et* » pro quia : quia « *benedixit nobis,* » gratiam infundendo. Ad Ephes. i, 3 : *Benedictus Deus, et pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Isa. xix, 24 et 25 : *In die illa erit... benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens : Benedictus populus meus Ægypti,* id est, populus qui prius erat in tenebris erroris et culpæ.

[1] Cf. Exod. xxviii, 31 et seq.

« *Benedixit domui Israel.* » Hic secundum, in quo specificat : et, sicut in exspectatione, primo tangitur gratiæ infusio majoribus. Secundo, minoribus, ibi, ℣. 13 : « *Benedixit omnibus.* »

In prima duo. Primo, gratiæ infusio positis in potentia, vel in alto sapientiæ. Secundo, positis in altitudine vitæ, ibi, « *Benedixit domui.* »

Dicit ergo : Dico, quod benedixit, gratiam infundendo : et vere, quia « *benedixit domui Israel,* » videntium scilicet Deum, et potentium, sicut Israel dicitur videns Deum, et potens fuisse. Genes. xxii, 18 : *Benedicentur in semine tuo,* Christo scilicet, *omnes gentes terræ.* Numer. vi, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel,* quando baptizabunt eos : *et ego benedicam eis.*

Hæc benedictio figurata fuit in illa, qua Israel ab Angelo benedictus fuit, Genes. xxxii, 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et, parum post, ℣. 29 : *Et benedixit ei in eodem loco.*

« *Benedixit domui Aaron,* » existentibus in sacerdotali dignitate, et vitæ sanctitate. Deuter. xxxiii, 11 : *Benedic, Domine, fortitudini ejus,* scilicet Levi, *et opera manuum illius suscipe.*

13 « *Benedixit omnibus.* » Hic secundum, in quo ostenditur infusio gratiæ minoribus. Et primo, quod minoribus universaliter infundit. Secundo, quod non illos a majoribus discreverit, ibi, « *Pusillis cum majoribus.* »

Dicit ergo : Sic benedixit, id est, gratiam majoribus infudit, et etiam, « *benedixit omnibus,* » non tantum aliquibus, *qui timent Dominum.* » Isti sunt minores, et quasi incipientes. Eccli. i, 16 : *Initium sapientiæ, timor Domini.* Et hos Dominus omnes acceptat. Act. x, 34 et 35, dicit : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Propter hoc dicitur, Eccli. xl, 28 : *Timor Domini, sicut paradisus benedictionis.*

« *Pusillis.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic benedixit omnibus timentibus, non discrevit, sed benedixit « *pusillis cum majoribus :* » quippe, Sapient. vi, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus.* Non timeant ergo pusilli, sed solummodo Deum timeant : et bene erit illis. Luc. xii, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Timentes enim et pusilli et magni sunt benedictum semen ad fructificandum. Isa. lxi, 9 : *Isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

« *Adjiciat Dominus.* » Hic secundum, in quo tangitur conversorum multiplicatio per modum optandi. Primo ergo optatio multiplicationis. Secundo, rationis per quam fieri debeat illa multiplicatio, ibi, ℣. 15 : « *Benedicti vos a Domino.* » 14

In prima duo. Primo, multiplicationis majorum optatio. Secundo, minorum, ibi, « *Et super filios vestros.* »

Ait ergo : Sic dixi, quod fiet conversio, et rogo, quod « *Dominus adjiciat super vos,* » o vos conversi majores, sicut in primitiva Ecclesia fiet. Act. ii, 47 : *Dominus augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum.* Optimum enim est cum multiplicantur boni Prælati, dum tamen augeatur charitas in illis. I ad Thessal. iii, 12 : *Dominus vos multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes.*

« *Et super filios vestros,* » adjiciat majorem numerum. Genes. xxx, 24 : *Addat mihi Dominus filium alterum.* Deuter. i, 11 : *Dominus Deus patrum nostrorum addat ad hunc populum multa millia, et benedicat vobis, sicut locutus est.* Hæc multiplicatio promissa fuit, Isa. xliv, 3 et 4 : *Effundam benedictionem meam super stirpem tuam. Et*

germinabunt inter herbas quasi salices, juxta præterfluentes aquas. Et præfigurata in illa promissione, Deuter. XXVIII, 11 : *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, et fructu jumentorum tuorum, et fructu terræ tuæ.*

15 « *Benedicti vos.* » Hic secundum, in quo optat Dei benedictionem, per quam fierit debeat illa augmentatio. Primo ergo optat Dei benedictionem, et gratiam ad augmentum. Secundo, benedicentis facit descriptionem, cum addit : « *Qui fecit cælum.* »

Dicit ergo : Sic petii, quod Dominus addat super numerum patrum, et filiorum, et ut hoc sit, « *vos,* » sitis utique scilicet, « *benedicti a Domino,* » per gratiæ suæ infusionem. Tob. XIII, 17 : *Omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum.* Zachar. VIII, 13 : *Salvabo vos* primo, *et eritis mihi benedictio.* Isa. LXV, 15 et 16 : *Servos suos vocabit nomine alio : in quo qui benedictus est super terram benedicetur in Deo amen.*

« *Qui fecit cælum.* » Hic est benedicentis descriptio. Primo, a potestate. Secundo, a sapientia et bonitate, ibi, ℣. 16 : « *Cælum cæli.* »

Dicit ergo : Sic benedicti sitis a Domino, non quocumque, sed ab illo, « *qui fecit cælum,* » omnem superiorem naturam, « *et terram,* » scilicet omnem inferiorem. Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cælum et terram.* Jerem. X, 12 : *Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit cælos.* « *Qui fecit cælum,* » majores de vobis, qui cælestes sunt, « *et terram,* » minores, aliis tamen nutrimentum dantes, quod solius potentiæ suæ est. Propter quod dicitur, Jerem. X, 11 : *Dii qui cælos et terram non fecerunt, pereant de terra.* Majores et contemplativi dicuntur *cælum,* quia in cælo versantur conversatione. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cælis est.* Minores et activi dicuntur *terra*, quia aliis fructificant, et ipsos portant. Psal. LXXXIV, 13 : *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Propter hoc in omni sensu dicitur, Apocal. XIV, 7 : *Timete Dominum, et adorate eum qui fecit cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.*

« *Cælum cæli Domino.* » Hic descri- 16
bit a sapientia simul, quia sic distinxit : et a bonitate, quia dedit hominibus, non reddidit.

Ait enim : Sic benedicti sitis ab illo, qui tantum potest, ut cælum et terram faceret distinguens, ut « *cælum cæli,* » supremum scilicet cælum, « *Domino,* » sibi scilicet retineret. Psal. LXVII, 34 : *Ascendit super cælum cæli, ad Orientem.* Deuter. X, 14 : *En Domini Dei tui cælum est, et cælum cæli,* etc. « *Cælum cæli,* » majorem quemcumque, qui proprie Domini est, quia in illo quiescit, et sedet. Isa. LXI, 1 : *Cælum sedes mea,* etc. Et ipsum docet, puritatem et claritatem suæ sapientiæ immediate infundendo, sicut ejus sapientia limpidius in cælis apparet. Tale cælum erat Paulus, ad Galat. I, 11 et 12 : *Notum vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Capit autem cælum tale de eo quod potest, sed totum non potest. III Reg. VIII, 27 : *Si cælum, et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?*

« *Terram autem.* » Quasi diceret : Sic cælum sibi retinuit : « *terram autem dedit filiis hominum,* » ad inhabitandum. Deuter. I, 8 : *En tradidi vobis terram Chananæorum, ingredimini, et possidete eam.* De utroque, Eccle. V, 1 : *Deus in cælo, et tu super terram.* « *Ter-*

ram autem, » materialem, et spiritualem, « *dedit filiis hominum,* » ad fructificandum in ea, et laborandum, quia, Proverb. xii, 11, dicitur : *Qui operatur terram, satiabitur panibus.*

17 « *Non mortui laudabunt te.* » Hic tertia pars secundæ partis totius hujus Psalmi. Postquam enim egit de conversionis exspectatione primo, et secundo de conversione exspectata, hic tertio agitur de gratiarum actione pro completa : et tanguntur duo. Primo, qui non sunt digni laudare. Secundo, qui sunt digni, et qualiter laudabunt, ibi, ℣. 18 : « *Sed nos qui vivimus.* »

In prima duo. Primo, excludit a laude in peccatis finaliter mortuos. Secundo, in inferno damnatos. Primum sequitur, et creatur, a secundo, ibi, « *Neque omnes.* »

Dicit ergo : Sic implebitur tandem, et recordante Domino, universalis conversio : sed, o « *Domine,* » pro hac conversione « *non laudabunt te mortui.* » In Psal. lxxxvii, 12, supra : *Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam,* ipsam laudando, et tibi confitendo ? Eccli. xvii, 26 : *A mortuo quasi nihil, perit confessio.* Mortuus autem est, qui est in peccato, dum tamen vult manere in illo : et hic laudare non potest, quia Eccli. xv, 9, dicitur : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Propter hoc dicitur in Psal. xxxiii, 22 : *Mors peccatorum pessima,* tota in miseria, non in laude. Mala in rerum temporalium amissione, quas dilexit : pejor in animæ a corpore separatione : sed pessima in utriusque perditione in infernum, et contritione ab igne et verme. Isa. lxvi, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.*

Qui mortui possint laudare Deum ? Sed sunt mortui qui possunt laudare. Primi, mortui peccato, de quibus Apostolus, ad Roman. vi, 11 : *Existimate vos mortuos quidem peccato.* Et mortui mundo, de quibus idem, ad Coloss. iii, 3 : *Mortui quidem estis mundo, et vita vestra abscondita est,* etc. Mortui cum Domino in tribulationibus et miseriis, Ad Ronan. vi, 8 : *Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo.* Mortui ad litteram pro Domino, sicut Martyres sancti, Psal. cxv, 15 : *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Ad Roman. viii, 36 : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Mortui in Domino, in fide scilicet Domini, Apocal. xiv, 12 : *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Act. vii, 59 : *Obdormivit in Domino.*

« *Neque omnes.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic mortui non laudabunt, « *neque omnes qui descendunt in infernum,* » laudare poterunt. Isa. xxxviii, 18 : *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* I Reg. ii, 9 : *Impii in tenebris conticescent.* Hic ergo confitere et lauda, quia, Eccle. ix, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

« *Sed nos qui vivimus.* » Hic secundum, in quo ostenditur qui possunt laudare, et modus quo laudabunt : et secundum hoc duo dicuntur. Primo, conditionem tangit laudantium. Secundo, laudis modum, quoniam æternaliter, ibi, « *Ex hoc nunc.* » 18

Ait enim : Sic nec mortui, nec damnati, poterunt confiteri confessione laudis, « *sed nos qui vivimus,* » ejus benedictione, « *benedicimus Domino,* » confessione laudis, cantantes illud Psal. cxlv, 2 : *Laudabo Dominum in vita mea.* Eccli. xvii, 27 : *Vivens et sanus confiteberis,* Domino scilicet. Isa. xxxviii, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi :* vivens vita naturæ, et vivens vita gratiæ. Sed quomodo ? Æternaliter.

« *Ex hoc nunc,* » in quo laudamus in præsenti, « *et usque in sæculum* » futurum. Isa. xxxviii, 20 : *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini :* et in præsenti Ecclesia, et etiam in cœlesti. Tob. xiii, 10 : *Benedicite Domino, omnes electi ejus : agite dies lætitiæ, et confitemini illi.* Et, xiv, 11 : *Mandate filiis vestris, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore.* Hic semiplene benedicunt Deum justi, sed ibi totaliter, et plene. Isa. li, 11 : *Venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum :* ut toti superfundantur lætitia sempiterna, ad quam nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXIV.

Gratiarum actio pro liberatione a periculis.

Alleluia.

1. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.
2. Quia inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocabo.
3. Circumdederunt me dolores mortis : et pericula inferni invenerunt me.
Tribulationem et dolorem inveni,
4. Et nomen Domini invocavi :
O Domine, libera animam meam.
5. Misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur.
6. Custodiens parvulos Dominus : humiliatus sum, et liberavit me.
7. Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi :
8. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.
9. Placebo Domino in regione vivorum.

IN PSALMUM CXIV

COMMENTARIUS.

« *Alleluia*[1]. »

« *Dilexi, quoniam exaudiet.* » Hic est Psalmus centesimus decimus quartus, in quo postquam egit de conversione Gentilium in psalmo centesimo decimo, et de conversione Judæorum in psalmo centesimo decimo tertio, agit de laude Dei pro unione conversorum in uno grege, ad quem ovem perditam propriis humeris pius pastor reportavit[2] : in una domo unius patrisfamilias, ad quam filium prodigum reduxit benignissime . Sed quia unio fidelium in Ecclesia est per charitatem,

Psalmus invitat ad laudem Dei ex unione membrorum Ecclesiæ per charitatem.

[1] Les psaumes CXIV et CXV de la Vulgate forment le psaume CXVI en hébreu. Tous les deux sont des chants d'actions de grâces à la suite d'un grand danger couru par le psalmiste, et conjuré par la puissance divine ; ils peuvent donc être indifféremment réunis ou séparés. Schegg plaide pour la distinction absolue ; ses raisons sont les suivantes : chacun des deux

fidem, et morum conformitatem, et hæc omnia in Christo, quatuor sunt Psalmi ad invicem consequentes. Primo enim invitat ad laudem propter unionem membrorum per charitatem et amorem, quod respicit ad affectum. Secundo, per fidem, quod respicit ad intellectum, ibi, Psal. cxv : *Credidi, propter quod.* Tertio, pro unione in exteriori cultu, et opere, in illo, ibi, Psal. cxvi : *Laudate Dominum,* quod respicit ad exteriorem affectum. Quarto, pro causa et ratione sic uniendi membra, scilicet angulari lapide Christo, in quarto Psalmo, cxvii scilicet, *Confitemini.*

Titulus autem præpositus huic Psalmo satis expositus est, scilicet « *Alleluia.* »

Duo ergo dicuntur in hoc Psalmo, in quo agit de unione membrorum Ecclesiæ in ipsa charitate. Primo enim dicit se habere dilectionem, loquens in persona totius Ecclesiæ. Secundo, subjungit dilectionis causam, ibi, « *Quoniam exaudiet Dominus,* » vel, « exaudivit, » secundum aliam litteram.

1 Prima pars Psalmi. Perfectæ dilectionis partes.

Dicit ergo in persona Ecclesiæ loquens : « *Dilexi,* » dilectionem ad Deum, et proximum habui, non fictam, sicut monet Paulus, ad Roman. ii, 9 : *Dilectio sine simulatione.* Non adulatoriam, quia Joannes dicit, in I Canon. iii, 18 : *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Non vanam, qua diliguntur vana, quia David dicit, Psal. iv, 3 : *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem ?* Nonnumquam enim diliguntur peccata, et occiditur anima : de quo, in Psal. x, 6 : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Sed magnam, imo maximam, Matth. xxiii, 37 : *Hoc est primum et maximum mandatum : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ferventem, ad Roman. xii, 11 : *Spiritu ferventes : Domino servientes.* Ezech. i, 12 : *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur cum ambularent.* Anxiam et urgentem, II ad Corinth. v, 14 : *Charitas Christi urget nos.* Languorem inducentem, Cantic. v, 8 : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Imo, occidentem, Cantic. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Bernardus : « Mirabilis amor, quia non excidit, sed occidit. » Vivificantem, I Joan. iii, 14 : *Qui non diligit, manet in morte.* Ergo qui diligit, in vita. Omnia breviter adimplentem, Ad Roman. xiii, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.*

« *Quoniam exaudiet Dominus.* » Hic secundum, ratio et motivum ad dile-

morceaux à son thème traité avec une parfaite indépendance, chacun a son début et sa conclusion ; le premier ne suppose pas la captivité, le second y fait allusion, ỳ. 16 ; les chaldaïsmes signalés dans le psaume ne sont que dans la seconde partie. Ces raisons ne sont pas péremptoires, car il ne manque pas de psaumes où l'on pourrait, si l'on voulait, trouver plusieurs conclusions, et où certaines particularités ne se rencontrent que dans une première ou une seconde partie. Dans les versions, la numération des versets se continue à travers les deux psaumes : beaucoup de Pères voient dans le mot *credidi* un acte de foi à ce que dit le ỳ. 9, et la plupart des modernes admettent l'unité telle que le suppose le texte hébreu. Nous pouvons donc suivre leur avis.

La tradition juive, sans raison bien sérieuse, attribuait le psaume à l'époque d'Ezéchias ; la couleur araméenne de quelques expressions porte plutôt à croire qu'il est postérieur à la captivité.

« Est iste psalmus fidelium consolatio contra « dolores sæculi. » Cassiod. L'Eglise a inséré le *Dilexi* dans les Vêpres des morts, à cause du ỳ. 9. Cf. Constit. Apost. vi, 30, S. J. Chrys., Hom. iv in Hebr. ii ; et le *Credidi* dans l'Office du Saint Sacrement, à cause des ỳỳ. 12, 13, 14, etc.

H. Lesêtre.

[2] Cf. Luc. xv, 4 et seq.
[3] Ibid. xv, 11 et seq.

ctionem : et tangitur duplex. Primo, liberatio a malis præsentis vitæ et miseriæ. Secundo, certa exspectatio quietis futuræ et gloriæ, ibi, « *Convertere, anima mea.* »

In prima duo. Primo, exprimit certam spem, quam habet de liberatione cum orabit. Secundo, ostendit magnitudinem tribulationis, qua compulsus orabit, ibi, ỷ. 3 : « *Circumdederunt.* »

In prima duo. Primo, asserit se certum quod exaudietur. Secundo, unde hoc præsumit, ibi, ỷ. 2 : « *Quia inclinavit.* »

Dicit ergo : Sic dilexi, quod dilexi : et ad hoc movit me, « *quoniam exaudiet Dominus,* » sicut certitudinaliter spero, « *vocem orationis meæ.* » Eccli. III, 4 : *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis, et in oratione dierum exaudietur.*

2 « *Quia inclinavit.* » Hic ostendit, unde præsumit exaudiri : et tangit duplicem rationem : unam a parte Dei, alteram a parte sui, ibi, « *Et in diebus meis.* »

Ait enim : Sic dico, quod propter hoc dilexi, quia exaudiet. Sed unde hoc scis? « *Quia inclinavit aurem suam mihi.* » Bona præsumptio quod exauditurus sit, qui aurem humiliter inclinaverit. Propter hoc petii supra, in Psal. XVI, 6 : *Inclina aurem tuam.* Et, Ezechias, IV Reg. XVI, 6 : *Inclina aurem tuam, et audi.* Auris enim Dei Patris est Filius : sicut enim per aurem vox venit ad animam, sic per Filium oratio ad Patrem : unde omnes orationes fere terminamus, « Per Dominum, etc. » Sed hanc aurem inclinavit, quando Filium incarnari voluit, imo pati. Hæc ergo auris inclinatio est impetrandi certa præsumptio. Ad Roman. VIII, 32 : *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

« *Et in diebus.* » Ecce ratio ex parte sui : parum enim valet Dominum aurem inclinasse, si hic sileret. Propter hoc addit, « *Et in diebus meis,* » meæ scilicet tribulationis, « *invocabo,* » intus vocabo, ponens os in ore. Joel, II, 32 : *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Modo dies sunt invocandi Deum, II ad Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis,* in quibus auris Dei est inclinata. Et, ibidem : *Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.*

« *Circumdederunt me.* » Hic secundum. Ostensa enim certa spe de liberatione, ostenditur necessitas clamandi ex tribulationum magnitudine, et clamor ipse : et tanguntur tria. Primo, tribulationes, et miseriæ. Secundo, clamor ad Deum, et deprecatio, ibi, ỷ. 4 : « *Et nomen Domini.* » Tertio, exauditio, ibi, in fine ỷ. 6 : « *Et liberavit me.* » 3

In prima duo. Primo, tangitur afflictio a Deo pro peccatis inflicta. Secundo, ab hominibus illata, ibi, « *Tribulationem.* »

Primam tangit duplicem : temporalem, in qua est in re : et æternam, in qua in exspectatione si non exaudiat, ibi, « *Et pericula.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod certus sum quod exaudiet clamantem, et necesse habeo, quia « *circumdederunt me,* » undique stipando, « *dolores mortis,* » peccata, quæ sunt dolorum causa, et mortis. Supra, in Psal. XXXIX, 13 : *Circumdederunt me mala,* tamquam funes quidam. Proverb. V, 22 : *Funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.* Sunt funes doloris, et mortis, quia horum causa. Sapient. I, 13 et 16 : *Deus mortem non fecit,... impii autem manibus et verbis accersierunt illam.* Circumdant autem, ante dolorem præbendo pro apertis peccatis, Psal. L, 5 : *Peccatum meum contra me est semper.* A posteriori, pro occultis, Psal. XIII, 18 : *Ab occultis meis munda me,* Domine. A dextris, pro creatis, ex

prosperitate, Proverb. I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos.* A sinistris, pro creatis ex adversitate, Psal. LXXXVIII, 45 : *Destruxisti eum ab emundatione.* Job, III, 23 : *Circumdedit eum Deus tenebris.*

« *Et pericula inferni.* » Quasi diceret : Sic miseriis temporalibus circumdatus sum : « *et* » etiam, « *pericula inferni,* » id est, peccata ad infernum trahentia, « *invenerunt me.* » Proverb. v, 5 : *Pedes ejus,* peccatricis animæ, *descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.* Et valde cito, unde majus periculum. Job, XXI, 13 : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.*

Tribulatio illis est salutaris.

« *Tribulationem et dolorem.* » Ecce secundum, in quo subjungit de pœna ab hominibus illata. Quasi diceret : Sic invenerunt me mala illa, pro peccatis a Deo inflicta, et post « *tribulationem,* » quam mali inferunt, « *et dolorem,* » intrinsecus ex tribulatione surgentem, « *inveni,* » aperte cognovi, et intellexi. Thren. III, 1 : *Ego vir videns paupertatem meam.* Inveni autem ipsam esse utilem, et salutarem, quia oculos cordis mei illuminantem. Eccli. XXIV, 37 : *Mittit disciplinam sicut lucem* gaudium infundentem ipsi affectui. Ad Hebr. XXII, 11 : *Omnis quidem disciplina non videtur in præsenti esse gaudii, sed mœroris,* cum inest, *postea autem fructum pacatissimum affert exercitatis per eam.* Et tandem æterna præmia conferentem. II ad Corinth. IV, 17 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Vel, de iisdem miseriis loquitur, de quibus supra. Quasi diceret : Sic circumdederunt me peccata, et miseriæ, et obligatio ad gehennam, me nesciente : sed post, te illuminante, in me inveni tribulationem illam, et dolorem. Isa. IX, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

« *Et nomen Domini.* » Hic supplicatio : et tangitur primo oratio. Secundo, modus liberandi, ibi, « *O Domine, libera animam meam.* » 4

Dicit ergo : Sic fui in tribulatione : « *et,* » ut hæc vidi, et cognovi, sic « *nomen Domini,* » potentiam et pietatem, « *invocavi.* » intus in corde vocavi. Isa. XXVI, 16 : *Domine, in angustia requisierunt te.* Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Jonæ, II, 3 : *De ventre inferi clamavi,* scilicet ad Dominum, etc.

« *O Domine, libera.* » Hic secundum, modus scilicet invocandi. Primo, quod voce se humiliavit. Secundo, quod opere, ibi, in medio ℣. 6 : « *Humiliatus sum.* »

In prima duo secundum duplicem modum humiliandi se. Primo, liberationem petendo, in quo innuit se servum et miserum. Secundo, Dei bonitatem confitendo, ibi, ℣. 6 : « *Misericors Dominus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod invocavi, dicens, « *O Domine, libera,* » a miseria, « *animam meam,* » quam eo ipso confitebor esse miseram, quo hæc dico. Sub hac miseria gemebat illa anima quæ dicebat, ad Roman. VII, 24 : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Et, Eccli. IV, 9 : *Libera eum qui injuriam patitur,* hominem scilicet, *de manu superbi,* scilicet diaboli : quod et promisisti, Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos.*

« *Misericors Dominus.* » Hic secundum, in quo confitetur Dei bonitatem. Bonitas autem consistit in duodus : in misericordia, quam tangit primo : et justitia, quam secundo, ibi, « *Et justus.* » Tertio, probat primum, ipsum scilicet misericordem esse, ibi, « *Et Deus noster.* » Quarto, secundum, scilicet justum, ibi, ℣. 6 : « *Custodiens.* » 5

Dicit ergo : Sic dixi : Libera animam, et adjeci : « *Misericors Dominus,* » et

hoc debes facere. Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est.* Exod. XXII, 27 : Pauper..., *si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.* Et tamen justus, ne misericordia remissio debeatur. Supra, in Psal. x, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Et, infra, in alio Psalmo, CXLIV, 17 : *Justus Dominus in omnibus viis suis.*

« *Et Deus noster.* » Ecce primi probatio. Quasi diceret : Dixi, quod misericors est, et verum dixi : quia « *et Deus noster miseretur,* » in actu : non tantum misericors est in habitu. Isa. XIV, 1 : *Miserebitur Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel,* etc., etiamsi Dominus offensus videatur. Habacuc, III, 2 ; *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

6 Parvuli Deo dilecti. « *Custodiens parvulos.* » Hic probat secundum. Quasi diceret : Sic apparet, quod misericors, quia miseretur : et quod justus, quia « *Dominus* » est « *custodiens parvulos,* » sicut bonus præpositus, bonus pastor : parvulos enim ad se advocat, Marc. x, 14 : *Sinite parvulos venire ad me.* Et amplexatur, Matth. XVIII, 2 : *Et complexans* [1] *Jesus parvulum, statuit in medio eorum.* In exemplum ponit, Matth. XVIII, 3 : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Consolatur, Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri meo dare vobis regnum.* Instruit, Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et tuetur eos, et custodit, sicut hic dicitur. Sapient. x, 12 : *Custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum.*

« *Humiliatus sum,* » facto : et propter hoc, « *liberavit me :* » quippe, Eccli. XXXV, 21, dicitur : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Deuter. XXVI, 7 : *Respexit humilitatem nostram, et laborem, et angustias, et eduxit nos in manu forti.*

7 Secunda pars Psalmi. « *Convertere, anima mea.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua ponit pro causa laudis certam spem quietis æternæ et gloriæ : et dicuntur duo secundum duo quæ tangit, in quibus tota gloria consistit. In quiete perfecta ab omni culpa et pœna, et hanc tangit primo. In debita decentia et reformatione, ita ut oculis divinis placeat, ibi, ℣. 9 : « *Placebo Domino.* »

In prima, primo exhortando tamquam certa spe firmus movet animam ad quietis æternæ desiderium. Secundo, ostendit unde tanta spes habet ortum, ibi, « *Quia Dominus.* »

Dicit ergo : Sic dilexi, quoniam bona antecedentia mihi fecit : et etiam, o « *anima mea,* » hortor, « *convertere,* » affectione et desiderio, « *in requiem tuam,* » ad quam te invitat Apostolus, ad Hebr. IV, 11 : *Festinemus ingredi in illam requiem.* Imo ipse Christus, Matth. XI, 29 : *Tollite jugum meum super vos... : et invenietis requiem animabus vestris,* non in præsenti mundo. Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis,* etc. Propter hoc monet Michæas, II, 10 : *Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem.* Augustinus : « Cor meum, Domine, inquietum est, donec requiescat « in te [2]. » Jerem. XXXI, 2 : *Vadet ad requiem suam Israel.* Vel, convertere, id est, converteris : et hoc prædictio.

« *Quia Dominus.* » Hic ostendit unde ceperit tantam spem, ex beneficiis scilicet jam acceptis : et tangit pro causa accepta beneficia, primo in generali. Secundo, in speciali, ibi, ℣. 8 : « *Quia eripuit.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod convertaris, vel certe quoniam converteris : nec mirum, « *quia Dominus benefecit tibi.* » Non viribus tuis hoc poteris, sicut nec alia : sed beneficio sui verum est. Zachar. VIII, 15 : *Sic conversus cogitavi, in diebus*

[1] Vulg. habet, *Et advocans Jesus*, etc.

[2] S. Augustinus, Lib. I Confessionum, cap. 1.

istis, ut benefaciam domui Juda et Jerusalem. Ezech. xx, 44 : *Scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum.*

8 « *Quia eripuit.* » Hic specificat beneficia recepta tria. Primum est liberatio a culpa. Secundum, a pœna debita pro illa, ibi, « *Oculos meos.* » Tertium a recidivo et ruina, ibi, « *Pedes meos a lapsu.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod benefecit tibi : « *quia eripuit animam meam de morte,* » scilicet de culpa. II ad Corinth. I, 10 : *De tantis periculis nos eripuit, et eruit,* maxime de morte pœnæ æternæ. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* In eodem, ibidem : *Ero mors tua, o mors.*

« *Oculos meos a lacrymis,* » non devotionis et fervoris pro desiderio æternorum, sed compunctionis et timoris pro reatu et pœna. Jerem. XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia merces est operi tuo.* Isa. XXVI, 8 : *Auferet Dominus omnem lacrymam ab omni facie,* etc.

« *Pedes meos,* » affectus scilicet, « *a lapsu,* » recidivi. Psal. XXV, 12 : *Pes meus stetit in directo.* Et alibi, Psal. XXXIX, 3 : *Et statuit super petram pedes meos.* Proverb. III, 23 : *Ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget.* Hæc est autem suavissima et saluberrima requies nunc in præsenti, scilicet conscientia munda, secura, et quieta. Est animæ culcitra, conscientiæ puritas : opertorium, securitas : cervical, tranquillitas : et etiam via mundissima et recta ad veniendum ad requiem prædictam.

« *Placebo Domino.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic, anima mea, converteris in requiem tuam, quod spero per dicta : sed numquid ibi tantum requies? imo « *placebo Domino,* » gloriose reformatus, qui modo displiceo turpiter deformatus : et hoc « *in regione vivorum.* » 9
Jerem. XVIII, 4 : *Fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus ut faceret.* Esther, II, 9 : *Quæ,* scilicet Esther, *placuit ei.* Sed non placent adhuc ambulantes in carne. Ad Roman. VIII, 8 : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt :* donec sit reparata, et *corruptibile hoc induerit incorruptionem* [1], quod fiet, « *in regione vivorum,* » in vita scilicet æterna, in paradiso. In inferno enim regio est mortuorum : in hoc mundo, regio morientium : sed ibi est regio vivorum, ad quam nos perducat, et sibi placere faciat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXV.

Gratiarum actio pro liberatione a periculis.

Alleluia.

10. Credidi, propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum nimis [2].

11. Ego dixi in excessu meo : Omnis homo mendax [3].

12. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

[1] I ad Corinth. xv. 53.
[2] II ad Corinth. IV, 13.
[3] Ad Roman. III, 4.

13. Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.
14. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.
15. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.
16. O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.
Dirupisti vincula mea :
17. Tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.
18. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus :
19. In atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

IN PSALMUM CXV

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [1]. »

Psalmus hortatur ad laudem Dei ex invictorum martyrum fide et constantia.

« *Credidi, propter quod locutus sum.* » Hic est Psalmus centesimus decimus quintus in toto libro, in tertia parte decimus quintus. Postquam enim egit de fidelium unitate in charitate in Psalmo præcedenti, hic subjungit de fide, et unione in constantia fidei. Sed quia et fides, et unio in illa, et constantia totum est a Deo, Deus inde laudandus est : et propter hoc præponitur titulus : « *Alleluia.* »

Psalmus autem dividitur in duas partes. Primo, agitur de constantia sanctorum et unione in fide vera. *Sancti enim per fidem vicerunt regna* [2]. Secundo, de gratiarum actione pro unione et constantia, quia omnia a Deo sunt data, ibi, ỳ. 16 : « *O Domine, quia ego servus tuus.* »

In prima tria. Primo, loquens in persona sanctorum in fide unitorum Ecclesiæ, et constantium, fatetur se corde credere : sed quia *ex abundantia cordis os loquitur* [3], et, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [4]. Secundo fatetur confessum esse fidem ore, ibi, « *Propter quod locutus sum.* » Tertio, propter confessionem multa sustinuisse, ibi, « *Ego autem humiliatus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod dilexi propter beneficia prædicta, et etiam « *credidi,* » fidem qua crederem in corde habui, et aliis per hanc unitus fui : fidem, inquam, formatam per dilectionem operantem. Ad Galat. xv, 6 : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* 10

Prima pars Psalmi.

« *Propter quod.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic credidi, « *propter quod locutus sum,* » ore confitendo quod tenebam corde. Luc. ix, 26 : *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.* Matth. xii, 8 : *Quicumque confessus fuerit me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Servus piger servabat fidem in terra cordis tamquam pretiosum domini sui talentum, et damnatus est, quia per prædicationem illud non exposuit [5].

« *Ego autem.* » Hic tangitur tertium, scilicet illud in quo confitetur se susti-

[1] Ce psaume, dit M. Lesêtre, n'est que la continuation du précédent.
[2] Ad Hebr. xi, 33.
[3] Matth. xii, 34.
[4] Ad Roman. x, 10.
[5] Cf. Matth. xxv, 26.

nuisse mala propter fidei confessionem, et majora adhuc velle sustinere : et secundum hoc duo dicuntur. Primo, quod jam mala sustinuit. Secundo, quod ad majora promptus sit, ibi, ỳ. 12 : « *Quid retribuam ?* »

In prima duo. Primo, quod tribulationem sustinuit. Secundo, quod non ex se, sed ex Deo dante, ibi, ỳ. 11 : « *Ego dixi.* »

Dicit ergo : Sic credidi, et locutus sum : « *ego autem* » propter prædictam confessionem, « *humiliatus sum,* » vilificatus et afflictus, « *nimis :* » vehementiam notat. Judicum, VI, 1 et seq., humiliatus est valde Israel in conspectu Madian. Psal. CXVIII, 107 : *Humiliatus sum usquequaque, Domine.* Sic enim promisit suis Dominus, Matth. X, 17 : *Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos.* Sed, Job, XXII, 29 : dicitur : *Qui humiliatus fuerit,* propter fidei veritatem et constantiam, *erit in gloria.*

11 « *Ego dixi.* » Hic secundum : postquam enim se humiliatum dixit, ostendit se hoc potuisse ex Deo, non ex se.

Ait enim : Sic propter fidem humiliari sustinui, nec ex hoc superbivi. Quia, « *ego dixi in excessu meo,* » id est, in contemplatione æternorum, in qua est excessus naturæ corruptæ per peccatum : « *Omnis homo,* » quantum est de se, « *mendax,* » falsitas est et vanitas. De hoc excessu, in Psal. LXVII, 28 : *Ibi Benjamin adolescentulus, in mentis excessu.* Et est excessus tribulationis et passionis, de quo, Luc. IX, 31 : *Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* In utroque se invenit homo vanum et mendacem. Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax,* ex se. Propter hoc dicitur alibi, in Psal. XXX, 23 : *Ego autem dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.*

« *Quid retribuam Domino.* » Hic secundum, in quo postquam ostendit, quid pro fide passus fuerit, ostendit quod ad majora etiam promptus sit : in quo dicuntur tria, secundum tria per quæ ostendit se promptum. Primo, ex diligenti inquisitione quid ei retribuendum, qui tot bona contulit. Secundo, ex voluntaria præparatione sui ad mortem, ibi, ỳ. 13 : *Calicem salutaris.* » Tertio, ex desideratæ mortis aperta sustentatione, ibi, ỳ. 14 : « *Vota mea.* » 12

Dicit ergo : Sic propter fidem locutus sum, et vehementer humiliatus : sed hoc nihil, imo, « *quid retribuam Domino,* » non pro uno tantum beneficio, sed « *pro omnibus* » bonis, « *quæ retribuit,* » tribuit scilicet, et iterum tribuit, « *mihi ?* » Simile, Tob. XII, 1 et seq. : *Quid possumus dare viro isti sancto ?... quam mercedem dabimus ei?... aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus ?... Uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit :... meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, et bonis omnibus per eum repleti sumus.* Mich. VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso ?* Nihil vere fidelis invenit, quod sufficiens sit. Job, IX, 3 : *Si voluerit homo contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Ipse enim Filius Dei est ipsa sapientia, de qua, Sapient. VII, 11 : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Ad Roman. VIII, 32 : *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit ?*

« *Calicem salutaris.* » Hic secundum, in quo ostendit se promptum ex voluntaria præparatione sui ad mortem : in quo dicuntur duo. Primo, præparatio sui ad mortem pro Deo. Secundo, modus præparandi se, ibi, « *Et nomen.* » 13

Dicit ergo : Sic quæsivi quid retribuere potero : sed certe, « *calicem salutaris,* » id est, calicem ad salutem ducentem, mortem scilicet, « *accipiam,* »

in desiderio et amore. Calix enim ab ipso Domino appellatur, Matth. XXVI, 39 : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Sed, « *salutaris :* » unde ipse dicebat instante mortis hora, Joan. XII, 27 : *Pater, salvifica me hac hora.* Jerem. XXX, 7 : *Tempus tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur.* Propter hoc consanguineos ad hunc calicem invitabat, Matth. XX, 22 : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?*

« *Et nomen Domini.* » Ecce secundum Quasi diceret : Sic accipiam calicem ad mortem me præparando, sicut qui accipit calicem ad bibendum se præparat. « *Et,* » quia hoc non est meum, ut bibam per meipsum, « *nomen Domini invocabo,* » quod virtuosum est. Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Act. IV, 12 : *Non est in alio aliquo salus : nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* calicem scilicet salubrem sustineri. I Machab. III, 19 : *De cælo fortitudo est,* ad sustinendam pro justitia mortem. Eccli. LI, 14 : *Invocavi Dominum, patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, et in tempore superborum, sine adjutorio.*

14 « *Vota mea.* » Hic tertium, in quo ostendit se paratum ad majora, ex desideratæ mortis aperta sustentatione : et dicuntur duo. Primo, mortis aperta sustentatio. Secundo, ratio quare velit eam in aperto sustinere, ibi, ℣. 15 : « *Pretiosa in conspectu.* »

Dicit ergo : Sic accipiam calicem ad mortem me præparando, et tandem « *reddam vota mea,* » desideria scilicet mortis, « *coram omni populo ejus,* » in aperto, et in communi. Ad Philip. I, 23 : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Act. XXI, 13 : *Ego non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu* : non solum pro ipso, sed pro proximo. I Joan. III, 16 : *Quoniam ille, animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus aninas ponere.* »

« *Pretiosa in conspectu.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic reddam vota 15
mea, mortem scilicet in desiderio habitam. Isa. XIX, 21 : *Vota vobebunt Domino, et solvent* : quia « *mors sanctorum ejus,* » quam pro nomine, et fide ejus sustinent, « *est pretiosa in conspectu Domini.* » Primo, quia est æternæ claritatis, Job, XI, 17 : *Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam : et cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.* Acquisitio perpetuæ quietis, Apocal. XIV, 13 : *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo enim jam dicit,* etc. Possessio perpetuæ securitatis, Job, XI, 18 et 19 : *Et defossus securus dormies. Requiesces, et non erit qui te exterreat.* Ingressus adundantiæ, et suavitatis, vel satietatis, Job, V, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum* Hostia veræ placationis, secundum illud Apostoli, ad Roman. XII, 1 : *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Evasio æternæ damnationis, et mortis, Apocal. II, 11 : *Qui vicerit, non lædetur a morte secunda.* Nullus autem melius vincit, quam qui pro Christo mortem sustinet. Propter hoc dicitur, Deuter. XXXIII, 18 : *Lætare, Zabulon.* Zabulon *cervus emissus,* scilicet anima omnia transiliens, pro Christo comtemnens, in exitu tuo.

Cur mors sanctorum dicitur pretiosa?

« *O Domine, quia ego servus.* » Hic 16
secunda pars totius hujus Psalmi, in qua subjungit pro tantis beneficiis sibi datis, gratiarum actionem : et dicuntur tria. Primo, describit statum proprium, ut ostendat se posse gratias agere. Secundo, promittit se gratias redditurum ibi,

Secunda pars Psalmi.

ỳ. 17 : « *Tibi sacrificabo.* » Tertio, ostendit modum quo reddet gratias, ibi, in medio ỳ. 18 : « *In conspectu omnis populi.*

In prima duo. Primo, ostendit conditionem et statum : secundo, comparatione ad recreatorem, ibi, « *Ego servus.* »

Ait enim : Sic sustinui pro fide, et paratus sum majora sustinere : ergo, « *O Domine, quia ego servus tuus,* » jure creationis. Isa. XLIX, 3 : *Servus meus es tu, Israel.* « *Ego servus tuus,* » jure recreationis. Ad Roman. VI, 22 : *Nunc liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Tunc enim pretio me eruisti. I ad Corinth. VI, 20 : *Empti enim estis pretio magno,* etc.

« *Et filius ancillæ tuæ,* » Ecclesiæ, quæ est fidelium congregatio. Sapient. IX, 4 et 5 : *Noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ.* Humilitas magna : non audet se vocare filium suum, sed ancillæ filium se nominat. Luc. XV, 19 : *Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.*

Vincula peccatorum variis modis solvuntur.

« *Dirupisti vincula.* » Hic tertio describit statum, quantum ad seipsum : quia solutus per gratiam Dei a vinculis peccatorum.

Ait enim : Sic vota reddam, quia servus, et quia filius ancillæ, et etiam, quia « « *dirupisti,* » beneficio gratiæ tuæ, « *vincula mea,* » peccata, quibus quasi quibusdam vinculis astringebar. Proverb. V, 22 : *Funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.* Sapient. X, 14 : *Et in vinculis non dereliquit illum.* In Psal. CVI, 14, supra : *Et vincula eorum disrupit.* Jerem. XXX, 8 : *Conteram jugum ejus,* diaboli scilicet, *de collo tuo, et vincula ejus disrumpam.* Hæc autem vincula disrumpuntur per confessionem, quantumcumque dura, et fortia. Isa. LVIII, 6 : *Dissolve,* confitendo peccata, *colligationes impietatis.* Item, per injuriarum dimissionem : qui enim alium absolvit ab injuria illata, ipse se solvit, Matth. VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra.* Et, Isa. LII, 2 : *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion.* Per clavium potestatem, Matth. XXI, 2 : *Invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite, et adducite mihi.* Matth. XVI, 19 : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Per aliorum orationem. Hoc significatum fuit, Act. XII, 7 et seq., per solutionem vinculorum Petri cum *fieret oratio sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Et potissime, et valde velociter, per septem donorum Spiritus possessionem. Judic, XVI, 6 et seq., Samson quamdiu habuit septem crines, tamdiu omnia vincula disrupit, tamquam essent de stuppa.

« *Tibi sacrificabo.* » Hic secundum, 17
in quo postquam tetigit statum suum, tamquam rationem quare gratias agere velit, subjungit promissionem de gratiarum actione. Primo, laudis. Secundo, operis, ibi, ỳ. 18 : *Vota mea.* »

In prima duo. Primo, quod laudabit. Secundo, quod hoc ipsum a Deo habebit, ibi, « *Et nomen Domini.* »

Dicit ergo : Sic servus sum, et ancillæ filius, et a peccatorum vinculis solutus, et propter hoc « *tibi sacrificabo hostiam laudis,* » id est, laudem oris, tamquam hostiam. In Psal, XLIX, 23, supra : *Sacrificium laudis honorificabit me.* Ad Hebr. XIII, 15 : *Offeramus hostiam laudis semper Deo.* Hoc est offerre vitulum labiorum. Osee, XIV, 3 : *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum.*

« *Et nomen Domini.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic sacrificabo, « *et,* » quia per me nihil possem, « *nomen Domini invocabo.* » Idem supra parum. Tob. XIII, 15 : *Nomen magnum,* dicitur Ecclesiæ, *invocabunt in te.* Deu-

ter. xxxii, 3 : *Nomen Domini invocabo : date magnificentiam Deo nostro.*

18 « *Vota mea Domino.* » Hic secundum, scilicet gratiarum actio in opere.

Ait enim : Sic sacrificabo hostiam laudis, et « *reddam vota mea,* » id est, meipsum, « *Domino.* » Deuter. xxiii, 21 : *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* Eccle. v, 3 et 4 : *Quodcumque voveris,* Domino scilicet, *redde. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.*

« *In conspectu omnis.* » Hic tertium totius hujus partis, scilicet illa pars in qua addit de modo referendi gratias, qui tangitur duplex. Primo, quod evidenter ut pluribus possit proficere. Secundo, quod fideliter, ibi, ℣. 19 : « *In atriis domus Domini.* » Tertio, quod benigniter sine turbatione aliorum, ibi, « *In medio tui.* »

« Dicit ergo : Sic dabo sacrificium laudis, et meipsum, et hoc « *in conspectu omnis populi ejus,* » ut omnes ædificem, ad hoc ipsum excitem. Eccli. vii, 35 et 37 : *Sacrificium sanctificationis offeres Domino... in conspectu omnis viventis.* Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona :* quia, ibidem, ℣. 15 : *Neque ascendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*[1].

Et hoc, 19

« *In atriis domus Domini,* » id est, Ecclesiæ, non extra domum, quia nihil valeret aliter, nisi essem in domo per fidem. Ad Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Psal. cxxi, 2 : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.*

Et hoc, « *in medio tui, Jerusalem,* » hoc est, pacifice et benigniter. Jerusalem enim *visio pacis* interpretatur : in tali enim loco, in quo est fides, et pax, sibi vult sacrificari. Deuter. xii, 13 et 14 : *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus :* ut per hoc quod offeres in hac materiali Jerusalem, venias consequenter ad illam quæ sursum est, quæ est mater nostra[2], ad quam nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXVI.

Ad laudandum Deum provocatio.

Alleluia.

1\. **Laudate Dominum, omnes gentes : laudate eum, omnes populi**[3] **:**

2\. **Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet æternum**[4]**.**

[1] Cf. Marc. iv, 21 ; Luc. viii, 16, et xi, 33.
[2] Ad Galat. iv, 26 : *Illa quæ sursum est Jerusalem, libera est : quæ est mater nostra.*
[3] Ad Roman. xv, 11.
[4] Joan. xii, 34.

IN PSALMUM CXVI

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [1]. »

Argumentum Psalmi, quod creator debeat toto orbe laudari, ex confirmatione fidelium in fide et charitate.

« *Laudate Dominum, omnes gentes.* » Hic est Psalmus centesimus decimus sextus in toto libro, in tertia vero parte libri decimus sextus : in quo invitat ad laudem post confirmationem Ecclesiæ in fide et charitate, in qua sunt unita ejus membra. Et proponitur titulus usitatus, et satis apertus, « *Alleluia.* »

Psalmus autem dividitur in duas partes. Primo, ponitur invitatio ad Dei laudem. Secundo, ratio quare laudandus sit Deus, ibi, ỳ. 2 : « *Quoniam confirmata est.*

In prima duo. Primo, invitatio Gentium. Secundo, Judæorum, ibi, « *Laudate eum, omnes populi.* »

1 Prima pars Psalmi.

Ait enim : O vos, « *omnes gentes,* » ut nulla gens omnino excipiatur, « *laudate Dominum,* » ad quem fluxistis, a quo receptæ estis. Isa. II, 2 : *Fluent ad eum omnes Gentes.* Jerem. XVI, 19 : *Ad te Gentes venient ab extremis terræ.* Et multum honorate eum. Ad Roman. XV, 9 : *Dico... gentes super misericordia honorare Deum.* Ab ipso etiam illuminatæ et instructæ. Psal. XCVII, 2 : *In conspectu Gentium revelavit justitiam suam,* et de se genitam, ipsum Filium. II ad Corinth. I, 30 : *Qui factus est a Deo Patre nobis justitia,* etc. Et *omnes* dicit, quia nullas exclusit. Act. X, 35 : *In omni gente qui timet eum,* scilicet Deum, *et operatur justitiam, acceptus est illi.*

« *Laudate eum, omnes populi,* » Judæorum. Judith, XIII, 17, invitat illos laudare *Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se.* De hoc Psalmo sumpsit Paulus quod dixit ad Roman. XV, 11 : *Laudate Dominum, omnes gentes, et magnificate eum, omnes populi.*

« *Quoniam confirmata est.* » Hic secunda pars, in qua subjungitur ratio quare sit laudandus : et tangitur duplex. Primo, confirmatio ipsorum in misericordia liberante a malo pœnæ, et culpæ. Secundo, confirmatio in veritate interius illuminante ad cognitionem boni, ibi, « *Et veritas.* » — 2 Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic laudate Gentiles, et Judæi : et debetis, « *quoniam super nos confirmata est,* » ut perseveret perpetuo, « *misericordia ejus.* » Daniel. III, 90 : *In omnia sæcula misericordia ejus.* Thren. III, 22 : *Non defecerunt miserationes ejus.* Firmata fuit misericordia ejus super nos in incarnatione, sed confirmata in sua passione. Psal. CII, 11 : *Corroboravit misericordiam suam super timentes se.* Hanc confirmationem petebat, Psal. L, 14 : *Spiritu principali confirma me.* Et, alibi, Psal. LXVII, 29 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Vel firmata in sua Resurrectione, sed confirmata in sui exhibitione in altari. Hoc est enim sacramentum, quo confirmamur et roboramur a Deo misericorditer. II ad Corinth. I, 21 : *Qui confirmat nos vobiscum in Christo.*

« *Et veritas Domini manet in æternum,* » non ad tempus. Hoc est verum de veritate increata, quæ Christus est. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas,*

[1] Simple quatrain octosyllabique exprimant une idée de grande importance, car S. Paul, ad Roman. XV, 11, cite ce psaume comme une prophétie de la conversion des Gentils.

H. Lesêtre.

et vita. Joan. XII, 34 : *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum*. III Esdræ, IV, 38 : *Veritas manet et invalescit in æternum, et vivit et obtinet in sæcula sæculorum*. Et de creata quadruplici. De veritate fidei, Psal. CXVIII, 90 : *In generationem et generationem veritas tua*. Proverb. XII, 19 : *Labium veritatis firmum erit in perpetuum*. De veritate instructionis in agendis, Matth. v, 18 : *Unum iota, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*. De veritate comminationis, Matth. XXIV, 35, postquam multa terribilia dixit : *Cœlum*, inquit, *et terra transibunt : verba autem mea non præteribunt*. De veritate promissionis, Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur . nec ut filius hominis, ut mutetur*.

PSALMUS CXVII.

Gratiarum actio pro salute per Christum consecuta.

Alleluia.

1. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.
2. Dicat nunc Israel : Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.
3. Dicat nunc domus Aaron : Quoniam in sæculum misericordia ejus.
4. Dicant nunc qui timent Dominum : Quoniam in sæculum misericordia ejus.
5. De tribulatione invocavi Dominum : et exaudivit me in latitudine Dominus.
6. Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.
7. Dominus mihi adjutor [1] : et ego despiciam inimicos meos.
8. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.
9. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.
10. Omnes gentes circuierunt me : et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
11. Circumdantes circumdederunt me : et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
12. Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis : et in nomine Domini quia ultus sum in eos.
13. Impulsus eversus sum, ut caderem : et Dominus suscepit me.
14. Fortitudo mea, et laus mea Dominus [2] : et factus est mihi salutem.
15. Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum.
16. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : dextera Domini fecit virtutem.
17. Non moriar, sed vivam : et narrabo opera Domini.
18. Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.
19. Aperite mihi portas justitiæ : ingressus in eas, confitebor Domino.
20. Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.
21. Confitebor tibi quoniam exaudi-

[1] Ad Hebr., XIII, 6.

[2] Exod., XV, 2.

sti me, et factus es mihi in salutem.

22. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli [1].

23. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

24. Hæc est dies quam fecit Dominus : exsultemus, et lætemur in ea.

25. O Domine, salvum me fac : o Domine, bene prosperare.

26. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini.

27. Deus Dominus, et illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

28. Deus meus es tu, et confitebor tibi : Deus meus es tu, et exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.

29. Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus

IN PSALMUM CXVII

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [2]. »

« *Confitemini Domino.* » Hic est Psalmus centesimus decimus septimus in toto libro, decimus septimus in tertia parte libri, in quo, sicut superius dictum fuit, postquam monuit ad laudem Dei pro unione fidelium in charitate et fide, et confirmatione in his, monet ad laudem et gratiarum actionem pro liberatore, et causa unionis, scilicet Christo, in qua tamquam in lapide angulari, sunt uniti.

Psalmus monet laudare Deum a liberatore nobis exhibito.

Et præponitur titulus, præmisso in nullo dissimilis, scilicet, « *Alleluia.* »

[1] Isa. xxviii, 16 ; Matth. xxi, 42 ; Luc. xx, 17 ; Act. iv, 11 ; Ad Roman ix, 33 ; I Petr. ii, 7.

[2] Ce psaume qui termine le grand *Hallel* (CXIII-CXVIII Heb.), est un chant triomphal visiblement destiné à l'usage liturgique. Quelques anciens l'ont attribué à David qui l'aurait composé soit quand il fut reconnu roi par toutes les tribus, soit à la suite d'une de ses victoires. D'autres ont pensé à Ezéchias. L'opinion générale est que ce psaume est postérieur à la captivité. C'était déjà l'idée de Théodoret, et tous les modernes la partagent. Ils y sont suffisamment autorisés par le ton de l'hymne, par son caractère liturgique, et par les allusions assez manifestes qui s'y rencontrent. Après le retour de la captivité, les livres historiques indiquent quatre grandes solennités qui ont pu servir d'occasion à la composition du psaume. 1° La fête des Tabernacles célébrée par le grand prêtre Josué et par Zorobabel au septième mois de l'année du retour, I Esdr. iii, 1-4. A cette fête, un simple autel fut élevé sur l'emplacement du temple détruit. Cette première circonstance ne répond pas à toutes les données du psaume, qui semble bien supposer le temple déjà relevé de ses ruines, ℣℣. 19, 20, 22. 2° La pose solennelle des fondements du temple, au second mois de la seconde année, I Esdr. iii, 8-12. A cette occasion on chanta les hymnes « *Quoniam bonus*, etc. » Hengstenberg rapporte le psaume à cette fête. Le ℣. 22 pourrait favoriser cette opinion : mais à tout bien considérer, ce verset doit s'entendre d'une pierre faisant partie d'un édifice déjà achevé, et non d'une pierre fondamentale qu'on vient poser dans le moment. Quant au « *quoniam bonus* » chanté à cette fête, il peut, nous l'avons vu, être emprunté à plusieurs autres psaumes. 3° La dédicace du temple après son achèvement, la sixième année de Darius, au douzième mois, I Esdr. vi, 15, 16. Cette date est acceptée par Delitzsch, Schegg, et le plus grand nombre des commentateurs modernes. En l'adoptant, nous pouvons rendre compte facilement des allusions que fait le psaume aux intrigues des Samaritains et des voisins d'Israël, ℣℣. 10-13, aux tergiversations des rois de Perse, ℣℣. 8, 9,

Psalmus autem dividitur secundum ea quæ tacta sunt, in duas partes principaliter. Primo enim invitat ad Dei laudem, assignans causam, liberationem a tribulatione et miseria. In secunda vero orat, ut aperta fidei janua Ecclesiæ, intret Gentilitas cum plebe Judaica, et fiat una Ecclesia, ibi, ỳ. 19 : « *Aperite mihi portas justitiæ.* »

In prima duo. Primo, invitat ad Dei laudem, addita semper ratione, quare laudandus. Secundo, subjungit probatio-

et aux brillantes cérémonies qui accompagnèrent la consécration de l'édifice sacré. 4° La fête des Tabernacles célébrée par le peuple sur l'invitation d'Esdras et de Néhémie, II Esdr. VIII. Perowne, Jennings et quelques autres sont pour cette date. Ils allèguent surtout en faveur de leur opinion l'usage qu'on faisait plus tard du psaume dans la liturgie de la fête des Tabernacles. Les paroles du ỳ. 25 étaient le refrain le plus souvent répété dans la solennité ; le septième jour s'appelait le grand Hosanna (*hoshihah na !* sauve-nous), et on donnait même ce nom d'hosanna aux branches de saule, de citronnier, de myrthe, de palmier qui servaient à la fête. Cf. Dict. of the Bibl. *Hosanna.* La manière dont les Septante traduisent le ỳ. 27 donne à croire que de leur temps ce psaume était particulièrement affecté à la fête des Tabernacles ; dans la Midrash (Thocher tobh), il est dit aussi qu'il était chanté alternativement par les hommes de Juda, et par les hommes de Jérusalem qui recevaient le cortège des premiers. Toutes ces remarques sont fondées, mais elles n'empêchent pas d'admettre que le psaume ait été composé pour la dédicace du Temple ; elles démontrent seulement que ce beau cantique fut inséré dans la liturgie des fêtes, à une époque voisine du temps de sa composition. Signalons enfin l'idée de Patrizi, qui s'écarte de toutes les précédentes. D'après lui, le psaume aurait trait à la délivrance des Juifs de Perse après l'attentat d'Aman. Le décret dont il est parlé, Esther, VIII, 9, fut porté rapidement à la connaissance des habitants de Jérusalem, et un lévite composa alors ce chant de reconnaissance, destiné à perpétuer le souvenir du merveilleux événement, conjointement avec la fête des *Purim*, instituée à cette occasion ; le psaume aurait donc été écrit vers l'année 478, c'est-à-dire, une quarantaine d'années environ après la restauration du temple. Cette date offre déjà quelque difficulté au point de vue de l'insertion du psaume dans le canon d'Esdras ; mais en outre, le morceau n'offre absolument rien qui caractérise l'événement allégué. C'est un chant d'actions de grâces et de délivrance, il est vrai, et comme tel, il peut se rapporter à bon nombre d'événements : les rationalistes ne sont pas embarrassés pour trouver à le placer en plusieurs endroits de l'histoire des Machabées. Mais il ne suit pas de là que toutes ces dates soient fondées, et que pour les faire accepter il suffise de signaler une analogie, même assez frappante, entre les données du psaume et l'événement que l'on a en vue. De l'avis général, le retour de la captivité et l'histoire de Zorobabel expliquent bien les différentes allusions du psaume ; on n'est donc pas autorisé à tenir ces rapprochements pour non avenus, et à en chercher d'autres dans l'histoire d'Esther ou des Machabées, pour imposer une date postérieure à la composition. Ajoutons que les ỳỳ. 10-12 s'adaptent assez mal à la persécution d'Aman, et que pour appliquer le ỳ. 26 au messager porteur de la bonne nouvelle, Patrizi traduit : *Que celui qui vient soit béni au nom du Seigneur.*

La simple lecture du cantique montre que c'est un chant processionel, où les refrains répétés par la multitude sont nombreux. Les ỳỳ. 1-4 sont une sorte d'invitatoire qui devait se chanter au moment où l'on se mettait en marche ; les ỳỳ. 5-18 sont l'hymne d'actions de grâces que dit le peuple en s'avançant vers le temple ; les mêmes vers y sont répétés plusieurs fois, comme dans une litanie populaire. A partir du ỳ. 19, le psaume devient dramatique : le chef du peuple, Zorobabel, s'avance, et demande l'entrée du lieu saint aux prêtres et aux lévites qui répondent de l'intérieur, comme au Psaume XXIII. Puis la foule entre en chantant, les prêtres bénissent les nouveaux arrivants, et le sacrifice eucharistique se prépare. Nous avons donc là un cantique très mouvementé, et en harmonie parfaite avec la cérémonie populaire à laquelle il est destiné.

Au sens spirituel et messianique, le psalmiste célèbre 1° l'entrée triomphale du Sauveur dans le Ciel à son Ascension, et surtout après le jugement dernier, quand tous ses ennemis sont terrassés ; 2° l'entrée de Jésus à Jérusalem au jour des Rameaux : en cette occasion les Juifs lui appliquèrent les paroles des ỳỳ. 25 et 26, et lui-même s'appliqua celles du ỳ. 22. 3° L'entrée mystique de Jésus-Christ dans les âmes. (Le Hir).

H. Lesêtre.

nem rationis additæ, et manifestationem, ibi, ỳ. 5 : « *De tribulatione invocavi Dominum.* »

In prima duo. Primo, invitat fideles generaliter, addita ratione. Secundo, quosdam specialiter, juxta litteram conversos de Judæis : juxta sensum spiritualem, fideles in statu differentes, ibi, ỳ. 2 : « *Dicat nunc Israel.* »

Jam patet quia in prima adhuc duo. Primo, invitat. Secundo, assignat rationem quare debeant acquiescere invitationi, ibi, « *Quoniam bonus.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic fideles monui ut laudetis pro confirmatione fidelium in unione, et charitate, et fide : sed nunc dico, « *Confitemini Domino,* confessione laudis. Supra, in Psalmis CIV, CV et CVI, multoties idem habitum est. « *Confitemini,* » non solum Judæi, sed etiam Gentiles omnes generaliter, quia etiam vestrum est confiteri. Jerem. XXXIII, 10 et 11 : *Adhuc audietur in loco isto quem vos dicitis esse desertum... vox dicentium : Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus,* etc.

« *Quoniam bonus.* » Hic ratio quare confitendum : et tangitur duplex. Primo, Dei bonitas absoluta in se. Secundo, comparata ad nostram miseriam, quæ est misericordia, ibi « *Quoniam in sæculum.* »

Dicit ergo : Sic monui ut confiteamini, et debetis : « *quoniam bonus,* » supple, est, et hoc in se, et per essentiam suam et naturam. Matth. XIX, 17 : *Unus bonus est Deus.* Et, Luc. XVIII, 19 : *Nemo bonus nisi solus Deus.* Vere bonus, imo in bonitate ditissimus. Ad Roman. II, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* Et rursus, XI, 22 : *Vide bonitatem, et severitatem Dei.*

« *Quoniam in sæculum.* » Quasi diceret : Non solum quia bonus in se confitemini, sed « *quoniam in sæculum,* » supple, extenditur, « *misericordia ejus,* » qua peccata condonat. Idem, Daniel. III, 89 : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* I Paral. XVI, 34 : *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.* Et post : *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Tob. XII, 6 : *Confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.*

« *Dicat nunc Israel.* » Hic secundum, 2
in quo monet eos ad laudem secundum status diferentes. Nec solum ut ipsi in se laudent, sed etiam ut alios ad laudem invitent. Et primo, monet majores per se. Secundo, addendo simul etiam minores, ibi, ỳ. 4 : *Dicant nunc qui timent.* »

In prima duo secundum statum duplicem majorum. Primo, monet sapientiores. Secundo, sanctiores, ibi, ỳ. 3 : « *Dicat nunc domus Aaron.* »

Et in prima duo. Primo, invitatio. Secundo, ratio quare acquiescendum invitationi, ibi, « *Quoniam bonus.* »

Dicit ergo : Sic monui omnes generaliter : modo dico, « *Dicat Israel,* » videns Deum. Hi sunt sapientes, monendo alios ad laudem. Et « *nunc,* » non differat. Cortina cortinam trahat [1]. *Et qui audit, dicat : Veni* [2].

Vel sic : « *Israel,* » sicut prius, « *dicat* » laudem confessionis Domino, et statim, « *nunc.* » Daniel. III, 83 : *Benedicat Israel Dominum, laudet,* etc. Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus.* Sed quare hoc dicet Israel? vel ad hoc quid suadebit? hoc : « *Quoniam bonus,* » in se : « *quoniam misericordia ejus,* » ad nos, « *in sæculum,* » in æternum scilicet. Psal. CII, 17 : *Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.* Isa. LIV, 8 : *In misericordia*

[1] Cf. Exod. XXVI, 1 et seq.

[2] Apocal. XXII, 17.

sempiterna misertus sum tui. Thren. III, 22 : *Non defecerunt miserationes ejus.*

3 « *Dicat nunc domus Aaron.* » Hic invitatio sanctorum : et dicuntur duo. Primo, invitatio ipsorum ad laudem, vel ad aliorum invitationem. Secundo, ratio quare acquiescendum ibi, « *Quoniam in sæculum.* »

Ait enim. Sic dixi, quod laudet vel alios invitet domus Israel, et etiam « *domus Aaron,* » qui sacerdos fuit, et per hoc superior est de jure, « *dicat,* » vel alios invitando ad laudem Dei, vel ipsum in se laudando, et « *nunc,* » sine mora. Daniel. III, 84 : *Benedicite, sacerdotes Domini, Domino.* Qui enim magis laudare debent quam Aaronitæ, scilicet sacerdotes? ipsi enim sunt Angeli, et hoc est officium Angelorum. Malach. II, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* I ad Corinth. XI, 10 : *Debet mulier potestatem habere supra caput,* id est, velare, *propter Angelos.* Et presbyteris septem Ecclesiarum scribens Joannes, Angelos eos vocat [1]. Et, I Paral. XVI, 4, dicitur : *Constituit* David *coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent et recordarentur operum ejus,* scilicet Domini, *et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel.* Thema in Synodo, et in capitulo fratrum Prædicatorum, vel provinciali, vel generali.

« *Quoniam in sæculum.* » Hic ratio quare laudare debent, quæ ponitur una tantum, scilicet bonitas Dei, operativa scilicet, ut est ad nos ordinata. Sed quare non ponuntur duo, sicut in præcedenti versu? Respondeo. Potest esse, quod prius loquebatur ad peritiores, quasi contemplativos, quorum est respicere et intueri divinam bonitatem, non solum in suis effectibus, sed etiam in se : hic autem ad ministros Ecclesiæ, scilicet sacerdotes, quorum est proprie considerare divinam bonitatem, eorum ministerio in alios influentem, quorum est dicere Deo illud : *Oleum effusum nomen tuum* [2].

« *Dicant nunc qui timent.* » Hic colligit minores cum majoribus sub conditione timentium, quamvis hoc magis ad 4
minores possit pertinere : et divide versum sicut superiores, et eodem modo lege. Sed adverte, quod quamvis Deus repellat laudem peccatorum, Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris :* et, in Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras ?* etc., tamen non repellit laudem ab ore timentis, sed acceptat. Act. X, 35 : *In omni gente qui timet eum,* scilicet Deum, *et operatur justitiam, acceptus est illi.* Quippe et minores, qui in statu timentium sunt, et majores, qui in statu diligentium, ipse fecit. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Propter hoc optime dicitur, Apocal. XIX, 5 : *Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus, et qui timetis Deum, pusilli et magni.*

« *De tribulatione invocavi.* » Hic se- 5
cundum primæ partis totius Psalmi. Postquam enim invitavit ad Dei laudem, reddendo semper rationem quare laudandus, hic addit rationis declarationem, ostendendo in seipso, et per seipsum Dei misericordiam et benignitatem, qua se liberavit : unde dicuntur duo. Primo, confitetur sui liberationem a tribulatione. Secundo, modum liberationis exsequitur, ibi, ℣. 10 : « *Omnes gentes circuierunt.* »

In prima tanguntur duo. Primo, invocantis liberatio. Secundo, per quem facta fuerit, ibi, ℣. 7 : *Dominus mihi adjutor.* »

[1] Cf. Apocal. I, 20, II, 1, etc.

[2] Cantic. I, 2.

Et in prima duo tanguntur. Liberatio enim exigit aliquam præparationem a parte liberati : unde dicuntur duo. Primo, præparatorium ad liberationem, seu invocatio Dei in tribulatione. Secundo, liberatio sic præparati, ibi, « *Et exaudivit me.* »

Dicit ergo : Sic monui confiteri, quoniam bonus in se, misericors ad nos : et hoc dixi tamquam expertus, quia « *de tribulatione mea,* » in qua anxiabar, « *invocavi Dominum.* » Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Psal. xvii, 7 : *In tribulatione mea invocavi Dominum* [1]. Hoc enim præcipit in Psal. xlix, 15 : *Invoca me in die tribulationis.*

« *Et exaudivit Dominus.* » Isa. xix, 20 : *Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis,* exaudiens eos, *Salvatorem et propugnatorem, qui liberet eos.* Jerem. xxix, 12 : *Invocabitis me, et ibitis : et orabitis me, et ego exaudiam vos.* Isa. lxiii, 9 : *Factus est eis salvator in omni tribulatione eorum* [2]. » *In latitudine,* » ponens « *me,* » ut jam non arctatus curram ad præmia. Psal. xvii, 20, supra : *Eduxit me in latitudinem.* Et alibi, Psal. xxx, 9 : *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Proverb. iv, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.*

« *Dominus mihi adjutor.* » Hic secundum, in quo postquam est actum de invocantis liberatione, agit hic consequenter de liberatoris excellenti potestate. Duo ergo tanguntur. Primo, liberatoris potestas. Secundo, excellentia, et incomparabilitas ad adjutorium angelicum et humanum, ibi, ỳ. 8 : « *Bonum est.* »

In prima duo. Primo, ostenditur adjutoris potestas ex securitate adjuti. Secundo, ex contemptu adversantis inimici, ibi, ỳ. 7 : « *Dominus mihi adjutor.* »

In prima duo. Primo, confessio adjutorii. Secundo, promissio securitatis, ex confidentia tanti adjutorii, ibi, « *Non timebo.* »

Dicit ergo : Sic invocavi, et exauditus fui, et non sum per alium liberatus, imo ipse « *Dominus mihi adjutor,* » supple, fuit. Supra, in Psal. ix, 10 : *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Eccli. li, 2 : *Confitebor nomini tuo, quia adjutor et protector factus es mihi.* Deuter. xxxiii, 7 : *Adjutor illius contra adversarios erit.* Sic ergo ille adjutor, et tu quid ? « *Non timebo quid faciat mihi homo,* » sed securus ero. Isa. li, 12 : *Quis tu,* qui adjutus es a Domino, *ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis qui quasi fœnum ita arescet ?* Jerem. i, 8 : *Ne timeas a facie eorum.* Quippe ex quo Deus est adjutor, non est timendum. Ad Roman. viii, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Et ipse homo nihil est, quare ergo timeretur ? I Machab, ii, 62 et 63 : *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est : hodie extollitur, et cras non invenietur.*

« *Dominus mihi adjutor.* » Hic secundum, in quo monstratur adjutoris potestas, ex contemptu adversarii, quod plus est quam non timere. Primo ergo repetito confitetur dominicum adjutorium. Secundo, inimicorum contemptum, ibi, « *Et ego despiciam.* »

Dicit ergo : Sic non timebo, quidquid agat homo, et etiam « *Dominus mihi adjutor.* » Color rhetoricus est in capite diversorum versuum idem dicere. Exod. ii, 22 : *Deus patris mei adjutor meus*

[1] Jonæ, ii, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum,* etc.

[2] Vulg. habet, Isa. lxiii, 8 et 9 : *Factus est eis salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus,* etc.

eripuit me de manu Pharaonis. II Machab. III, 39 : *Ipse qui habet in cœlis habitationem,... adjutor est loci illius.* « *Et ego,* » tali adjutore protectus, « *despiciam inimicos meos.* » In Psal. XCI, 12, supra : *Et despexit oculus meus inimicos meos.* Judith, IX, 14 : *Da mihi in animo constantiam ut contemnam illum.* Despiciam illos in præsenti, et plus etiam in futuro, quando vere despiciendi erunt viles ut cadavera. Isa. LXVI, 24 : *Et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me.* Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios,* etc.

8 « *Bonum est confidere.* » Hic secundum. Monstrata enim liberatoris potentia, hic ostenditur ejusdem potentiæ excellentia. Primo, comparatione ad humanam naturam. Secundo, comparatione ad angelicam, ibi, ℣. 9 : « *Bonum est sperare.* « Dicit ergo : Sic Dominus adjuvat, ut mihi securitas, et contemptus adversariorum, et etiam « *bonum est confidere in Domino,* » id est, melius, (positivum sumit pro comparativo) « *quam confidere in homine :* » et est abusiva comparatio, quia in homine non est bonum confidere. Isa. XXX, 5 : *Omnes confusi sunt super populo qui eis prodesse non potuit : non fuerunt in auxilium et in aliquam utilitatem, sed in confusionem et in opprobrium.* Et rursum, in eodem, ℣. 3 : *Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, et fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.* Et, XXXVI, 6 : *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.* Et propter hoc dicitur, Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Sed in Domino confidere bonum. Eccli. XXXII, 28 : *Qui confidit in illo, non minorabitur.* Et propter hoc dicitur e contrario, Jerem. XVII, 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.*

« *Bonum est sperare.* » Hic tangit excellentiam comparatione ad naturam Angelicam. 9

Ait enim : Sic excellit humanum adjutorium, et etiam Angelicum, quia « *bonum est sperare* » (et est abusiva comparatio sicut supra : tamen aliquo modo videtur magis sperandum in Angelo quam in homine) « *in Domino,* » et totum se illi projicere, « *quam sperare in principibus,* » in Angelis scilicet, qui principes dicuntur. Supra, in Psal. LXVII, 26 : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus.* Sed nec in illis, quamvis per eos nos conservet Dominus, nec in hominibus etiam. In Psal. CXLV, 2 et 3, infra : *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Sed de Domino dicitur, Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Quia, Proverb. XXIX, 25, dicitur : *Qui sperat in Domino, sublevabitur.* Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Nec mirum : omnia enim sunt bona quasi accidentaliter, et respective, ipse solus bonus in se, et per se essentialiter.

Notandum enim, quod est bonum naturæ creatæ, Genes. I, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Et est bonum in genere, quod est bonum in se, sed potest fieri male, Tob. XII, 8 : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* Et est bonum gratiæ, quod adhuc supereminet, de quo Eccli. XIII, 30 : *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Et est bonum gloriæ creatæ, Psal. CXXVII, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis,* etc. Hoc prægustaverat Petrus, Matth. XVII, 4 : *Domine, bonum est nos hic esse.* Et est bonum naturæ increatæ, quod est bonum in se, et per se. Infra, in Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in*

Multiplex bonum.

bonitate tua doce me justificationes tuas. Judith, XI, 6 : *Tu solus bonus et potens es in omni regno.* In hoc ergo bono confidere, in hoc totam spem ponere, excedit sine comparatione omnem spem, omnium confidentiam in alia re.

10 « *Omnes gentes.* » Hic secundum totius illius partis, in qua probat Dei misericordiam exemplo sui. Confessus est enim suam liberationem, hic addit liberationis modum. Et tangit modum duplicem liberationis, quem est expertus. Primo, quia liberat, a casu conservando. Secundo, si cadere contingat, a casu erigendo, ibi, ℣. 13 : « *Impulsus eversus sum.* »

In prima duo secundum genus duplex persecutorum ad casum impellentium. Primi, infideles de Gentibus. Secundi, infideles de Judæis. Primo ergo tangitur liberatio a primis, ne ruere faciant. Secundo, a secundis, ibi, ℣. 11 : « *Circumdantes.* »

In prima duo. Primo, modus persecutionis justi, in cujus persona loquitur, ab ipsis Gentibus. Secundo, modus divinæ liberationis, ibi, « *Et in nomine Domini.* »

Dicit ergo : Dixi me invocasse in tribulatione Dominum, et ab eo me liberatum, et verum dixi, quia « *omnes Gentes*, non quædam tantum, « *circuierunt me,* » dicit Ecclesia primitivorum, explorando, inquirendo si me possent suffocare et destruere. Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Thren. I, 17 : *In circuitu ejus hostes ejus,* instructi a magistro suo diabolo, de quo dicit Petrus, I Canon. V, 8 : *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret.* Et ipse dicit ad Dominum, Job, I, 7 : *Circuivi terram.* Facti sunt inimici, tamquam qui obsident civitatem, qui circumdant eam. Job, XIX, 12 : *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Eccle. IX, 14 : *Exstruxit munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio.*

« *Et in nomine Domini.* » Hic secundum, modus scilicet liberationis. Quasi diceret : Sic persecuti sunt, « *et* » ego « *ultus sum in eos :* » et hoc, « *in nomine Domini,* » id est, in potentia Domini. Exod. XV, 3 : *Omnipotens nomen ejus :* suum enim est ulcisci. Eccli. XXVIII, 1 : *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam.* Deuter. XXXII, 43 : *Vindictam retribuet in hostes eorum.* Propter hoc dicebat David Goliath, I Reg. XVII, 45 : *Tu venis ad me cum gladio, et hasta, et clypeo : ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel.*

« *Circumdantes circumdederunt me.* » 11
Hic de persecutione a Judæis : et dicuntur duo. Primo, modus persecutionis ex parte persecutorum, id est, illorum qui persecuti et vere passi sunt cum modo liberationis. Secundo, ex parte persequentium, ibi, ℣. 12 : « *Circumdederunt me.* »

In prima autem duo. Primo, tangit modum persecutionis. Secundo, liberationis, ibi, « *Et in nomine.* »

Dicit ergo : Sic Gentes sunt me persecutæ, et Judæi « *circumdantes,* » caput meum, dicit Ecclesia primitivorum, « *circumdederunt me,* » corpus ipsum. Circumdederunt Judæi seipsis inquirendo quis esset, Joan. X, 24 : *Circumdederunt eum,* scilicet Jesum, *Judæi, et dicebant ei : Si tu es Christus, dic nobis palam.* Circumdederunt verbis et fraudulentiis, Thren. III, 7 : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar.* Circumdederunt vestibus irrisoriis, Joan. XIX, 1 : *Vestem purpuream circumdederunt ei.*

« *Et in nomine Domini.* » Quasi diceret : Sic circumdederunt me, et persequebantur, et in me, et in meo capite : « *et in nomine Domini,* » supple, factus sum, « *quia ultus sum in eos,* » per Romanos, qui eos destruxerunt, et per dæmones, qui damnatos in inferno affligunt. Isa. LXI, 2 : *Ut prædicarem annum*

placabilem Domino, et diem retributionis Deo nostro. Et, LXIII, 4 : *Dies ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.* Propter hoc dicitur, Isa. I, 24 : *Heu! consolabor super hostibus meis, et vindicabor in eis.*

12 « *Circumdederunt me.* » Hic secundum, in quo tangitur modus persequendi, ex parte ipsorum persequentium : et sicut supra dicuntur duo. Primo, persecutionis modus. Secundo, deliberationis, ibi, « *Et in nomine Domini.* »

In prima duo. Primo, quod persecuti sunt latenter et astute. Secundo, quod ardenter et aperte, ibi, « *Et exarserunt.* »

Dicit ergo : Sic et caput et corpus persecuti sunt universaliter, et quantum in ipsis, « *circumdederunt me,* » persequendo, « *sicut apes,* » latenter et astute, sicut apes, quæ mel habent, et aculeum sub melle absconditum. Sic ipsi verba adulationis habebant aliquando dulcia, Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es,* etc. : sed aculeus in fine extractus est, Joan. XIX, 6 : *Crucifige, crucifige eum.* Item, apis alios pungendo se enecat. Sic Judæi pungendo Christum in cruce se destruxerunt : amiserunt enim locum et gentem [1]. Daniel. IX, 26 : *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo.* Item, apes sibi inutiles, aliis valde utiles sunt. Sic Judæi inutiliter sibi Christum occiderunt. Matth. XXVII, 25 : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* Et aliorum utilitatem procuraverunt passione Christi, quæ mel est. Quid enim dulcius passione? Numquid non cantat Ecclesia : « Dulce lignum, dulces clavos? » Et lumen est, Matth. XXVII, 51, in passione Christi *velum templi scissum est.* Tob. XI, 13 et seq., fel piscis illuminavit oculos Tobiæ. Item, breves multi effecti sunt non habentes jam regnum, nec sacerdotium. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei.* Eccli. XI, 3 : *Brevis in volatilibus est apis.* Item, post amissum aculeum non sunt mellificantes. Sic nec Judæi post amissam potentiam mel fecerunt, sed omnino dejecti et depositi ab omni honore sunt. Psal. LVIII, 12 : *Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine.*

Judæi cum lapibus collati.

« *Et exarserunt.* » Hic secundum, pertinens ad modum persecutionis, ex parte persequentium.

Quasi diceret : Sic ut apes persecuti sunt astute, et latenter : « *et exarserunt,* » ardenter me persequendo, « *sicut ignis in spinis,* » qui crepitat ibi, et sonat : in quo notatur, quod aperte : ardor enim et ignis invidiæ eos repleverat : de quo igne, Job, I, 16 : *Ignis Dei descendit de cœlo.* Et ipsi erant spinæ : unde optime prædicitur de eis, Isa. XXXIII, 12 : *Spinæ congregatæ igni comburentur.* Eccle. VII, 7 : *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.*

« *Et in nomine.* » Ecce secundum. Dicto modo tribulationis, additur de modo liberationis, et expone ut supra. Isa. LXIII, 10 : *Conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos.* Et, XXXV, 4 : *Deus vester ultionem adducet retributionis.* Sic impletum est quod petebatur, supra, in Psal. XXXI, 7 : *Erue me a circumdantibus me.* Et, alibi, Psal. XXX, 7 : *Tu es refugium meum a tribulatione quæ circumdedit me.*

« *Impulsus eversus sum.* » Hic secundum, in quo postquam ostendit se liberatum a Deo ne caderet, hic ostendit se liberatum ut a casu etiam qui contigit, eum Dominus benigne susciperet : et dicuntur duo. Primo, liberatio a casu. 13

[1] Cf. Joan. XI, 48.

Secundo, liberatoris commendatio, ibi, ỷ. 14 : « *Fortitudo mea.* »

In prima duo. Primo, tangitur casus cum sua causa. Secundo, cadentis susceptio a pietate divina, ibi, « *Et Dominus suscepit me.* »

Dicit ergo : Sic eripuit, et adjuvit a tribulatione liberando, sed tamen aliquando « *impulsus* » ab inimico tentante, « *eversus sum,* » a statu gratiæ et virtutum, ad statum culpæ. Hoc non potest pertinere ad caput Christum : quantumcumque enim eum inimicus impulerit [1], tamen evertere non potuit : sed ad membra refertur. « *Eversus* » ergo « *sum,* » ita « *ut caderem.* » III Reg. XIII, 34 : *Peccavit domus Jeroboam, et eversa est.* Peccat autem impulsus, qui tentatus et suasus peccat. II Paral. XXII, 3, mater Ochoziæ *impulit eum ut impie ageret.* Et impulsus homo cito cadit, nisi fortiter Deo stabili adhæserit. Eccli. II, 7 : *Non deflectatis ab illo*, scilicet Domino, *ne cadatis.*

« *Et Dominus suscepit me,* » ne ruerem in mortem æternam, quia rueram in mortis æternæ causam. Supra, in Psal. LXII, 9 : *Me suscepit*, sursum scilicet cepit, *dextera tua.* Psal. XXXVI, 24 : *Cum ceciderit justus*, etiam aliquando in mortale, quod Dominus permittit ad ejus humiliationem, *non collidetur*, quia Dominus supponit manum suam : sed frequentissime eripit a casu, qui est in charitate, quo scilicet cadit in veniale. Proverb. XXIV, 15 : *Septies in die cadet justus, et resurget.*

14 « *Fortitudo mea.* » Hic subjungitur de laude liberatoris : et dicuntur duo. Primo, solvit laudem debitam pro liberatione. Secundo, promittit laudis continuationem, ibi, « *Non moriar.* »

In prima dicuntur duo. Primo, laudem debitam tamquam gratus solvit. Secundo, ostendit quod etiam competentem valde, ibi, ỷ. 16 : « *Dextera Domini fecit virtutem.* »

In prima duo. Primo, solvit laudem. Secundo, ubi sit laus illa, quia interius in corde, ostendit, ibi, ỷ. 15 : « *Vox exsultationis.* »

Dicit ergo : Sic Dominus liberavit me a casu, et propter hoc « *Dominus* » ipse « *fortitudo mea,* » non ego hoc a me habere potui. II Reg. XXII, 2 : *Dominus petra mea, et robur meum.* Isa. XXV, 4 : *Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua.* Habac. III, 19 : *Dominus, fortitudo mea.* Et hoc respicit irascibilem.

« *Et laus mea,* » id est, laudis est mihi materia : et hoc respicit rationabilem. Solum enim rationabilia laudare possunt. Supra, in Psal. CXIII, 18 : *Non mortui laudabunt te, Domine.*

« *Et factus est,* » non in se aliquid. Malach. III, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Sed, « *mihi in salutem.* » Idem, Exod. XV, 2 : *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Et, Isa. XII, 2 [2] : et hoc respicit ad concupiscibilem. Bonum est tali fortitudini inniti, quæ lætificat et sanat. Augustinus in libro *Confessionum* : « Qui in te non « stas, projice te in eum : noli metuere, « non se subtrahet ut cadas : projice te, « securus excipiet te, et sanabit te. » Et in hoc salutari lætandum est. Habacuc, III, 18 : *Exsultabo in Deo Jesu meo.*

« *Vox exsultationis.* Hic secundum, 15
in quo vox illa erit, quia in cordis intimo, sicut in omnibus justis debet esse.

Ait enim : Sic laudo, et hoc interius in corde, quia « *vox exsultationis et salutis,* » non exterius est, sed magis, « *in tabernaculis justorum,* » in secretis scilicet cordibus eorum. Sunt enim taber-

[1] Cf. Matth. IV, 1 et seq. ; Marc. II, 12 et seq. ; Luc. IV, 1 et seq.

[2] Isa. XII, 2 : *Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.*

nacula justorum corda. De iis dicitur, Numer. xxiv, 5 : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!* Et hæc replentur interius exsultatione, et laude, et salubri virtute, et gratia. Proverb. xxi, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in tabernaculo justi.* Soph. iii, 14 : *Lætare, et exsulta in omni corde tuo.* In tali tabernaculo existenti, et superius intendenti, apparet Dominus. Genes. xviii, 1, Abrahæ sedenti in ostio tabernaculi apparuit Dominus.

16 « *Dextera Domini fecit virtutem.* » Hic secundum, in quo ostendit quod competit eum laudari. Primo, quia virtutes infundit, per quas justificat. Secundo, quia profectum in virtutibus tribuit, ibi, « *Dextera Domini exaltavit me.* » Tertio, quia a recidivo custodit, ibi, « *Dextera Domini fecit virtutem.* »

Dicit ergo : Sic laudo interius in corde confitendo ipsum esse meam fortitudinem, et salutem : et bene, quia « *dextera Domini,* » potentia scilicet Domini, « *fecit virtutem,* » in anima mea, per quam expulit culpam, et dæmonem. Exod. xv, 6 : *Dextera manus tua, Domine, percussit inimicum.* Job, xiv, 15 : *Operi manuum tuarum porriges dexteram,* virtutem infundendo.

« *Dextera Domini exaltavit me,* » in bono promovendo. I Reg. ii, 1 : *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Ad exaltationem venitur per solam humilitatem. Luc. xiv, 11, et xviii, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur.*

« *Dextera Domini fecit virtutem,* » conservando me a recidivo in culpam. Exod. xxxiii, 22 : *Protegam te dextera mea.* Et nota, quod dextera Domini facit virtutem, præcipue in altari, panem in corpus proprium commutando. Joan. vi, 52 : *Panis quem ego dabo,* etc. Et exaltat humanam naturam, cui datum est per Deum posse, quod non datum est Angelo, in homine sacerdote. Luc. xxii, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Dextera Domini facit virtutem sumentis animam roborando. Psal. ciii, 15 : *Panis cor hominis confirmet.* Ibi ergo verum est dicere illud Job, v, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia, et mirabilia absque numero.*

« *Non moriar, sed vivam.* » Hic secundum totius hujus partis, in qua agitur de gratiarum actione. Postquam enim laudes solvit, hic laudis continuationem promittit : et dicuntur duo. Primo, promissio de laudis continuatione. Secundo, ratio quare continuanda sit, ibi, ℣. 18 : « *Castigans castigavit.* » 17

In prima duo. Primo, sperando promittit præparationem sui ad digne laudandum. Secundo, laudis continuationem, ibi, « *Et narrabo.* »

Ait enim : Sic jam laudavi Deum, sicut dignum erat, et etiam, « *non moriar,* » morte culpæ, « *sed vivam,* » vita gratiæ cum Paulo, ad Galat. ii, 20 : *Vivo ego,* vita gratiæ, *jam non ego,* sed mortuus sum culpæ : *vivit vero in me Christus.* Sic vivam vita gratiæ, ut non sit separabilis a me. Ad Roman. viii, 35 et 38 : *Quis nos separabit a charitate Christi?... Certus sum, quia neque mors, neque vita,* etc.

Vel, de vita corporali. Quasi diceret : « *Non moriar,* » ab inimicis etiam interfectus, « *sed vivam,* » vita gloriæ. Sapient. iii, 2 : *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Job, xxix, 18 : *Sicut palma multiplicabo dies.* Quando creditur quod mortua sit, tunc diutius vivit. Exod. i, 12 : *Quanto plus opprimebant eos,* scilicet filios Israel, *tanto magis multiplicabantur et crescebant.* Sic non moriar, sed vivam. « *Et,* » tunc « *narrabo opera Domini,* » laude continua, non cessabo. Eccli. xvii, 27 : *Vivens et sanus confiteberis : et laudabis Deum.* Isa. xxxviii, 19 : *Vivens, vivens,* vivens vita naturæ, vivens vita gra-

tiæ: vel, vivens primo vita gratiæ, et postmodum vita gloriæ, *ipse confitebitur tibi*. In alio non placet, Eccli. xv, 9: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Narrabo, inquit, opera Domini, non mea. Eccli. XLII, 15: *Quæ vidi annuntiabo: in sermonibus Domini opera ejus*. Tob. XII, 7: *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est*.

18 « *Castigans castigavit me*. » Hic ratio continuationis, quæ tangitur quasi duplex, scilicet ipsius per flagella castigatio primo. Et mortis evasio per correctionem illam secundo, ibi, « *Et morti*. ».

Ait enim: Sic laudem continuabo, et justum est, quia « *Dominus castigans castigavit me*. » Replicatio frequentiam castigationis demonstrat. Jerem. XLVI, 28: *Castigabo te in judicio*, ut non tibi videaris obnoxius: mea percussio erit tua sanatio, a superbiæ peccato maxime. Deuter. XXXII, 39: *Ego... percutiam, et ego sanabo*.

« *Et* » sic « *morti*, » æternæ, « *non tradidit me*. » Minus dicit, et plus significat: imo ipsam me fecit evadere. Ezechiel. XXXIII, 11: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat*. Propter hoc percutio virga correctionis, sciens illud Proverb. XXIII, 13: *Si percusseris eum virga, non morietur*. Propter hoc optime dicit Judith, VIII, 27: *Flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus*. Ad Hebr. XII, 6: *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*.

19 « *Aperite mihi portas*. » Hic secundum

Secunda pars Psalmi.

totius hujus Psalmi, in quo postquam primitivorum Ecclesia multiplices gratias Deo egit pro multiplici beneficio, introducitur Ecclesia de Gentibus, petens ingressum ad unitatem fidei, ut simul cum illis primis laudare possit: et conservationem, ut possit in laude habere perseverantiam. Et secundum hæc, hæc pars est divisa in duas. Primo, petit portarum apertionem, ut ingrediatur ad fidei unitatem. Secundo, petit ut perpetuo laudare possit, finalem in laudibus perseverantiam, ibi, ℣. 25: « *O Domine, salvum me fac*. »

In prima dicuntur tria. Primo, petit. Secundo, confidenter asserit se exauditum, ibi, ℣. 21: « *Confitebor tibi*. » Tertio, prorumpit in laudem et exsultationem pro illa exauditione, ibi, ℣. 24: « *Hæc est dies quam fecit Dominus*. »

In prima tria. Primo, petitio ut portæ fidei sibi aperiantur. Secundo, petitionis ratio, et causa finalis, ibi, « *Ingressus in eas*. » Tertio, commendatio portæ singularis, ad quam venitur per primas, ibi, ℣. 20: « *Hæc porta Domini*. »

Dicit ergo: Sic audio confitentem Ecclesiam primitivorum, et causas suæ confessionis assignantem multa beneficia: et propter hoc dico: « *Aperite*, » vos Doctores ministerio, « *mihi*, » ad utilitatem mei, « *portas*, » inquam, « *justitiæ*, » fidei: fides enim justitia est. Genes. XV, 6, et ad Roman. IV, 3: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*. Ad Coloss. IV, 3: *Orantes... ut Deus aperiat nobis ostium sermonis sui ad loquendum mysterium Christi*. Judith, XIII, 13: *Aperite nobis portas, quoniam nobiscum est Deus*.

Has portas aperiunt boni Doctores, quando Scripturas exponunt, et bene vivunt. Apocal. XI, 6: *Habent potestatem claudendi cœlum*, et aperiendi portas ejus, quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt. Sed illi magis claudunt, qui bene docent, et male vivunt. Matth. XXIII, 13: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ*, qui tulistis clavem scientiæ: *vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare*. Sed Christus aperit auctoritate propria, et virtute. Apocal. III, 7: *Aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit*. In his portis scripta sunt Cherubim, et palmæ, scientiæ scilicet pleni-

tudo, et bona operatio, quæ in Cherubim, et palma monstratur [1].

« *Ingressus in eas,* » et sic in fide existens, « *confitebor Domino,* » confessione fidei, et laudis, de qua Apostolus, ad Roman. x, 10: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Fides enim ex auditu sacrarum Scripturarum est. Psal. xv, 7: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum,* Scripturas aperiendo, suum enim est. Luc. xxiv, 27: *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis,* etc.

20 « *Hæc porta Domini.* » Hic tertium, in quo subjungitur cujusdam portæ commendatio, ad quam ducunt illæ.

Triplex porta, qua itur ad Deum.

Quasi diceret: Sic ingressus confitebor Domino, Christo, et « *hæc,* » est « *porta Domini,* » ipse scilicet Christus. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, svalvabitur* [2]. « *Justi intrabunt in eam,* » ingredientes ad æternam vitam. Apocal. xxii, 14: *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut... per portas intrent,* Christum scilicet, *in civitatem.* Vide ergo diligenter, quod Scripuræ sunt portæ veniendi ad fidei justitiam. Fides rursus porta est veniendi ad Christum, et Christus porta veniendi ad Deum. Has omnes portas hoc ordine ingreditur anima justa. Esther, xv, 9: *Ingressa cuncta per ordinem ostia, stetit ante regem.* Legitur et de porta tribulationis, quam Sancti sibi petunt aperiri, scientes per ipsam introitum esse ad regnum. Act. xiv, 21: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Has ingressi justi laudant Deum. Act. v, 41: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam,* etc. Jacob. i, 2: *Omne gaudium existimate, fratres,* etc. Et hæc ipsa est porta Domini, quia per tribulationem et mortem introivit in regnum. Luc. xxiv, 6: *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.*

« *Confitebor tibi, Domine.* « Hic secundum, in quo confitendo et laudando asserit se exauditam, ostendendo etiam a quo, et per quem: et secundum hoc dicuntur hic tria. Primo, confitendo, asserit se exauditam. Secundo, ostendit per quem sit exaudita, ibi, ỷ. 22: « *Lapidem quem reprobaverunt.* » Tertio, a quo, quia a Domino, ibi, ỷ. 23: « *A Domino factum est.* » 21

In prima duo. Primo, promittit laudis confessionem. Secundo, addit confessionis rationem, ibi, « *Quoniam exaudisti me.* »

Dicit ergo: Sic petii, et jam certa spe promissum tenens, dico? O « *Domine, confitebor tibi,* » confessione laudis.

« *Quoniam exaudisti me.* » Hic tangit confessionis laudem, in quo duo. Primo, exauditio. Secundo, in quo, ibi, « *Et factus es mihi.* »

Ait enim: Sic confitebor, et dignum est, « *quoniam exausditi me.* » In quo? « *Et factus es mihi in salutem,* » ab errore infidelitatis, a morte iniquitatis. Ecce iterum confitetur. Joan. xi, 7: *Eamus in Judæam iterum,* id est, in confessionem. Et optime junguntur confessio, et exauditio, fratres enim sunt. Judicum, i, 3: *Et ait Judas Simeoni, fratri suo: Ascende mecum.* Et maxime pro salute ei confitendum, quia ipse solus salvat. Isa. xliii, 11: *Non est absque me salvator.* Et, lxiii, 8 et 9: *Factus est eis salvator in omni tribulatione* [3].

« *Lapidem quem reprobaverunt.* » Hic subjungit per quem exaudita sit omnino, hoc est, per quem salus sit facta, 22

[1] Cf. II Reg. vi, 2, et Ezechiel. xliii, 2 et seq.
[2] Joan. x, 9.
[3] Vulg. habet, Isa. lxiii, 8 et 9: *Factus est eis salvator. In omni tribulatione eorum non est tribulatus,* etc.

quod est secundum, quia per Christum conjungentem duos discipulos in unum, tamquam parietes duos in uno lapide angulari. Duo ergo tanguntur. Primo, lapidis conditio quantum ad homines. Secundo, monstratur per hunc lapidem facta conjunctio, ibi, « *Hic factus est.* »

Dicit ergo : Sic certus sum, quod aperientur portæ, et introibo, quia « *lapidem,* » id est, lapis, sicut illud Joan. xiv, 24 : *Et sermonem, quem audistis, non est meus :* « *quem reprobaverunt ædificantes,* » Judæi scilicet, qui soli in toto ædificabant orbe. I Petr. ii, 4 : *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum.* Act. iv, 11 : *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis.* Reprobaverunt autem Christum, quia in ipso cespitaverunt, et scandalizati sunt. Isa. viii, 14 : *Erit vobis in lapidem offensionis, et in petram scandali.* Matth. xi, 6 : *Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

Hic inquam, lapis, « *factus est in caput anguli.* » Matth. xxi, 42 : *Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Zachar. x, 4, dicitur de Juda : *Ex ipso angulus.* Ad Ephes. ii, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Isa. xxviii, 16 : *Mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Et sic factum est *unum ovile* per ipsum, *et unus pastor* [1].

23 « *A Domino factum est istud.* » Hic tangitur tertium hujus partis, scilicet a quo, et quomodo hoc sit factum : et secundum hoc tanguntur duo. Primo, tangit actorem. Secundo, modum operandi, ibi, « *Et est mirabile.* »

Dicit ergo : Sic per lapidem angularem, Christum scilicet, facta est mea salvatio, et « *istud factum est,* » non ab homine, sed « *a Domino* » ipso. Vel, « *istud,* » ipse scilicet lapis angularis, « *a Domino factum est,* » secundum quod homo. Ad Galat. iv, 4 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.*

« *Et est mirabile in oculis nostris,* » et tantæ multitudinis gentium conversio, et ipsius Dei incarnatio. De primo, Isa. xlix, 20 et 21 : *Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ : Angustus est mihi locus, fac spatium mihi ut habitem. Et dices in corde tuo : Quis genuit mihi istos? ego sterilis, et non pariens.* De secundo, Jerem. xxxi, 22 : *Creavit Dominus novum super terram : Fœmina circumdabit virum.* Et, Isa. lxvi, 7 et 8 : *Antequam parturiret, peperit... Quis audivit umquam tale? et quis vidit huic simile?* Habac. iii, 2, secundum aliam litteram : « Consideravi opera tua, et expavi [2] : » Et bene *in oculis nostris* dicit, quia in aperto facta sunt omnia. Isa. lii, 10 : *Paravit brachium suum in oculis omnium Gentium.* Et, in Psal. xcvii, 3 : *Viderunt omnes fines terræ, salutare Dei nostri.* Baruch, iii, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

« *Hæc est dies quam fecit Dominus.* » 24
Hic secundum, in quo postquam petiit, et petitionem suam exauditam ostendit, consequenter prorumpit in vocem laudis et exsultationis : et profert duo præ gaudio vehementi. Primo, temporis quo hæc facta sunt, commendationem. Secundo, aliorum invitationem ad lætitiam et exsultationem, ibi, « *Exsultemus et lætemur.* »

Ait ergo : Sic Dominus mihi portas justitiæ aperuit per lapidem angularem. Ergo, « *hæc est dies quam fecit Domi-*

[1] Joan. x, 16.

[2] Vulg. habet, Habacuc, iii, 2 : *Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud.*

nus : » in qua scilicet hæc facta sunt, dies salutis et gratiæ, I Reg. xi, 13 : *Hodie fecit Dominus salutem in Israel.* II ad Corinth. vi, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Dies refrigerii, Zachar. xiv, 8 : *Et erit in die illa : Exibunt aquæ vivæ de Jerusalem,* aquæ scilicet gratiarum, ardorem concupiscentiæ refrigerantes. Dies suavitatis et dulcedinis, Joel, iii, 18 : *Et erit in die illa : stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel.*

Dies mala et bona.

Notandum enim, quod est dies mala, in qua homo nascitur ad peccatum, quam facit diabolus. Job. iii, 3 : *Pereat dies in qua natus sum.* Et, Jerem. xx, 14 : *Maledicta dies in qua natus sum.* Et dies temporalis prosperitatis, quæ multis est causa perditionis. Jerem. xvii, 16 : *Diem hominis non desideravi, tu scis.* Sed est dies naturæ quæ bona est, de qua, Genes. i, 5 : *Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem.* Et est dies gratiæ, quæ est melior. Joan. viii, 56 : *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum.* Et est dies gloriæ, de qua in Psal. lxxxiii, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis,* etc. Eccli. xxxiii, 7 : *Quare dies diem superat ?* dies gratiæ diem naturæ, et dies gloriæ diem gratiæ ? a sole, lucem suam influente, sicut vult, de quo, Malach. iv, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Osee, vi, 3, de tribus : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.* De media intelligitur quod hic dicitur, et de tertia, quæ nobis in die sancto Paschæ illucescere cœpit, potest intelligi, quæ nobis reducitur tota illa septimana ad memoriam et ad imitationem, ut quemadmodum Christus resurrexit, et nos resurgamus. Ad Roman. vi, 4 : *Ut quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Ad Coloss. iii, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite,* ad gratiarum actionem de tanto beneficio. Ad Philip. iv, 6 : *In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione preces vestræ innotescant apud Deum.*

« *Exsultemus.* » Ecce secundum. Quia tanta est dies, ergo « *exsultemus,* » extra, « *et lætemur,* » intra, « *in ea.* » Sophon. iii, 14 : *Lætare, et exsulta in omni corde, filia Jerusalem.* Isa. lxv, 18 : *Gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum, in his quæ ego creo.* Exsultemus ergo et lætemur, quia illuminati, qui prius eramus cæci, Isa. ix, 2 : *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Quia liberati, qui eramus servi, Joan. viii, 36 : *Si Filius vos liberavit, vere liberi eritis.* Quia redempti, qui eramus captivi, I Petr. i, 18 et 19 : *Redempti estis de vana vestra conversatione,... pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.*

« *O Domine, salvum me fac.* » Hic 25
secundum totius hujus secundæ partis Psalmi, in quo postquam petiit ingressum, et unionem in fide cum primitivis de Ecclesia, et obtinuit, adjungit et petit finalem in his bonis perseverantiam, ut in ipsa etiam tribulatione, non cesset a laude : et dicuntur tria. Primo, petit ut detur ei salus et confirmatio in tribulatione. Secundo, asserit se exauditum, ibi, ℣. 26 : « *Benedictus qui venit.* » Tertio, laudes solvit pro impetratione petiti, ibi, in medio ℣. 27 : « *Constituite diem.* »

In prima duo. Primo, petit salvari a malo. Secundo, prosperari in bono, ibi, « *O Domine, bene prosperare.* »

Dicit ergo : Sic uniri aliis petii, et obtinui, quia etiam dies salutis sunt, dico : « *O Domine,* » qui omnia potes, « *salvum me fac,* » a peccatis meis omnibus, ab omnibus sæculi hujus tempestuosi cladibus. Sic clamabat Petrus, Matth. xiv, 30 : *Domine, salvum me fac.* Sic alii discipuli, Matth. viii, 25 : *Domine, salva nos, perimus.* Et causa additur in Psal. lxviii, 2, inundatio sci-

licet delectationum, seu etiam persecutionum : *Salvum me fac*, inquit, *Deus*, *quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*. Et tu hujus rei habes et artem et officium. I ad Timoth. IV, 10 : *Speramus in Deum vivum, qui salvator est omnium*. Act. IV, 12 : *Non est in alio aliquo salus*.

Et, « *o Domine*, » postquam salvaveris, « *bene prosperare*, » id est, bene, et per iter prosperum fac me incedere, sicut fecisti Joseph a tribulatione, Genes. XXXIX, 2 : *Fuit Dominus cum Joseph, et erat vir in cunctis prospere agens*. Et sicut Ezechiam, de quo, II Paral. XXXII, 30 : *Ipse est Ezechias, qui... in omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit*. Et hoc fiet, quia supra, in Psal. LXVII, 20 : *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*.

26 « *Benedictus*. » Hic secundum, in quo asserit se exauditum : primo, confitens se salvatum per Christum a Deo Patre missum. Secundo, per collegium ministrorum ejus, ibi, « *Benediximus vobis*. »

Dicit ergo : Sic peto salvari a malo, et in bono adjuvari : et sic erit, quia « *benedictus* » es. Vel sic : « *Qui venit in nomine Domini*, » ad hoc ut salvaret, ad hoc ut adjuvaret. Matth. XXI, 9 : *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Apocal. I, 4 : *Qui est, qui erat, et qui venturus est*. Et dicit : « *In nomine Domini*, » non in suo proprio nomine, in quo veniet Anti-Christus. Joan. V, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me : si alius venerit in nomine suo, accipietis illum*.

« *Benediximus vobis*. » Hic secundum, in quo confitetur se salvatum per collegium ministrorum, inducens ministros loquentes et dicentes duo. Primo, quod populo benedixerunt. Secundo, quod non auctoritate sua, sed Dei hoc fecerunt, ibi, ℣. 27 : « *Deus Dominus*. »

Sic vere per benedictum salus facta est tamquam per actorem, et Dominum : tamen et nos, Sacerdotes et Prælati, « *benediximus vobis*, » ut ministri, ne videatur contrarium quod dicitur, Numer. VI, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis* : vestrum est auctoritate, sed nostrum ministerio. Eccli. XLIV, 25, dicitur de Aaron : *Benedictionem omnium gentium dedit illi*.

« *Benediximus* » ergo « *vobis de domo Domini*, » existentibus, vel esse volentibus, scilicet de Ecclesia, de qua egredietur fons baptismatis, in quo mundantur omnes et sanctificantur. Joel, III, 18 : *Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum*. Zachar. XIII, 1 : *In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris, et menstruatæ*. His qui sunt in hac domo benediximus. Psal. LXXXIII, 8 : *Benedictionem dabit*, tamquam minister, *legislator*.

« *Deus Dominus*. » Ecce secundum, in quo confitetur actorem Deum. 27

Quasi diceret : Benediximus : tamen « *Deus* » omnium creatione, « *Dominus* » potestate et gubernatione hoc fecit, tamquam principalis actor, « *et illuxit nobis*, » illuminando nos prius. II ad Corinth. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris*. I Petr. II, 9 : *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Illuxit sicut verus sol timentibus se, Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus*, etc.

« *Constituite diem*. » Hic tertium hujus partis, in quo postquam petiit, et se exauditum asseruit, subjungit laudem pro exauditione, et prorumpit in illam : et dicuntur tria. Primo, quod ex lætitia cordis aliis inducit ut diem solemnitatis constituant. Secundo, promittit quod in illa die constituta confitebitur, et laudabit, ibi, ℣. 28 : « *Deus meus*. » Tertio,

imitando alios ad hoc ipsum, concludit totum, ibi, ỳ. 29 : « *Confitemini Domino.* »

In prima tria dicuntur. Primo, indicit et monet ut diem solemnem statuant. Secundo, quod multitudinem magnam in illa die congregent, et hominum, et virtutum, et bonorum operum, ibi, « *In condensis.* » Tertio, quod usque ad altaris sacramentum accedant, ibi, « *Usque ad cornu altaris.* »

Ait ergo : Sic per ipsum Dominum, et per ipsos ministros salvatus sum, et in bono prosperatus : ergo, o vos omnes de Ecclesia, « *constituite diem solemnem,* » vel constitutam custodite, retrahentes vos ab omni opere iniquitatis et cupiditatis : hoc est enim primum quod exigitur. Jerem. xvii, 21 : *Custodite animas vestras, et nolite portare onera in die sabbati.* In spirituali lætitia et exsultatione, Psal. lxxv, 11 : *Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* II Esdræ, viii, 9 et 10 : *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro : nolite lugere, et nolite flere... quia sanctus dies Domini est.* In votorum solutione ipsi Domino, Eccli. xxxv, 6 : *Non apparebis ante conspectum Domini vacuus* [1]. In hilari eleemosynarum largitione, II Esdræ, viii, 10 : *Ite, comedite pinguia, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non præparaverunt sibi.* Ad Roman. xii, 8 : *Qui miseretur in hilaritate.*

Et hoc « *in condensis,* » in densitate et congregatione hominum. Joel, ii, 15 et 16 : *Vocate cœtum, congregate populum,* etc. Exod. xxiii, 17 : *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.*

Vos, dico, incedentes « *usque ad cornu altaris,* » ut participetis ipsius altaris sacramentum. Exod. xxx, 10 : *Deprecabitur Aaron super cornua altaris semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato.* Cum enim sacerdos cibat, et potat communicantes, ad cornu altaris ad litteram decens est fieri, et orando debet hoc facere. In cornu etiam potestas intelligitur, ut sit sensus : « *Incedentes usque ad cornu altaris,* » id est, usque ad potestatem altaris : quæ, inquam, potestas est ipsius altaris sacramentum, quia potestative confirmat animam, et corroborat ipsam. Psal. ciii, 15 : *Panis cor hominis confirmet.* Joan. vi, 52 : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita,* supple, confirmanda.

« *Deus meus.* » Hic promittit se lau- 28
daturum : et dicuntur duo. Primo, promittit quod propter seipsum, Deum scilicet ipsum, laudabit. Secundo, quod etiam propter beneficium, ibi, « *Confitebor tibi.* »

Et dicuntur duo. Primo, promittit laudem oris, præmissa ratione laudis. Secundo, laudatio operis, quæ melior est, præmissa etiam ratione, ibi, « *Deus meus es tu, et exaltabo te.* »

Dicit ergo : Sic monui diem solemnem constituere : et ego ipse dico, « *Deus meus es tu,* » jure creationis : et propter hoc « *confitebor tibi,* » confessione laudis. Isa. xxxvii, 16 : *Tu es Deus solus omnium regnorum terræ.* Et, ibidem, xxv, 1 : *Domine, Deus meus es tu, et confitebor tibi nomini tuo.*

« *Deus meus es tu,* » jure recreationis : et propter hoc, « *confitebor tibi, et exaltabo te,* » operibus bonis te exaltandum ostendam, et colendum. Tob. xiii, 6 : *Confitemini illi,* scilicet Domino, *regemque sæculorum exaltate in operibus vestris.* Eccli. li, 1 : *Collaudabo te Deum, salvatorem meum.* Exod. xv, 2 : *Iste Deus meus, glorificabo eum, Deus patris mei, et exaltabo eum.*

« *Confitebor tibi.* » Hic promittit se laudaturum, propter beneficium jam adeptum : unde tangitur primo laudis pro-

[1] Cf. Exod. xxiii, 15 et xxxi, 20 ; Deuter. xvi, 16.

missio. Secundo, laudis ratio, ibi, « *Quoniam exaudisti me.* »

In prima duo tanguntur, quia exaudivit, et in quo, ibi, « *Et factus es mihi in salutem.* »

Littera plana est, et legenda sicut supra. II Paral. xx, 9 : *Clamabimus ad te in tribulationibus nostris : et exaudies*, nos scilicet, *salvosque facies.* II Reg. xxii, 3 : *Salvator meus, de iniquitate liberabis me.*

29

« *Confitemini Domino.* » Hic tertium hujus partis, in quo postquam induxit ut diem constituant ad laudandum, et seipsum promisit laudaturum, concludit invitando cunctos ad Dei laudem : et dicuntur duo sicut supra. Primo, invitatio ad laudem. Secundo, ratio quare debeant consentire invitanti, ibi, « *Quoniam bonus.* »

Et tangitur duplex bonitas ipsius. Primo, absoluta. Secundo, comparata, ibi, « *Quoniam in sæculum misericordia.* »

Et legatur littera sicut supra, hoc addito : « *Quoniam* » Deus « *bonus* » est tactui, quia suavis est, Sapient. xii, 1 : *O quam bonus, et quam suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis !* Gustui, quia dulcis, Eccli. xxiv, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis.* Et, xlix, 21 : *Memoria ejus in omni ore quasi mel indulcabitur.* Olfactui, quia balsamum odoriferum valde, Eccli. xxiv, 2 : *Quasi balsamum non mistum, odor meus.* Genes. xxvii, 27 : *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* Auditui, quia verbum melodiosum, et dulcissimum, Eccli. vi, 5 : *Verbum dulce multiplicat amicos.* Visui, quia lumen temperatissimum, Eccli. xi, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Intellectui, quia veritas, Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Affectui, quia charitas est. Hæc in via hic, sed propter imperfectionem nostram minus plene, sed in patria hæc omnia erunt plenissime in suis, de quorum numero nos faciat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Bonitas Dei diffunditur in omnibus animæ facultatibus.

PSALMUS CXVIII.

Multis modis ostendit beatam vitam in legis observatione esse positam.

Alleluia.

Aleph. (א)

1. **Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.**
2. **Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.**
3. **Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.**
4. **Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.**
5. **Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas!**
6. **Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.**
7. **Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.**
8. **Justificationes tuas custodiam : non me derelinquas usquequaque.**

IN PSALMUM CXVIII

COMMENTARIUS.

« *Alleluia*[1]. »

« *Beati immaculati in via.* » Ecce Psalmus centesimus decimus octavus in toto libro, in tertia vero parte libri decimus octavus. Postquam enim egit de laude Dei pro filiorum vocatione, et eorumdem unione in fide et charitate in eis confirmata per lapidem angularem Christum, nunc intendit agere de diversitate meritorum fidelium in Ecclesia unitorum : unde sicut sol unus in se existens, multitudine radiorum totum illuminat mundum, sic Psalmus iste, tamquam spiritualis sol, diversorum meritorum radios ad nos emittit : et infelices qui aliquo ipsius non tanguntur radio, dicturi

Psalmus agit de diversis meritis fidelium incipientium, proficientium, et perfectorum.

[1] Le psaume CXVIII, le plus long de tout le psautier, se compose de 176 vers de douze syllabes disposés par séries de huit; chaque série correspond à l'une des lettres de l'alphabet hébreu, et chacun des huit vers commence par la même lettre. Ce poème didactique a pour sujet l'éloge de la loi de Dieu ; il est le développement de la seconde partie du Psaume XVIII. Les Pères et beaucoup d'interprètes subséquents l'ont attribué à David; plusieurs versets, 46 et 67, par exemple, sont difficiles à concilier ensemble dans cette hypothèse, et le style ordinairement très mouvementé et très poétique du roi prophète ne se reconnaît point ici. On croit communément aujourd'hui que le psaume est beaucoup plus récent. Thalhofer le fait écrire pendant l'exil : l'auteur n'y fait aucune allusion au temple ni aux sacrifices; il n'a qu'un seul culte, celui de la loi de Dieu. Pérowne le regarde plutôt comme postérieur au retour de Babylone : les Juifs sont sous une domination étrangère, ℣℣. 23, 46; cette époque est celle où la loi fut rappelée au peuple, et où des copies nombreuses en furent répandues par les soins d'Esdras et de Néhémie ; enfin, la disposition artificielle des strophes, où la suite des idées est totalement sacrifiée à l'ordre alphabétique, indique une époque de décadence de la poésie. Quelques commentateurs ont songé à Esdras ; d'autres, par suite d'idées préconçues, descendent jusqu'à l'époque des Machabées. La date la plus probable du psaume doit certainement être cherchée dans la période qu'indique Pérowne ; mais nous manquons d'éléments pour la fixer avec quelque précision. « Il est maintenant impossible, dit Jennings, « de rattacher ce psaume à une époque précise « de l'histoire Juive. Sa place dans le psautier « est *a priori* une raison pour l'assigner au « temps qui suivit la captivité ; mais comment « hasarder une autre date, quand nous ne « pouvons même pas déterminer si l'oppres- « sion des impies dont se plaint le psalmiste, « provient des Juifs ou des magistrats étran- « gers? » Le texte ne nous fournit pas non plus des données bien explicites sur la personnalité de l'auteur. Des ℣℣, 9, 99 et 100, on ne peut conclure sûrement que le psalmiste ait été un jeune homme, comme le pense Delitzsch ; mais ajoute avec raison cet auteur, « il est méprisé, maltraité, persécuté par les « adversaires de la parole de Dieu, et en par- « ticulier par un gouvernement ennemi de la « vrai religion, ℣℣. 23, 46, 161 ; il est dans les « fers, ℣℣. 61, 83, et il s'attend à la mort, « ℣. 109; mais il reconnait dans ses souffrances « une humiliation salutaire envoyée de Dieu ; « aussi la parole de Dieu est-elle sa conso- « lation et sa sagesse. Il souhaite ardem- « ment le secours et il l'implore. Le « psaume entier n'est qu'une prière pour « demander la fermeté au milieu d'une société « impie et dégénérée, dans l'affliction profonde « encore augmentée par le chagrin que lui « cause la défection générale .» Le psalmiste aurait donc composé son poème pour occuper et consoler les longs loisirs que lui faisait la persécution.

Delitzsch essaie de trouver une suite et un développement logique dans les pensées du psalmiste ; mais cette tentative n'est point couronnée de succès ; il est bien vrai que la situation et la disposition de l'auteur ne sont point imaginaires, et sont fondées sur des événement réels ; mais ce qui frappe à la lecture du poème, c'est la juxtaposition des strophes, des vers, et assez souvent même des hémistiches, et en aucune façon leur enchaînement. Nulle doute que l'auteur n'ait eu en vue l'expression de ses sentiments aucun autre ordre que celui des lettres de l'alphabet. Du

sunt illud Sapient. v, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Pro tanto ergo beneficio, et tam multiplici, laudandus est vere Deus.

Unde Psalmus intitulatur a fine et intentione narrantis has diversitates meritorum, et præponitur, « *Alleluia.* »

Psalmus autem dividitur in tres partes, secundum tres meritorum diversitates. In prima ergo agit de meritis incipientium. In secunda, de meritis proficientium, ibi, ℣. 33 : « *Legem pone.* » In tertia, de meritis perfectorum, ibi, ℣. 129 : « *Mirabilia testimonia.* »

In prima duo, secundum duo quæ sunt incipientibus necessaria. Primum est recessus a malo. Secundum vero accessus ad bonum, ibi, ℣. 17 : « *Retribue servo.* »

In prima duo, secundum duo quæ concurrunt ad recessum a malo. Primum est cessatio a malo, et hoc primo. Secundum, correctio ipsius mali, et destructio in seipso per pœnitentiam, ibi, ℣. 9 : « *In quo corrigit.* »

In prima dicuntur duo secundum causam duplicem cessandi a peccato. Una est intuitu præmii, et de hoc primo. Secundo, intuitu divini præcepti, et de hoc secundo, ibi, ℣. 4 : « *Tu mandasti.*

In prima duo. Primo, commendat statum cessantium a peccato, quos *immaculatos* appellat. Secundo, a contrario vituperat non cessantium statum, ibi, ℣. 3 : « *Non enim qui operantur.* »

In prima duo. Primo, fideles immaculatos, hoc est, a peccato cessantes bea-

reste, le psaume a presque partout la forme déprécatoire, et l'âme qui prie s'inquiète peu de la logique et de l'enchaînement de son discours.

Voici comment, en groupant les différentes idées exprimées par le psalmiste, on peut se rendre compte des sentiments qui l'inspirent : 1° Ceux qui aiment et pratiquent la loi sont bienheureux (℣℣. 1, 7, 14, 16, 22, 24, 45, 50, 52, 72, 79, 103-105, 114, 162, 165). 2° Cette loi, révélée par la parole de Dieu, est un prix inestimable (℣℣. 89 91, 96, 137, 138, 140, 142, 144, 152, 156, 160). 3° C'est elle qui donne la vraie sagesse (℣℣. 98-100, 130). 4° Et qui préserve du mal (℣℣. 9-11). 5° Elle est enseignée par Dieu lui-même (℣℣. 12, 18, 26, 27, 29, 33, 34, 38, 43, 64, 66, 68, 73, 102, 108, 125, 135, 169). 6° Aussi le psalmiste la désire et l'aime de tout son cœur (℣℣. 20, 31, 40, 47, 70, 77, 111, 113, 127, 128, 131, 159, 163, 167). 7° Il la médite sans cesse (℣℣. 13, 14, 30, 48, 54, 55, 59, 62, 97, 147, 148, 164). 8° Il s'applique à lui être fidèle (℣℣. 17, 44, 56, 57, 60, 63, 80, 93, 101, 106, 112, 115, 120, 121, 129, 141, 166, 168). 9° Il est en butte à de dures épreuves (℣℣. 8, 19, 25, 28, 32, 39, 42. 82, 83, 92, 107, 109, 143, 153). 10° Il est violemment persecuté (℣℣. 23, 46, 51, 61, 69, 84-87, 95, 110, 134, 157, 161), mais la loi de Dieu le console et le soutient dans ses tribulations. 11° Il est animé d'un saint zèle contre le mal (℣℣. 53, 126, 136, 139, 150, 158). 12° Il sait que les méchants n'échapperont pas à la justice divine (℣℣. 21, 78, 118, 119, 155). 13° Le psalmiste persécuté demande à Dieu sa grâce pour rester attaché à sa loi sainte, malgré les difficultés qui se dressent devant lui (℣℣. 35, 37, 41, 49, 58, 76, 81, 88, 94, 116, 117, 122-124, 132, 133, 145, 146, 149, 154, 170, 173-176). 14° Il le remercie des bienfaits qu'il lui a accordés (℣℣. 65, 74, 151, 171, 172), 15° et même de ses épreuves qui l'ont rendu meilleur (℣℣. 67, 71, 75).

L'idée fondamentale du poème est donc la fidélité à la loi divine. Cette loi est appelée de dix noms différents, par allusion, disaient les rabbins, aux dix préceptes du décalogue : תורה, *thorah*, la loi ; עדות, *hedoth*, les témoignages ; פקודים, *piqqoudim*, les ordonances ; חקים, *chouqqim*, les préceptes ; מצות, *mitsoth*, les commandements ; משפטים, *mishpatim*, les arrêts, דרך, *derek*, la voie ; ארח, *orach*, le sentier ; דבר, *dabar*, et אמר, *emer*, la parole. Ces différents noms sont tous pris a peu près dans le même sens, pour signifier la loi et la parole de Dieu. « Quæ voces, quamquam videantur in « specie differre significatione, in hoc tamen « psalmo tamquam synonymæ promiscue usur« pantur ad significandam legem Dei et doc« trinam ab eo traditam, adeo ut psaltes so« lum voluerit hac varietate appellationum eo « plus reverentiæ et dignitatis doctrinæ et legi « divinæ conciliare, variasque ejus qualitates, » notas, proprietates et effectus indicare. » Bellenger. L'un ou l'autre de ces noms se lit dans chaque verset, sauf dans le ℣. 122 ; dans les ℣℣. 84 et 132, le mot *mishpat* est employé, mais non commune synonyme de la loi de Dieu.

tificat. Secundo, assignat causas quare, ibi, « *Qui ambulant.* »

Et assignat causam triplicem. Prima est, quia legem divinam custodiunt. Secundo, quia ipsam inquirunt, ibi, ℣. 2 : « *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* » Tertio, quia toto corde Deum perquirunt, ibi, « *In toto corde.* »

ALEPH (א).

I Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Immaculati,* » sine macula peccati viventes, « *in via,* » ad litteram in præsenti vita, quæ debet esse via ad vitam, sunt « *beati :* » quippe quia nimis arduum et difficile est, quamdiu sumus in hac vita, quin et nos maculemur. Eccli. XIII, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Sed in patria non est sic, Apocalyps. XIV, 5 : *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Existentes etiam in via fidei. Fides enim formata via est. Isa. XXX, 21 : *Hæc est via, ambulate in ea.* II ad Corinth. V, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.* In hac qui vere sunt, immaculati sunt. Ipsa enim a macula mundat. Psal. XVIII, 8, supra : *Lex Domini immaculata :* lex Domini, fides scilicet formata, immaculata, per effectum : *convertens animas.* Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Via est Christus, qui dicit, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Per hanc pollutus non incedit. Isa. XXXV, 8 : *Via sancta erit, et non transibit pol-*

Beati, in via vitæ, fidei, et Christi existentes immaculati.

Malgré l'apparente simplicité des idées qu'il exprime, le *Beati immaculati* a un fonds d'une richesse inépuisable et parfois d'une profondeur étonnante. « Quanto videtur apertior, « tanto mihi profundior videri solet... disait « S.-Augustin. Aliorum quippe qui dificile « intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus « latet, ipsa tamen apparet obscuritas ; hujus « autem nec ipsa ; quoniam talem præbet su- « perficiem, ut lectorem atque auditorem, non « expositorem necessarium habere credatur. » Les Pères, surtout S. Hilaire, S. Ambroise et S. Augustin en ont donné des commentaires très étendus, prouvant par là aux esprits superficiels toute l'attention que mérite ce psaume. L'Eglise l'a inséré tout entier dans son office quotidien ; c'est une de ces prières que l'amour « dit toujours, mais qu'il ne répète jamais, » tant l'âme chrétienne sait, avec la grâce de Dieu, mettre de variété, de tendresse et d'élan toujours nouveau dans cette longue protestation de fidélité à la loi divine. Plus encore peut-être que la plupart des autres psaumes, celui-ci s'accommode à tous les états d'âme. « Potest hic psalmus, écrit Théodoret, « et exquisitæ virtutis studiosos in ipsa perfi- « cere, et segniter viventes ad studium accen- « dere, et mærentes recreare, et corrigere « pigros, et, ut uno verbo dicam, universi ge- « neris medicinam variis hominum morbis « adhibere. » S'il en est ainsi, qui donc serait autorisé à se plaindre de sa récitation quotidienne ? D'ailleurs, il faut bien se souvenir que « ce ne sont pas de simples réflexions que « l'Eglise nous donne à méditer, ce sont des « affections qu'elle nous demande. Elle veut « élever vers Dieu notre cœur encore plus que « notre esprit diriger toutes nos aspirations « vers l'accomplissement de sa volonté, en « faire l'objet de nos vœux comme de nos réso- « lutions. Qui ne voit les conséquences d'une « telle pratique si souvent répétée ? Qui ne « sent l'influence qu'une telle prière doit « exercer sur le cœur de Dieu et sur l'âme de « ses ministres ? » Bacuez, du S. Office, *Petites Heures*. Aussi Bossuet réclama-t-il avec énergie contre les novateurs qui voulaient supprimer la récitation quotidienne du psaume dans le Bréviaire. Pascal, dit Mme Périer, sa sœur, dans la vie qu'elle a écrite de lui, « avait « un amour sensible pour tout l'office divin, « mais surtout pour les petites Heures, parce « qu'elles sont composées du Psaume CXVIII, « dans lequel il trouvait tant de choses admi- « rables, qu'il sentait de la délectation à le « réciter. Quand il s'entretenait avec ses amis « de la beauté de ce psaume, il se transpor- « tait en sorte qu'il paraissait hors de lui- « même ; et cette méditation l'avait rendu si « sensible à toutes les choses par lesquelles on « tâche d'honorer Dieu qu'il n'en négligeait « pas une. » Fasse Dieu que tous ceux qui sont obligés par état à réciter si souvent le *Beati immaculati*, éprouvent en le disant les mêmes sentiments que ressentait le grand philosophe !

H. Lesêtre.

lutus per eam. In via ergo vitæ, fidei, et Christi existentes immaculati, « *beati* » sunt. Eccli. xxxi, 8 : *Beatus dives, qui inventus est sine macula*, beatitudine viæ. Per pulchras enim vias incedere, quædam beatitudo est. Et, Proverb. iii, 17, dicitur : *Viæ ejus*, Dei scilicet, *viæ pulchræ*. « *Qui ambulant*, » id est, quia illa ambulant, « *in lege Domini*, » ipsam custodiendo. Exod. xvi, 4 : *Tentem eum*, scilicet populum, *utrum ambulet in lege mea, an non.* Non enim sistendum in via Dei, nec in lege, sed semper ambulandum. Sapient. vii, 22 : *Spiritus intelligentiæ*, qui monet in hac via existentem, *mobilis est.* Joan. xii, 35 : *Ambulate dum lucem habetis*, divinæ legis. Proverb. v, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux.*

2 « *Beati qui scrutantur.* » Hic tangitur causa secunda beatitudinis.

Quasi diceret : Sic beati qui ambulant in lege, et etiam « *beati qui*, » id est, quia illi « *scrutantur*, » diligenter perquirendo, « *testimonia ejus*, » Scripturas scilicet sacras, quæ ei testificantur. Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas :... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et per hoc beati sunt vere jam in via, quia, Proverb. iii, 13, dicitur : *Beatus homo qui invenit sapientiam*, qua cognoscuntur æterna. Et hæc invenitur in sacra Scriptura. Joan. xvii, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* : quæ jam inchoat hic in via, in patria consummanda. Baruch, iii, 4 : *Beati sumus, Israel, quoniam quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Et hæc manifestatio per Scripturas scrutatas invenitur. Cum scrutamur Scripturas sacras, tunc nobis loquitur, et sapientiam suam nos facit audire. III Reg. x, 8 : *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* Et bene præmisit, sicut vult Glossa, quod *immaculati*, et *in lege ambulantes*, quia aliter non est quis dignus scrutari Scripturas et perquirere, nisi sit probatæ vitæ.

« *In toto corde.* » Hic tertia causa. Quasi diceret : Sic sunt beati immaculati, quia legem custodiunt, Scripturas scrutantur, et etiam quia illi « *exquirunt eum*, » Deum scilicet, « *in toto corde*, » non in cordis parte, ne dicatur eis illud Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Eccli. i, 36 : *Ne accesseris ad illum duplici corde*, sed toto et integro : sic poteris invenire. Deuter. iv, 29 : *Invenies Deum, si tamen toto corde quæsieris eum.* Jerem. xxix, 13 : *Quæretis me, et invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro.*

« *Non enim qui operantur iniquitatem.* » Hic secundum, in quo commendato statu bonorum cessantium a peccato intuitu præmii, sequitur vituperatio status permanentium in peccato. 3

Ait enim : Tales, scilicet immaculati, beati : « *enim*, » sed, « *qui operantur iniquitatem*, » non solum exterius, sed etiam interius : et appellat *iniquitatem* omne peccatum. I Joan. iii, 4 : *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit : et peccatum est iniquitas.* « *Non ambulaverunt in viis ejus*, » Dei scilicet, id est, a Deo statutis : quippe talis tortuose incedit, et viæ justorum sunt rectæ. Isa. xxvi, 7 : *Semita justi recta est, rectus collis justi ad ambulandum.* Talis ambulat in tenebris. Proverb. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Ambulat etiam in limosis, et lutosis, in quibus usque ad umbilicum infigitur frequenter, secundum illud Psal. lxviii, 3, supra : *Infixus sum in limo profundi.* Sapient. v, 7 : *Ambulavimus vias difficiles*, ad exeundum de illis. Sed via justi pulchra, et munda, etc. Proverb. iii, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et semitæ ejus semitæ pacificæ.*

« *Tu mandasti.* » Hic secundum hujus partis, in qua agit de cessatione a malo. 4

Postquam enim tetigit de cessatione a malo intuitu præmii, subjungit de cessatione intuitu divini præcepti : et dicuntur duo. Primo, miratur divinæ jussionis districtionem. Secundo, subjungit supplicationem, ut detur ei custodire quod jubet Dominus, et in custoditis perseverare, ibi, ℣. 5 : « *Utinam dirigantur.* »

Dicit ergo : Sic isti non ambulant in viis tuis, et tamen « *tu mandasti*, etc. » Vel sic, secundum divisionem dictam, continua : Qui ambulant, sunt beati, et propter hoc ambulant, et etiam quia « *tu*, » cui obediendum magis quam aliis. Act. v, 29 : *Oportet obedire Deo, magis quam hominibus.* Et, iv, 19 : *Petrus vero et Joannes respondentes, dixerunt ad eos*, scilicet ad principes sacerdotum : *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate.* « *Tu mandasti*, » per legem et prophetas : « *mandata tua :* » non figuralia, quæ fuerunt umbra tantum, et dicuntur *lex.* Ad Hebr. x, 1 : *Umbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem :* nec prohibitiones, quæ *testimonia* appellantur. Supra, in eodem, ℣. 2 : *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* Sed *mandata*, quæ sine omni velamine sunt in jussione ut fiant, qualia præcepta affirmantia moralia. Matth. iv, 10 : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*[1]. Et illud, Exod. xx, 8 : *Memento ut diem sabbati sanctifices.* Et, Deuter. vi, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. « *Custodiri nimis.* » Non notat superfluitatem, sicut, Eccle. vii, 17 : « Noli esse nimis justus[2], » secundum aliam litteram : sed diligentiæ magnitudinem, in custodiendo super magnitudinem dilectionis et exaltationis. In Psal. cxxxviii, 17, infra : *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.*

« *Utinam dirigantur.* » Hic subjungitur supplicatio : et duo petit. Ut detur ei 5
mandata custodire, et hoc primo. Secundo, ut in custodia jugiter perseverare, ibi, in medio ℣. 8 : « *Non me derelinquas.* »

In prima duo. Primo, supplicatio, seu desiderii sui manifestatio, quod et quædam supplicatio est. Secundo, persuasio ut acquiescatur desideranti, ibi, ℣. 7 : « *Confitebor tibi.* »

In prima duo. Primo, exponit desiderium. Secundo, tangit motivum ad desiderandum, ibi, ℣. 6 : « *Tunc non confundar.* »

Dicit ergo : Sic beatus est, qui immaculatum se servat, et custodit quæ mandasti custodiri : et ideo dico, « *Utinam*, » desiderium exprimit et affectionem, « *dirigantur*, » a te non ab alio, « *viæ meæ !* » ad quid ? « *ad custodiendas justificationes tuas.* » Jerem. x, 23 : *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet, et dirigat gressus suos.* Proverb. xvi, 9 : *Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus.* Propter hoc orat in Psal. xxvi, 11 : *Deduc me, Domine, in via tua, et dirige me in semita recta.* Dirigitur autem per charitatem, quia Augustinus dixit : « Bona opera extra charitatem sunt cursus extra viam : cursus, inquam, inutilis, et tortuosus. » I ad Corinth. xiii, 1 : *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

« *Tunc non confundar.* » Hic secundum, scilicet ratio quare petit.

Ait enim : Sic desidero, quia « *cum perspexero in omnibus mandatis tuis*, » non in aliquibus tantum, « *non confundar.* » Imo, bene pateris confundi post mandatorum Dei inspectionem : inspe-

[1] Cf. Deuter. vi, 13.

[2] Vulg. habet, Eccle. vii, 17 : *Noli esse justus multum.*

xisse enim non facit vitare confusionem, sed fecisse. Jacob, IV, 7: *Ille servus, qui cognoscit voluntatem domini sui... et non fecit, valupabit multis*, scilicet plagis. Et, Jacob. I, 23 et 24: *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit.* Cur non similiter, si quis inspector est, imo magis similiter? Responsio.

Quid sit mandata Dei perspicere? Vis facienda est in hoc quod dicit *perspexero*, id est, perfecte inspexero : inspicit enim, qui cogitat, et intelligit : sed perspicit, qui intelligit et facit. Jacob. I, 25: *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit.*

Et dicit, *In omnibus*, non in quibusdam, quia Jacob. II, 10: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*, quoad pœnam damni, etsi non quoad pœnam sensus. Sed qui in omnibus perspicit, ut dictum est, non confunditur confusione mala, de qua, Eccli. IV, 25 : *Est confusio adducens peccatum.* Eccli. XXIV, 30 : *Qui audit me, non confundetur.* Generat enim perspicere spem, de qua scriptum est, ad Roman. V, 5: *Spes autem non confundit*, sed infundit, ut dicit Bernardus.

7 « *Confitebor tibi.* » Hic est secundum, in quo subjungitur persuasio a duobus. A confessione laudis, qua confitebitur instructus et directus in mandatis. Secundo, a promissione adimplendi Dei justificationes, ibi, ℣. 8 : « *Justificationes tuas.* »

In prima tria tanguntur. Promissio confessionis primo. Et modus confitendi secundo, ibi, « *In directione.* » Et ratio confitendi, ibi, « *In eo quod didici.* »

Dicit ergo : Sic desidero, ut evitem confusionem : quod si dederis, « *confitebor tibi,* » confessione laudis, et gratiarum actionis, et non ero ingratus, sciens quod Joas, rex Juda, et filius ejus, non sunt annumerati in genealogia regum [1], quia fuerunt ingrati beneficiis Joiadæ, summi pontificis, interficientes filium suum, Zachariam, inter templum et altare [2]. Sapient. XVI, 29 : *Ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet.* Psal. XLVIII, 19: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.*

Confitebor ergo, et hoc « *in directione cordis mei,* » supple, ad te : qui enim ad hoc benedicit ut hominibus placeat, ut aliquid temporale acquirat, procul dubio non confitetur in directione cordis. Confitendum enim est Domino in corde vivo. Eccli. XVII, 26 : *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.* Psal. CXIII, 17 : *Non mortui laudabunt te, Domine.* Isa. XXXVIII, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi.* Et corde integro, non partito. Supra, in Psal. CX, 1 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Quippe partitum mortuum est. Osee, X, 2: *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Et in recto, et directo ad te, sicut hic dicitur. Et sic confitentem Deus trahit ad se. Job, XXXIV, 14 : *Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet.* Quomodo sit confitendum?

Sic ergo confitebor « *in eo,* » id est, propter, « *quod didici,* » a te, non ab alio. Joan. VI, 45 : *Erunt omnes docibiles Dei.* « *Judicia justitiæ tuæ,* » judicia discretionis in præsenti, quibus apud te discernis bonos a malis, secundum illud Psal. XLII, 1 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* Joan III, 18: *Qui non credit, jam judicatus est.* Et judicia diffinitionis et retributionis in futuro, de quibus, Daniel. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt*, et judicati sunt ex iis, quæ scripta erant in libris.

[1] Cf. Matth. I, 1 et seq.

[2] Cf. II Paralip. XXIV, 22: Matth. XXIII, 35; Luc. XIII, 34.

8 « *Justificationes tuas.* » Hic secundum, per quod suadet, et quasi diceret : Sic laudabo, insuper et « *custodiam justificationes tuas,* » opera justitiæ faciendo. Supra, in Psal. CIV, 44 et 45 : *Dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt : ut custodiant justificationes ejus.*

« *Non me derelinquas.* » Hic secundum, quod petit, scilicet ut ei detur perseverare in custodia mandatorum et justificationum.

Ait enim : Sic desidero ut dirigantur viæ meæ : et tunc custodiam justificationes : et tu, Domine, « *non me derelinquas usquequaque,* » hoc est, finaliter : secundum aliam litteram, « usque valde. » Deus enim ad modicum aliquando suos derelinquit. Isa. LIV, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te,* supple, et hoc passionibus aliquando exponendo. Aliquando vero exponendo tentationibus, ut virtus perficiatur, sicut Paulum, cui datus est angelus Satanæ, stimulus scilicet carnis suæ, ut ipsum colaphizaret[1]. Et in eodem, II ad Corinth. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.* Sed derelinquit usque valde, quando in impatientiam, vel in mortalem culpam cadere permittit. Supra, in Psal. LXX, 11 : *Deus dereliquit eum : persequimini, et comprehendite eum.*

In hoc octonario, in quo ostenditur quomodo cessatur a peccato intuitu præmii, et mandati Dei, et oratur ut detur intelligere mandata, et proficere, et perseverare, et ob hoc bene ALEPH (א), quod interpretatur *doctrina*, præponitur.

BETH (ב)

9. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

10. In toto corde meo exquisivi te : ne repellas me a mandatis tuis.

11. In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.

12. Benedictus es, Domine : doce me justificationes tuas.

13. In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.

14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

15. In mandatis tuis exercebor, et considerabo vias tuas.

16. In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos.

[1] II ad Corinth. XII, 7 : *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet.*

Beth (ב)

« *In quo corrigit.* » Actum est in præcedenti octonario, de merito incipientium, quantum ad cessationem a malo, hic quantum ad correctionem mali, a quo cessatum est, quod non fit nisi per custodiam legis Dei.

Sic ergo procedit in hac parte. Primo, ostendit per quid sit vitæ correctio, in illo etiam qui magis fervens est in peccato, scilicet adolescens. Secundo, petit in persona talis, ut ei detur legis adimpletio, ibi, ℣. 10 : « *In toto corde.* » Tertio, promittit, ut persuadeat, et illum moveat a quo petit, ibi, ℣. 15 : « *In mandatis.* »

In prima duo, per quæ propositum ostendit. Primo, interrogatio. Secundo, responsio, ibi, « *In custodiendo sermones.* »

9 Dicit ergo : Sic dixi, quod justificationes tuas custodiam, et justum est, quia « *in quo corrigit ?* » id est, per quid corrigit, « *viam suam,* » lubricam, et tenebrosam. Supra, in Psal. XXXIV, 6 : *Fiat via illorum tenebræ, et lubricum.* « *Adolescentior,* » id est, adolescens : comparativum enim ponit pro positivo. Ili enim sunt, qui ad litteram dicunt illud Sapient. II, 6 : *Venite, et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter.* Et, infra ℣. 8 : *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra.* Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ. Luc. XV, 13, adolescentior illius totam *dissipavit substantiam suam* cum meretricibus, *vivendo luxuriose.* Adolescentes etiam, imo pueri possunt dici peccatores, qui relictis veris bonis, adhærent temporalibus his caducis, et vanis, de quibus, Isa. LXV, 20 : *Puer centum annorum maledictus erit.* Et Paulus, I ad Corinth. XIV, 20 : *Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.*

Vel, in bono : Adolescens quicumque veteri vita dimissa novus efficitur, et sequitur Adam novum. Adolescens ergo in quo corrigit viam suam ? Et respondet : « *In custodiendo,* » in opere, « *sermones tuos,* » qui recti sunt, imo regula. Seneca : « Distorta non nisi ad regulam « corriges. » Et vere adolescentiores corriguntur ad regulam sermonis Dei, non senes, et inveterati in sua malitia. Propter quod dicitur, Eccli. VI, 18 : *Fili, a juventute tua excipe doctrinam,* scilicet sermonem Dei, *et usque ad canos invenies sapientiam.* Proverb. XXII, 6 : *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Propter hoc dicitur, Thren. III, 27 : *Bonum erit viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Sed de inveteratis dicitur, Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.*

« *In toto corde meo.* » Hic secundum, in quo petit duo. Primo, petit illuminari 10
ad intelligentiam mandatorum. Secundo, gratia perfundi ad impletionem intellectorum, ibi, ℣. 12 : « *Benedictus es.* »

In prima tria. Primo, petitionis modus. Secundo quid petatur, ibi, « *Ne repellas me.* » Tertio, probatio quod exaudiendus, ibi, ℣. 11 : « *In corde meo.* »

Ait enim : Sic in custodiendo sermones viam corrigit adolescens : ergo, Domine, « *exquisivi te,* » id est, rogavi te : et hoc, « *in toto corde meo : ne repellas,* » quia dicit Augustinus : « Qui non toto corde « quærit, negligens est, et repelli- « tur. » Sed secundum hoc omnes repelluntur. Quis enim potest in hac vita toto corde exquirere ? maxime de inchoantibus, de quibus hic loquitur, cum beatus Augustinus dicat, quod « hoc

« mandatum : Diliges Dominum Deum « tuum, ex toto corde tuo, non possit « impleri in via? » Sed responsio est, quod hic intelligendum est de totalitate apta, ut non sit cor in mortali culpa, non de totalitate æqua, quæ caret etiam veniali. Joel, II, 12 : *Convertimini ad me*, supple, rogandum, *in toto corde vestro*. Et quid quæris in toto corde? « *Ne repellas me a mandatis tuis,* » intelligendis, saporandis, sicut repellis non toto corde rogantes, sed terrenis adhærentes. Sapient. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia*. Tepidus enim est, qui nec charitate fervet in Domino, nec est frigidus algore majorum iniquitatum. Talem expellit Dominus, et projicit. Apoc. III, 16 : *Quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*. Genes. III, 17 et seq., Adam post culpam de paradiso sermonum Dei, et a ligno vitæ, sacra scilicet arcetur intelligentia. Proverb. III, 18 : *Lignum vitæ*, dicitur de sapientia, *est his omnibus qui apprehenderint eam*. Legit etiam Glossa de Doctoribus, et Prælatis, sicut planum est in illa.

11 « *In corde meo.* » Hic secundum. Probat enim quod exaudiri debeat ratione quasi duplici : quia in memoria mandata tenuit, et quia bona intentione hoc fecit, ibi, « *Ut non peccem tibi.* »

Ait enim : Sic rogo, Ne repellas, et debes audire, quia « *abscondi eloquia tua,* » tamquam thesaurum pretiosissimum, et gemmas pretiosissimas, « *in corde meo.* » Matth. XIII, 44 : *Simile est regnum cælorum*, sacra scilicet scientia, divina eloquia (Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei*, scilicet sacra scientia) *thesauro abscondito in agro*, in corde scilicet humano. Proverb. X, 14 : *Sapientes abscondunt scientiam*.

Docti cavere debent ne peccent adulatione, vel

Et hoc, « *ut non peccem tibi,* » aliquo quatuor modorum peccandi qui tanguntur in Glossa : vel adulatione, ut placeam hominibus. Scio enim illud Psal. LII, 6 : *Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent*. Et Ezechias peccavit thesauros ostendendo nuntiis regis Babylonis[1]. Vel avaritia, ut aliquid lucretur temporale, sciens quia scriptum est, Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date*. Vel jactantia, quod plura noverim ostentando, sciens illud Psal. XI, 4 : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam*. Vel loquacitate incauta, timens illud Proverb. X, 19 : *In multiloquio non deerit peccatum*. Prius enim volo audire, et in corde meo retinere, quam aliis respondere. Proverb. XVIII, 13 : *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum*. Propter hoc dicit Jacobus, I, 19 : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Luc. II, 19 : *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*. Eccle. III, 7 : *Tempus tacendi, et tempus loquendi*. Nec est hoc contra illud quod dicitur supra, in Psal. XXXIX, 11 : *Justitiam tuam non abscondi in corde meo : veritatem tuam, et salutara tuum dixi*. Et, Matth. XXV, 26, damnatur servus inutilis, qui abscondit pecuniam domini sui. Hic loquitur in statu incipientium, qui adhuc silere debent : in aliis autem locis in statu Prælatorum, et provectorum. Vel, hic loquitur de absconsione, quantum ad canes et ad porcos : ibi vero quantum ad pios auditores. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus*, etc.

avaritia, vel jactantia, vel loquacitate incauta.

« *Benedictus es.* » Hic secundum, in 12
quo petit secundam gratiam dari, ut possit implere quæ cognovit : et dicuntur tria. Primo, ostendit Dei benignitatem, et mansuetudinem. Secundo, subjungit petitionem, ibi, « *Doce me.* » Tertio, persuasionem, ibi, ỳ. 13 : « *In labiis meis.* »

Dicit ergo : Sic petii, ne me repellas,

[1] Cf. IV Reg. XX, 12, et Isa. XXXIX, 1 et seq.

et etiam, « *Domine, benedictus es,* » et in teipso, qui es æterna et summa benedictio, et in tuis, in quos gratiam infundis, et sic eos benedicis. Psal. LXXXIII, 8 : *Benedictionem*, gratiæ ipsam infundendo, *dabit legislator*. II ad Corinth. I, 3 : *Benedictus Deus, et pater Domini nostri Jesu Christi*. Et quia sic benedictus, « *doce me,* » supple, facere, non tantum intelligere, ut supra petii, « *justificationes tuas :* » sine te enim non possum. Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine*. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere*. Ad Philipp. II, 13 : *Deus qui operatur in nobis velle et perficere, pro bona voluntate*.

13 « *In labiis meis*. » Hic persuasio. Persuadet autem a duobus. A manifestatione judiciorum Dei aliis, vel interiori discussione, et hoc primo. Secundo, a delectatione spirituali in mandatis Dei, ibi, ℣. 14 : « *In via testimonium*. »

Quasi diceret : Sic rogo, quod doceas me facere justificationes tuas : et hoc necesse ut faciam, quia « *pronuntiavi in labiis meis,* » distincte et discrete aliis, « *omnia judicia oris tui*. » Psal. XXXIX, 10 : *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo*, etc.

Sed contra : Statim dixit, quod abscondit eloquia Dei in corde : eloquia autem Dei, judicia Dei sunt. Respondeo. Distingue tempora. Primo quidem eloquia Dei sunt abscondenda, et maxime canibus et porcis, postmodum publicanda his a quibus speratur fructus fidei et bonæ operationis. Et est optima ratio, quare debet dare ut faciat. Rector enim aliorum prius debet facere, quam alios doceat. Act. I, 1 : *Cœpit Jesus facere, et docere*. Ad Roman. II, 21 : *Qui alium doces, teipsum non doces ?*

Vel, posset intelligi de labiis cordis interioribus, non de labiis exterioribus, quæ Seneca vocat *summa* : « Non, inquit, a summis labiis ista venerunt. » Habent enim fundamenta duo, scilicet labia interiora, intellectum scilicet et affectum. Sophon. III, 9 : *Quia tunc reddam populis labium electum*, ut interius in corde suo primo pronuntient, quam labiis exterioribus exterius proferant. Sic enim proferre exterius, ut non discernatur interius, est confundere labium, quemadmodum factum est in ædificantibus turrim Babylonicam [1]. Da ergo facere, quia « *in labiis,* » interioribus prius, « *pronuntiavi omnia judicia,* » tam illa quibus judicas in præsenti, quam illa quibus judicaturus es in futuro, de quibus in Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa*. Ad Roman. XI, 33 : *O altitudo sapientiæ, et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !* « *Judicia,* » inquam « *oris tui,* » id est, per os tuum, quemcumque prophetarum, mihi ostensa. Prophetæ enim ora sunt, Isa. LVIII, 14 : *Os enim Domini locutum est*. Et, Jerem. XV, 19 : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*.

« *In via testimoniorum*. » Hic secundum, in quo suadet a delectatione in mandatis Dei. 14

Ait enim : Sic doce facere, quia pronuntiavi, et etiam « *delectatus sum,* » interius in corde, « *in via testimoniorum tuorum*. » Nota, sicut vult Glossa, quod testimonia dilectionis Dei ad nos sunt beneficia semper generi humano a Deo exhibita, potissime illa quæ per Christum sunt nobis exhibita, sicut Incarnatio, Passio, et alia hujusmodi, in quorum via, id est, exhibitione ordinata, delectandum. Supra, in Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei*, supple, in beneficiis suis, *et delectatus sum*. Et alibi, Psal. XCI, 5 : *Delectasti me, Domine, in factura tua*, in his scilicet quæ pro me fecisti.

[1] Cf. Genes. XI, 8 et 9.

In his delectatus sum, « *sicut in omnibus divitiis,* » non temporalibus, et corporalibus, quas Paulus vocat *stercora.* Ad Philip. III, 8 : *Omnia arbitror ut stercora.* Thren. IV, 5 : *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Et stercora, non ad fructum foventia, sed excæcantia. Tob. II, 11, stercora excæcaverunt oculos Tobiæ. Sed etiam spiritualibus, quales sunt Philosophorum et omnium hujusmodi scientiæ. Et minus dicit, et plus significat : multo enim magis in his testimoniis delectandum.

Testimonia etiam possunt dici sacræ Scripturæ, de quibus potest dicere Deus : *Scrutamini Scripturas :... et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me* [1]. Via autem ad hæc testimonia intelligenda, Christus est. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* In hac delectandum super omnes divitias et thesauros. Job, XXVIII. 13 : *Nescit homo pretium ejus.* Et, paulo post, ℣. 15 : *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione illius.* Sapient. VII, 8 : *Præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Quippe ipse est, de quo Apostolus, ad Coloss. II, 3 : *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.*

15 « *In mandatis tuis.* » Hic tertia pars, in qua postquam ostendit in quo sit correctio peccati, et petiit ut hoc detur ei, promittit ut judicem efficacius movere possit. Quatuor autem promittit si Deus præcedentia dederit. Primum est exercitatio in mandatis divinis. Secundum, consideratio divinæ justitiæ et pietatis, ibi, « *Et considerabo.* » Tertium, meditatio in cæremoniis institutis, ut intelligatur interior sensus spiritualis, ibi, ℣. 16 : « *In justificationibus.* » Quartum, jugis verborum Domini recordatio, ibi, « *Non obliviscar.* »

Dicit ergo : Sic peto mihi dari, quo via corrigatur : et tunc, o Domine, « *exercebor in mandatis tuis,* » usu exterioris operis, terram corporis exercendo, et colendo, et sic ædificando ulterius conscientiam meam, secundum illud Proverb. XXIV, 27 : *Diligenter exerce agrum tuum, et postea ædifices domum tuam.* Non ero otiosus. Proverb. XXXI, 27 : *Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit.*

« *Et considerabo,* » diligenter cogitando, « *vias tuas,* » veritatem scilicet et misericordiam. Supra, in Psal. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas.* Et sequitur, sicut Glossa dicit optime, consideratio cognitionis ad impletionem divinæ jussionis. Psal. CXVIII, 104 : *A mandatis tuis intellexi.* Et supra, Psal. CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Et Glossa hic : « Nemo enim ad penetralia intellectus « pervenit, nisi vita pura prius proxi- « mus fuerit. » Sed contrarium videtur : multi enim vita longe, et peccatis propriis elongati loquuntur aliquando subtiliora, quam justi. Respondeo. *Penetralia intellectus* appellat, non subtilitatem cognitionis, quam attingunt mali, sed saporem dulcedinis divinorum eloquiorum, quem sentiunt soli boni, et tum vere cognoscunt, et penetrant ad inferiora. Augustinus : « Plus mihi videtur « valere in hac inquisitione, vivendi quam « loquendi modus. »

« *In justificationibus tuis.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic exercebor in mandatis, qui prius in peccatis, et considerabo vias tuas, qui prius sequebar proprias : « *et meditabor,* » profunde cogitando, et discutiendo, « *in justificationibus tuis,* » in cæremonialibus præceptis quasdam spirituales justitias continentibus, sicut fere omnia quæ traduntur capite XXI Exodi usque ad finem, et

[1] Joan. v, 39.

per totum Leviticum. Et in talibus necessaria est valde meditatio, et valde placens Deo. Supra, in Psal. XVIII, 15 : *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper :* ut mediter inquirendo quid lateat veritatis sub umbra, Ad Hebr. X, 1 : *Lex umbram habens futurorum.* Quid solidi sub figura, I ad Corinth. X, 11 : *Omnia in figura contingebant.*

« *Non obliviscar.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Sic meditabor, qui prius meditabar in vanitatibus : et sic « *non obliviscar sermones tuos,* » in corde meo scribens illos. Deuter. IV, 1 : *Et nunc, Israel, audi præcepta et judicia quæ ego doceo te :* et ea in corde tuo tamquam in libro scribe. Et, VIII, 11 : *Cave nequando obliviscaris Domini tui, et negligas mandata ejus atque judicia.* Non obliviscar ergo, qui prius obliviscebar.

Attende ergo in hoc octonario, quomodo iste incipiens confessus sit, in quo sit correctio viæ peccatoris, quomodo humiliter petiit, qualiter confundendo se promittit se de cætero facturum oppositum eorum quæ ante fecit. Unde secundum Augustinum, huic octonario præponitur *Beth* (ב) optime, quod interpretatur *confusio :* hic enim se confundit bona confusione. Eccle. IV, 25 : *Est confusio adducens gloriam.* Mich. IV, 10 : *Venies usque ad Babylonem,* confusionem scilicet de peccatis propriis, *ibi liberaberis.* Et recte post ALEPH quod interpretatur *doctrina :* prius enim peccator doctrina illuminatur ad cognoscendum statum suum, et statim confunditur, secundum illud Jerem. XXXI, 19 : *Postquam ostendisti mihi,* ecce ALEPH : *percussi femur meum : confusus sum, et erubui,* ecce BETH, quod interpretatur *confusio,* sed in bonum.

GHIMEL (ג)

17. Retribue servo tuo, vivifica me, et custodiam sermones tuos.
18. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.
19. Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua.
20. Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.
21. Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis.
22. Aufer a me opprobrium et contemptum, quia testimonia tua exquisivi.
23. Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.
24. Nam et testimonia tua meditatio mea est : et consilium meum justificationes tuæ.

GHIMEL (ג)

« *Retribue servo tuo.* » Hic est secunda pars illius, in qua agit de merito incipientium. Cum enim actum sit de merito illorum, quantum pertinet ad recessum a malo, hic de merito illorum, quantum ad accessum ad bonum. Cum enim incipientes post recessum a malo difficultatem habeant faciendi bonum, tum ex parte infirmitatis naturalis, tum ex parte consortii ad peccatum trahentis, tum ex parte consuetudinis peccandi, quæ omnia necesse est per Dei gratiam amoveri,

quantum potest in hac vita, hic sunt duo octonarii. In primo, supplicatio contra naturalem infirmitatem, et trahentem ad peccatum turbam. In secundo, contra consuetudinem peccandi contractam, ibi, ℣. 25 : « *Adhæsit pavimento.* »

Ex hoc jam patet divisio primæ partis. Primo enim petit auxilium gratiæ contra infirmitatem propter peccatum primorum parentum contractam. Secundo, contra turbam malorum, ad peccatum inclinantem, et trahentem, ibi, ℣. 22 : « *Aufer a me opprobrium et contemptum,* etc. »

In prima duo. Primo, petitio auxilii contra infirmitatem. Secundo, ostendit illius infirmitatis multiplicis causam, ibi, ℣. 21 : « *Increpasti superbos.* »

In prima duo. Primo, supplicatio pro auxilio contra infirmitatem humanam. Secundo, persuasio, ibi, ℣. 20 : « *Concupivit anima.* »

In prima duo. Primo, petit sibi tribui spiritualem vitam, contra omnem infirmitatem simpliciter. Secundo, spiritualia bona contra spirituales infirmitates, excæcationem, et exsilium spirituale, ibi, ℣. 18 : « *Revela oculos.* »

In prima tria. Primo, petit ut sibi gratis, et iterato detur. Secundo, specificat quid sibi velit dari, ibi, « *Vivifica me.* » Tertio, ad quid, ibi, « *Et custodiam.* »

17 Dicit ergo : Sic petii viam meam, et mala præcedentia corrigi : sed volens assurgere ad bona facienda, rogo, o Domine, « *retribue,* » tribue nunc, sicut alias tribuisti, ad minus in Adam innocentiam : non tribue meritis, quæ mala sunt. Ad Roman. xi, 35 : *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?* Quasi diceret : Nullus. Sed ad nos ille cum tribuerit, tunc aliquo modo retribuere possumus, gratias referendo, pro ipso si opus est patiendo. In Psal. cxv, 12, supra : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* « *Retribue* » ergo pro malis quæ feci, id est, loco mali pœnæ quod merui, « *servo tuo* : » non audet adhuc dicere filio. Luc. xv, 19 : *Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Sed quid vis tibi retribui ? « *Vivifica me,* » per fidem formatam, quæ est vita animæ. Ad Hebr. x, 38 : *Justus meus ex fide vivit.*

Vel, secundum divisionem factam, possunt esse verba correcti, non ex præsumptione petentis sibi retribui, sed ex spe certa, quam jam habet, dicentis : Domine, malum dimisi, malum correxi : ergo, « *retribue* » mihi vitam, motum scilicet, et sensum spiritualem, ut cognoscam et faciam bona : vel certe vitam bonam, et coronam perpetuam. Credo enim illud, et spero firmiter. Jacob. i, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem,* quales sunt inchoantes, et separantes se a malo, *quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* II Reg. ii, 6 : *Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam et veritatem.* In Psal. cii, 2 : *Noli oblivisci retributiones ejus.*

Vivifica ergo : « *Et custodiam,* » si vivificaveris in præsenti, « *sermones tuos.* » Ecce ad quid petit : vivus enim, sicut vult Glossa, custodit, et custodiendo vivit. Verum est : semper enim magis et magis vivificatur, qui custodit. Joan. vi, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Et illud Matth. iv, 4, et Deuter. viii, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Verum est, humilis. Isa. lvii, 15 : *Ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.*

« *Revela oculos.* » Hic descendit ad 18
speciales infirmitates : et primo, petit revelationem occultorum contra malum ignorantiæ. Secundo, contra malum exsilii et abjectionis, familiaritatem, ibi, ℣. 19 : « *Incola ego sum.* »

In prima duo. Primo, petit occultorum cognitionem contra malum ignorantiæ.

Secundo, subjungit causam, quare velit illa sibi dari, ibi, « *Et considerabo.* »

Dicit ergo : Sic peto ut vivifices, et specificans plus rogo : « *Revela,* » ignorantiam contractam removendo, « *oculos meos,* » interiores per peccatum primorum parentum velatos, quod significabatur in velo posito ante templum [1] : et in velamine, quod erat positum super faciem Moysi [2]. II ad Corinth. III, 15 : *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Non jam tamen velati sunt oculi multorum, sed potius excæcati : quia Ambrosius dicit : « Gravat oculos diuturnum « velamen. »

Et sic, « *considerabo mirabilia de lege tua,* » antiqua, attendendo quomodo mirabiliter in agno materiali agnus spiritualis figurabatur [3] : et in manducatione, spiritualis refectio doctrinæ sacræ [4]. Vel nova, sicut diligere inimicos, et illis benefacere [5] : et omnia propter Christum relinquere [6] : corpus et sanguinem Christi in altari sumere [7]. Hæc enim ab oculo videri non possunt cooperto, sed oportet velamen removeri. Tob. XI, 14 : *Et cœpit albugo ex oculis ejus,* scilicet Tobiæ, *quasi membrana ovi, egredi :* id est, subtilis pellicula est extracta, et sic visum recepit. II ad Corinth. III, 18 : *Nos autem revelata facie, gloriam Dei speculantes.* Job, XII, 22 : *Revelat profunda de tenebris.* Sed quibus ? humilibus. Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.*

19 « *Incola ego sum.* » Hic secundum, in quo petit familiaritatem contra exsilium, et ejectionem : et dicuntur duo. Primo, miseriam recognoscit. Secundo, petit contra illam miseriam consolationem, ibi, « *Non abscondas.* »

Ait enim : Sic cæcum illumina, et etiam « *incola,* » extraneus cultor : unde alia littera habet, « inquilinus, » quod idem est quod alienæ possessionis inhabitator, vel peregrinus, aliunde adventitius : et hoc verum est : homo enim primus in paradiso factus est, et nos in illo [8]. Justi etiam incolæ, et inquilini, et peregrini sunt hic corpore, tamen in cœlo mente. Supra, in Psal. XXXVIII, 13 : *Advena ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Genes. XLVII, 9 : *Dies peregrinationis meæ... parvi et mali.* Ad Hebr. XI, 13 : *Confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram.* Et ipsemet ostendit se esse peregrinum. Ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Ad Hebr. XIII, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

« *Non abscondas a me,* » tamquam a peregrino, « *mandata tua.* » Minus dicit, et plus significat. Imo revela mihi illa, tamquam familiari, et amico. Joan. XV, 15 : *Jam non dicam vos servos,... vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Imo quia peregrino : Abraham enim peregrinus erat in terra Chanaan. Genes. XII, 1 : *Egredere de terra tua,* etc. Et post dictum est de illo, XVIII, 17 : *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum ?* Quasi diceret : Non, sed ei revelabo. Revela ergo, non tantum non abscondas, mihi incolæ et peregrino. Daniel. II, 28 : *Est Deus in cœlo, revelans mysteria,* propter se peregrinis.

« *Concupivit anima mea.* » Hic secundum hujus partis, in quo subjungitur persuasio ad dandum quod petitum est, scilicet desiderium perseverandi in amore mandatorum. 20

[1] Exod. XXVI, 31 et seq.
[2] Ibid. XXXIV, 35.
[3] Ibid. XI et XII.
[4] Ibid. XVI, et similiter in multis aliis locis.
[5] Matth. V, 44 ; Luc. VI, 17.
[6] Luc. XIV, 26 ; Matth. X, 37.
[7] Joan. VI, 54 et seq.
[8] Cf. Genes. II, 7.

21

Ait enim : Sic rogo, et debeo exaudiri : quia « *anima mea* » (in hoc expressio concupiscendi notatur) « *concupivit desiderare justificationes tuas*, » id est, justitiæ opera, quæ justificant animam, saltem in manifestatione : et hoc, « *in omni tempore*, » non in quodam tantum, sicut illi de quibus, Luc. VIII, 13 : *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Vera sapientia est amare justitiam, et ipsi desiderio adhærere. Hæc est illa de qua dicitur, Sapient. VI, 12 : *Concupiscite sermones meos, et adamate illos.* Et infra, ℣. 21 : *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Hunc amorem habent ad veram sapientiam, qui perfecti sunt, sed aliquando corpore aggravante, aliqui retardantur, maxime imperfecti. Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Et nunc quod vident esse bonum, scilicet semper justitiæ desiderio inhærere, concupiscunt : et hæc ipsa perseverantia concupiscentiæ est a gratia gratum faciente, nihil aliud forte quam ipsa virtus perseverantiæ. Aliquando etiam existens in mortali hoc bonum cognoscit, et quodam naturali instinctu hoc appetit : sed culpa oppressus languescit, sicut Balaam, qui dicebat, Numer. XXIII, 10 : *Moriatur anima mea morte justorum.* Et rursus, ibidem, XXIV, 16 : *Dixit auditor sermonum Dei,... qui cadens apertos habet oculos.* Primo ergo secundum quod trahi potest ex Glossa, est cum quodam languore concupiscere, qui est existentis in mortali. Postmodum in gradu secundo, non jam ipsum desiderium, sed continuationem amoris et desiderii appetere, quod est in gratia existentis, sed imperfecti. Tertio, continue adhærendo delectari, quod est perfecti, ut dicat jam illud Job, VI, 7 : *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia*, quam habeo de malis quæ gessi, *cibi mei sunt.*

Vera sapientia est amare justitiam.

« *Increpasti superbos.* » Hic secundum totius primæ partis hujus octonarii. Petitis enim remediis contra vitium cæcitatis, et exsilii, hic ostendit unde illas miserias in se habuerit, quia a primis parentibus peccantibus, et a Deo cum sua posteritate punitis : et dicuntur duo. Primo, primorum parentum increpatio super peccato superbiæ. Secundo, illorum et omnium illis similium punitio, ibi, « *Maledicti qui declinant.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, petii, ut istis miseriis remedia apponas, quas contraxi, quia « *increpasti*, etc. » Vel sic : Concupivi desiderare justificationes tuas, quæ docent omnem humilitatem : quia « *increpasti*, » suam miseriam eis ostendendo, « *superbos*, » omnes per illam Scripturam, Eccli. X, 9 : *Quid superbit, terra et cinis ?* Et maxime illos primos parentes, qui ut essent diis similes, appetierunt. Genes. III, 9 : *Adam, ubi es ?* Quasi diceret : Attende a quanta dignitate ad quantam devenisti miseriam. Jerem. II, 23 : *Vide vias tuas in convalle, scito quid feceris.* Nahum, I, 4 : *Increpans mare*, cor scilicet peccatoris, *et exsiccans illud*, ab humore gratiæ.

« *Maledicti.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic increpasti, et etiam « *maledicti*, » supple, sunt : et huic malo pœnæ addicti, non solum illi, sed « *qui*, » id est, quicumque « *declinant*, » etiam nunc, « *a mandatis tuis.* » Non dicit, qui non faciunt mandata : multi enim non faciunt, quia ignorant, vel quia infirmitate retrahuntur : sed, « *qui declinant*, » cum possunt, nec faciunt, sed ex superbia se avertunt. Proverb. XXVIII, 9 : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* Psal. CXXIV, 5, infra : *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*, hoc est cum dæmonibus, qui proprie operarii sunt iniquitatis.

Declinatur autem male omittendo quod Deus præcipit, sed pejus contra-

rium faciendo ei quod præcipit, sed pessime excusando quod factum fuerit. Propter quod rogat, infra, Psal. CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.*

22 « *Aufer a me opprobrium.* » Hic est secunda pars totius octonarii. Petito enim remedio contra infirmitates quas habet in seipso ex se, hic contra illud malum, quod ab alio : hoc autem est exprobatio et contemptus infidelium injusta : et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio ut inclinetur ad dandum quod petit, ibi, in medio ℣. 23 : « *Servus autem tuus.* »

In prima tria. Primo, petit auferri opprobria, et contemptus. Secundo, ostendit quæ sint illa opprobria, ibi, « *Quia testimonia.* » Tertio, a quibus potentissime, et quando sunt illata, ibi, ℣. 23 : « *Etenim sederunt.* »

Dicit ergo : Sic petii contra cæcitatem et exsilium, et etiam, o Domine, « *aufer a me opprobrium,* » quod audio in verbis, « *et contemptum,* » quem sustineo in factis. Et est proprie vox Sanctorum in primitiva Ecclesia, quibus exprobrabatur, et qui contemnebantur. Nec hoc dicunt quin libenter sustineant, sed ut ipsis exprobratoribus et contemporibus bona impetrent : sciunt enim se inde beatiores. Job, XII, 4 : *Deridetur justi simplicitas.* Psal. LXVIII, 10 : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Sapient. V, 4, dicturi sunt : *Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.* Sic contemnebamus. Et, in eodem, ℣. 3 : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii.* Et quare improperant, quare contemnunt ? « *Quia testimonia tua exquisivi,* » in Scripturis sacris : multi enim hodie habentur opprobrio et contemptui, quia testimonia Dei exquisierunt, et fiunt Theologi acquiescentes Christi exhortationi dicentis : *Scrutamini Scripturas :... et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me* [1]. Testimonia etiam sunt martyria secundum Glossam. Μάρτυρ enim Græce idem est quod *testis :* et martyres, idem quod testes : et martyria, idem quod testimonia. Quia passiones et martyria quærebam pro Christo pati, exprobrabant, et contemnebant homines. Et exprobraverunt, et ejecerunt nomen nostrum tamquam malum propter Filium hominis [2].

« *Etenim sederunt.* Hic ostenditur a quibus, et quando patiatur ista, quia a principibus, et in judicio sedentibus. Tangitur ergo primo illorum dispositio in judicio. Secundo, ipsius impugnatio per opprobria, ibi, « *Et adversum me.* » 23

Ait ergo : Sic dixi, quod opprobrium sustineo et contemptum : si quæris, a quibus ? Ecce, « *Etenim,* » (hæc est assertio) « *sederunt,* » tamquam deliberantes, et judicium prolaturi, « *principes,* » Supra, in Psal. II, 2 : *Adstiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum.* « *Et* » ipsimet « *loquebantur adversum me,* » mihi improperando, vilificando, accusando, ut contra legem Dei ipsi adversarii essent, qui judices esse debebant. Deuter. XXXII, 31 : *Et inimici nostri sunt judices,* quod est magna perversitas. Mich. III, 9 : *Audite hoc, principes domus Jacob, et judices domus Israel, quia abominamini judicium, et omnia recta pervertitis,* judices facti et accusatores, sicut factum fuit in B. Stephano [3]. Unde et hoc optime cantatur de illo.

« *Servus autem tuus.* » Hic persuasio

[1] Joan. v, 39.

[2] Luc. vi, 22 : *Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis.*

[3] Cf. Act. vii, 51 et seq.

ut exaudiatur, scilicet exercitatio in bono cum impugnaretur : et tanguntur duo. Primo, exercitatio sui in bono. Secundo, modus quo exercebatur, ibi, ℣. 24 : « *Nam et testimonia tua.* »

Dicit ergo : Sic loquebantur adversum me ipsi judices exprobrando, contemnendo : tu autem quid? Ecce : « *Servus tuus exercebatur,* » meditando, « *in tuis justificationibus,* » qualiter scilicet plene vilificaretur. Qui enim hæc meditatur, non vincitur, sed fortificatur contra omnes inimicos. Sapient. VII, 30 : *Sapientiam,* meditantis Dei justificationes, *non vincit malitia.*

24 « *Nam et testimonia.* » Hic secundum, modus scilicet se exercendi : et tangitur in duobus. In meditatione utilitatis persecutionis, et dilectione interiori ipsius persecutoris.

Ait enim : Sic dixi, quod servus tuus exercebatur in justificationibus tuis, et bene : « *Nam,* » id est, quia « *meditatio mea est testimonia tua,* » id est, martyria, passiones scilicet, et vituperia, quia finem considero, et coronam, secundum illud Apostoli, II ad Corinth. IV, 17 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Vel, « *meditatio mea,* » est martyria tua, id est, martyria, et passiones quas sustinuisti : qui enim illa considerat quæ Christus sustinuit, sustinere pro illo affectat, et quærit. I Machab. VI, 34 : *Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos in prœlium.* « *Et consilium meum,* » supple, est « *justificationes tuæ,* » justificationes a te nobis traditæ, ut diligamus ipsos inimicos nostros [1]. Justificationes a te ostensæ in teipso, qui pro tuis rogasti inimicis, Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.*

[1] Matth. V, 44 ; Luc. VI, 17.

Sic ergo desideranti proficere, et gementi sub miseria cæcitatis, et præsentis exsilii, et inter hostes patienti, certe debetur retributio a judice justo Deo. Propter hoc recte præponitur littera GHIMEL (ג), quod interpretatur *retributio.*

DALETH (ד)

25. Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.
26. Vias meas enuntiavi, et exaudisti me : doce me justificationes tuas.
27. Viam justificationum tuarum instrue me, et exercebor in mirabilibus tuis.
28. Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.
29. Viam iniquitatis amove a me, et de lege tua miserere mei.
30. Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.
31. Adhæsi testimoniis tuis, Domine : noli me confundere.
32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

DALETH (ד).

Adhæsit pavimento. » In præcedenti octonario petiit liberari, vel auxilium sibi dari contra infirmitates et hostes, quæ omnia erant mala pœnæ, hic contra malas consuetudines retrahentes et relabi facientes in aliqua mala culpæ : et dicun-

tur duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio more suo, ibi, ỳ. 30 : « *Viam veritatis.* »

In prima dicuntur duo. Primo, petit remedium contra causam culpæ, et recidivi. Secundo, contra culpam ipsam, ut longe amoveatur, ibi, ỳ. 29 : « *Viam iniquitatis.* »

In prima duo. Primo, petit contra antiquam consuetudinem malam auxilium. Secundo, contra tædium quoddam ex illa generatum, ibi, ỳ. 28 : « *Dormitavit anima mea.* »

In prima tria. Primo, petit contra pravam consuetudinem retrahentem gratiam. Secundo, illuminantem in agendis, ibi, in medio ỳ. 26 : « *Doce me.* » Tertio, dirigentem in ordine agendorum, ibi, ỳ. 27 : « *Viam justificationum.* »

Item, in prima dicuntur tria. Primo, ostenditur necessitas petitionis. Secundo, petitur, ibi, in medio ỳ. 25 : « *Vivifica.* » Tertio, monstratur confidentia potentis, ibi, ỳ. 26 : « *Vias meas.* »

25 Dicit enim : Sic, Domine, petii velamen amoveri, et contra exsilium consolari, et coadjuvari contra hostes : sed, heu! timor concutit me, quia « *anima mea,* » ad imaginem tuam facta, « *adhæsit pavimento,* » corpori suo, quod est terra sicut pavimentum. Genes. II, 7 : *Formavit igitur Dominus Deus hominem,* quantum ad corpus, *de limo terræ :* et tam pulchrum,et varietate sensuum depictum, hic oculi, ibi aures, ibi nasus, et os subtus. Hinc dicitur in Psal. XLIV, 10, de beata anima : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato,* quantum ad interiorem virtutum pulchritudinem : *circumdata varietate,* corpore proprio varietatibus membrorum insculpto et picturato : et nihilominus couculcandum et suppeditandum sicut pavimentum, sicut Paulus, I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.* Nulla major servitus quam pavimenti, quod ab omnibus conspuitur et conculcatur. Vel, pavimentum terra appellatur, sicut vult Glossa, quia in magna Dei domo, quæ mundus est, cœlum est sicut camera, seu testa, terra sicut pavimentum, florum et herbarum diversitatibus picturata, et ab hominibus calcanda.

Primo, pavimento adhæret anima per luxuriam. Secundo, per avaritiam. Supra, in Psal. XLIII, 25 : *Adhæsit in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* Sed magis esset conculcanda ut veraciter haberetur. Deuter. XI, 24 : *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit* [1]. Sic adhæsit anima mea, unde prava consuetudine, quasi recidivo morior, sed

« *Vivifica me.* » Ecce petitio : et hoc, « *secundum verbum tuum,* » quod dicis, Ezechiel. XXXIII, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Vel, « *secundum verbum tuum.* » id est, per verbum tuum, et doctrinam, quod est animæ vita, et quotidie ipsam plus et plus promovet in vita. Matth. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo,* etc. [2]. Vel, de Verbo increato : *Vivifica me secundum verbum tuum,* » id est, per Verbum increatum tuum, quod est vita, Joan. XIV, 14 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Et vivificat quos vult, Joan. V, 21 : *Filius, quos vult, vivificat.*

« *Vias meas.* » Ecce tertium. Quasi di- **26**
ceret : In tali statu sum, et sic peto, et confido quod sic fiet : quia « *vias meas* » malas, peccata scilicet, et iniquitates, « *enuntiavi,* » extra nuntiavi confitendo, « *et exaudisti me,* » dimittendo, implens illud Isa. XLIII, 26 : *Narra, si quid habes, ut justificeris.* Alia littera habet : « Exposui, » quod idem est, et importat parum plus, enuntiationem scilicet distinctam, et apertam, et talem procul dubio

[1] Cf. Josue, I, 3.

[2] Cf. Deuteron. VIII, 3.

Dominus exaudit. Proverb. XXVIII, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.*

« *Doce me.* » Hic secundum, in quo petit gratiam illuminantem in agendis.

Quasi diceret : Sic peto ut vivifices, gratiam fortiter standi præstando, et etiam « *doce me,* » ne errem in agendo, « *justificationes tuas,* » virtutes scilicet bonas, justificantes animas. Sapient. VIII, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

27 « *Viam justificationum.* » Hic tertium, in quo petit directionem in modo et ordine faciendi : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, fructum sequentem ostendit, si assecutus fuerit, ibi, « *Et exercebor.* »

Ait ergo : Sic rogo ut illumines, et etiam « *instrue me,* » non solum justificationes docendo, sed « *viam,* » id est, justificationum modum et ordinem. Non enim satis est bona agere, nisi fiant debito modo, et debito ordine. Hinc Paulus monet, I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia honeste, et secundum ordinem fiant,* in vobis scilicet. Vel, quantum ad modum : « *Instrue me,* » docendo, « *viam,* » id est, spiritualem intelligentiam, « *justificationum tuarum,* » in lege præceptarum, quam multi nesciunt. Baruch, III, 23 : *Viam sapientiæ nescierunt,* spiritualem scilicet intelligentiam in cæremoniis.

« *Et exercebor.* Ecce fructus : « *in mirabilibus tuis,* » vel operibus vel justificationibus, quia tam mirabilibus figuris nos instruis, quas nullus alius potuisset cogitasse. Supra, in Psal. LXVI, 13 : *In adinventionibus tuis exercebor.*

« *Dormitavit anima mea.* » Hic secundum, in quo postquam rogavit pro remedio contra consuetudinem pravam, hic petit contra tædium quoddam ex ea generatum. Primo ergo ostendit incommodum. Secundo, petit remedium, ibi, « *Confirma me.* » 28

Dicit ergo : Sic, Domine, adhæsi pavimento contra quod petii, et etiam « *anima mea,* » non corpus, « *dormitavit,* » lente assurgens ad bonum. Dormit enim, qui oblitus est Dei omnino : sed dormitat, qui quasi fatigatus lentus est, nec ad bonum properat. De utroque, Proverb. XXIV, 33 : *Paululum dormies, paululum dormitabis.* Matth. XXV, 5 : *Dormitaverunt omnes, et dormierunt.* Et hoc « *præ tædio,* » orto ex prava consuetudine, et præ longa fervoris exspectatione, quam non possum assequi. Sap. II, 1 : *Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ.* II ad Corinth. I, 8 : *Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* Et nota, quod dormitat, qui consentit : dormit, qui facit : obdormit, qui assuescit, sicut fluit, et effluit, et pereffluit. Ad Hebr. II, 1 : *Abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus.*

« *Confirma me.* » Hic secundum, Quasi diceret : Sic afficior tædio, ut cito possim cadere, et propter hoc peto, « *Confirma me,* » missa Spiritus sancti virtute, « *in verbis tuis,* » in præceptis quæ teneo, ne cadam ab illis, sed præcedam ad alia. Psal. LXVII, 29 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Testa mollis sum, et fragilis, sed mitte ignem Spiritus sancti me consolantem, et in bono confirmantem, sicut in Apostolis factum fuit[1]. Eccli. XXVII, 6 : *Vasa figuli probat,* probata et solida reddit, *fornax,* scilicet Spiritus sancti.

[1] Cf. Act. II, 4 et seq.

29 « *Viam iniquitatis.* » Hic secundum primæ partis octonarii hujus. Postquam enim petiit remedia contra occasionem culpæ, scilicet pravam consuetudinem, et quamdam acediam, hic petit contra culpam, sine qua non potest esse, vel in quam timet incidere. Et primo, petit se elongari a futura. Secundo, veniam de præterita, si aliqua est, ibi, « *Et de lege tua.* »

Ait enim : Sic da remedium contra consuetudinem pravam, et contra acediam : et etiam « *viam iniquitatis,* » intransitiva constructio, id est, operationem iniquam, quam multi calcaverunt, et sic est trita multum. Matth. VII, 13 : *Lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam,* qui dicturi sunt in fine illud Sapient. v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis,* et perditionis. « *Amove a me :* » amoveri concede flabello gratiæ tuæ, sicut Abraham abigebat aves a sacrificio suo [1]. Et sicut Job, qui dicit, XXXI, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

« *Et de lege tua,* » si in aliquo transgressus, « *miserere mei.* » Vel, « *misesere mei,* » si in aliquo deliqui : et hoc « *de lege tua,* » id est, secundum legem tuam, quæ est clementiæ, non secundum Mosaicam, quæ est lex justitiæ. Proverb. XXXI, 26 : *Lex clementiæ in lingua ejus.* Sapient. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes.*

30 « *Viam veritatis.* » Hic est secunda pars hujus octonarii. Præmissa enim petitione, subjungitur hic persuasio. Persuadet autem a bonis a Deo jam receptis, quæ tangit quatuor. Primum est veritatis electio. Secundum, judiciorum retentio in corde, ibi, « *Judicia tua.* » Tertium, testimoniis divinis adhæsio, relictis testimoniis falsitatis, ibi, ℣. 31 : « *Adhæsi testimoniis.* » Quartum, lata mandatorum impletio, secundum aliquod tempus, ibi, ℣. 32 : « *Viam mandatorum.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, propter consuetudinem, et tædium timeo, et peto auxilium, et debes audire, quia « *elegi,* » relicta falsitate, « *viam veritatis,* » ut ipsa informetur intellectus : et sic merito prudentiæ da quod petii : non enim sum de illis, qui dicturi sunt in fine illud Sapient. v, 6 : *Erravimus a via veritatis, et lumen intelligentiæ non illuxit nobis.*

Et etiam « *judicia tua,* » quibus in præsenti jam judicas, et quibus in futuro judicabis, « *non sum oblitus,* » id est, teneo illa memoria. Prima occulta sunt, et contra illa non murmuro, sciens illud Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa.* Et Paulum audio clamantem, ad Roman. XI, 33 : *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Alia erunt aperta, et illa timeo, et utraque abscondi, non tradidi oblivioni. Deuter. IV, 9 : *Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui,* quantum ad judicia in præsenti : et quæ audierunt aures tuæ, quantum ad judicia in futuro.

« *Adhæsi testimoniis.* » Hic tangitur tertium, scilicet adhæsio testimoniis : unde dicuntur duo. Primo, dicit se adhærere. Secundo, infert ex hoc quod caveat ei a confusione sicut supra petit, ibi, « *Noli me confundere.* » 31

Ait enim : Sic elegi viam, sic in memoria teneo judicia : et etiam, o Domine, « *adhæsi,* » voluntate et amore, « *testimoniis tuis,* » non pavimento, sicut ante conversionem faciebam. Deuter. x, 20 : *Dominum Deum tuum timebis, et ei soli servies : ipsi adhærebis,* etc. Primum, quod elegi, fecit prudentia. Secundum, quod judicis obliviscor, constantia. Sed quod adhæreo, facit de-

[1] Cf. Genes. xv, 11.

lectatio et charitas vera, et propter hoc : « *Noli me confundere,* » non dando quod supra petii, scilicet perseverantiam in bono opere, ne dicatur mihi illud Luc. XIV, 30 : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.* Sed si adjuvas, non confundar. Isa. L, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus.*

32 « *Viam mandatorum.* » Hic quartum, in quo persuadet a quarto, scilicet læta mandatorum adimpletione : et dicuntur duo. Primo, læta adimpletio. Secundo, ratio adimplendi et tempus, ibi, « *Cum dilatasti.* »

Dicit ergo : Sic me non confundas, quia elegi veritatis viam, et non sum oblitus judicia, et adhæsi testimoniis : et etiam quia « *cucurri,* » faciliter et lætanter, « ut bonus equus, sicut dicit Glossa, stimulatus calcaribus timoris tui, flagellatus correctionibus, et gratia directus, » « *viam mandatorum.* » Habacuc, III, 15 : *Viam fecisti in mari,* in amaritudine scilicet mundi, *equis tuis.* Ad hunc cursum nos invitat Paulus, ad Corinth. IX, 24 : *Sic currite ut comprehendatis.* De hac Salomon, Proverb. IV, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.*

Cucurri ergo, sed non semper fui in hac lætitia, sed « *cum dilatasti,* » delectationem in justitia infudisti, « *cor meum,* » dilatans et extendens. Supra, in Psal. XVII, 37 : *Dilatasti gressus meos subtus me : et non sunt infirmata vestigia mea.* Non est ista dilatatio culpæ, quæ triplex est. Superbiæ, Matth. XXIII, 5 : *Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.* Et luxuriæ, Isa. LVII, 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum, dilatasti cubile tuum,* etc. Avaritiæ, agrum agro copulando, et domum domui, Isa. V, 8 : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci!* Amos, I, 13 : *Super tribus sceleribus filiorum Ammon, et super quatuor non convertam eum, eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum,* qui ducit ad dilatationem gehennæ, de qua, Isa. V, 14 : *Dilatavit infernus animam suam.* Sed est dilatatio meriti, de qua Paulus, I ad Corinth. VI, 11 : *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est,* ducens ad dilatationem præmii, de qua Isa. LX, 5 : *Tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum.*

Ecce in hoc octonario aperte monstratur quantum timeat hic relabi, quamvis viam veritatis elegerit, judiciorum memor sit, et adhæserit testimoniis, et mandata etiam aliquando lætanter impleverit, propter præcedentem consuetudinem, et acediam boni, quam patitur aliquando. Unde præponitur hic bene littera DALETH (ד), quod interpretatur *timor,* sive *nativitas* : hic enim timor proprie naturalis, et ex nativitate contractus.

HE (ה).

33. Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.

34. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.

35. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

36. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.

37. Averte oculos meos, ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

38. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.

39. Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda.

40. Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua vivifica me.

He (ה)

De meritis proficientium.

« *Legem pone mihi, Domine.* » In præcedenti parte actum est ad hoc ut laudetur Deus de meritis incipientium, hic agitur ad hoc ipsum de meritis proficientium. Merita proficientium sunt in tribus. In facilitate bene operandi, et in voluntate certa cognitionis Dei et mandatorum ejus, et in delectatione operis boni. In prima ergo agitur de profectu in habilitate bene operandi. In secunda, de profectu in cognitione boni, ibi, ỳ. 65 : « *Bonitatem fecisti.* » In tertia, de profectu in delectatione, et amore boni, ibi, ỳ. 97 : « *Quomodo dilexi.* »

In prima dicuntur quatuor, secundum quatuor quæ concurrunt ad hoc quod aliquis sit habilis ad bonum. Primum, cordis promptitudo. Secundum, strenuitas operis. Tertium, in tribulatione, si surgit, consolatio. Quartum, perseverantiæ propositum. Et de his quatuor agitur in quatuor octonariis, sicut sunt numerata et ordinata [1].

In hoc ergo octonario agitur de cordis promptitudine, supplicando ut detur : in quo dicuntur duo, secundum duo quæ concurrunt ad hoc ut cor habilitetur. Primum est gratia inclinans ad verum bonum. Secundum, gratia avertens a vanis rebus et nocivis. Primo ergo petit primam gratiam. Secundo, secundam, ibi, ỳ. 37 : « *Averte oculos.* »

In prima dicuntur quinque, secundum quinque quæ petit, per quæ cor potest inclinari ad bonum faciliter. Primum est legem sibi poni. Secundum, gratiam fieri ad intelligendum positam et scrutandum, ibi, ỳ. 34 : « *Da mihi intellectum.* » Tertium, ad custodiendum intellectam, ibi, « *Et custodiam.* » Quartum, conferri gratiam ad proficiendum, ibi, ỳ. 35 : « *Deduc me.* » Quintum, ad gratis faciendum omnia, ibi, ỳ. 36 : « *Inclina cor.* »

In prima tria. Primo, petit imponi sibi legem. Secundo, specificat quam, ibi, « *Viam justificationem.* » Tertio, ad quid velit sibi imponi illam, ibi, « *Et exquiram.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, rogavi, in 33
persona incipientis et ruere timentis : « *Noli me confundere* : » sed nunc in persona proficere volentis, imo eo ipso proficientis, quod hic rogat, rogo : « *Pone,* » id est, impone, « *mihi,* » non superbo, qui salutem suam operari dedignatur, « *legem,* » non illam veterem, quæ, sicut dicit Petrus, fuit onus, quod nec Apostoli, nec patres eorum portare potuerunt [2], sed legem novam, charitatis scilicet, suaviter ligantem. Osee, xi, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Impone in humero, secundum illud Job, xxxi, 35 et 36 : *Librum scribat ipse quæ judicat,* de rebus charitatis et clementiæ, *ut in humero meo portem illam.* Impone cordi, ipsam in eo scribendo, secundum illud Jerem. xxxi, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum superscribam illam.* Legem, inquam, « *viam justificationum tuarum,* » id est, per quam venitur ad justificationes tuas : fide enim per dilectionem operante, ad justificationem veram venitur. Ad Roman.

[1] Scilicet in quatuor octonariis qui inscribuntur He, Vau, Zain, Heth.

[2] Act. xv, 10 : *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus ?*

III, 28 : *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Et, v, 1 : *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum,* sive per dilectionem operantem semper.

« *Et exquiram.* » Ecce ad quid volo poni eam, ut in illa mediter, illam scruter. In Psal. CIV, 45, supra : *Custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.* Proverb. II, 5 : *Si quæsieris eam,* quasi pecuniam, *intelliges timorem Domini.* Bonum est illam inquirere, non mundanam sapientiam, sicut filii Agar, *qui exquisierunt prudentiam quæ de terra est*[1].

34 « *Da mihi intellectum.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic pone legem charitatis, legem Evangelicam : et « *da mihi intellectum,* » supple, illius, id est, gratiam, qua possim intelligere illam. II Paralip. I, 10 : *Da mihi sapientiam, et intelligentiam.* II ad Timoth. II, 7 : *Dabit tibi Dominus in omnibus intellectum* Datur enim gratia intelligendi parvulis a Deo. Matth. XI, 25 : *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Job, XXXII, 8 : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Job, XXXVIII, 36 : *Quis dedit gallo intelligentiam ?* Psal. XXXI, 8 : *Intellectum tibi dabo, et instruam te.* Da ergo mihi intellectum : et sic « *scrutabor legem tuam :* » aliter frustra eam scrutarer. In eodem Psal. CXVIII, 2, supra : *Beati qui scrutantur testimonia ejus.* Joan. V, 39 : *Scrutamini Scripturas, quia,* etc. Non secreta Dei, quia, Isa. XL, 23, dicitur : *Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint.* Non majestatis potentiam infinitam, quia, Proverb. XXV, 27 : *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.*

« *Et custodiam illam.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic da ad intelligendum gratiam, et scrutandum : « *et* » etiam da, « *ut custodiam illam in toto corde meo.* » Legem in toto corde custodit, qui Deum toto corde diligit. Ad hanc custodiam invitat Salomon, Proverb. IV, 21 : *Custodi ea,* scilicet eloquia mea, *in medio cordis tui.* Et talis custodia utilis valde est. Proverb. XIX, 16 : *Qui custodit mandatum, custodit animam suam, et salvat eam.* Luc. XI, 28 : *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud,* in corde, non tantum habentes in ore, sicut dicitur de sacerdotibus, Malach. II, 7 : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam.*

« *Deduc me, Domine.* » Hic quartum, 35
in quo petit gratiam ad proficiendum in lege posita, eundo de virtute in virtutem, usque ad perfectionem. Et primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quia ipsam.* »

Ait enim : Sic legem pone, intelligere fac et custodire : et etiam « *deduc me in semitam mandatorum tuorum.* » Via mandatorum præcepta sunt, quia sunt latiora : sed semita sunt consilia : unde petit usque ad consilia provehi. Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas,* præceptorum : *et ambulabimus in semitis ejus,* consiliis scilicet, ipso tamen ductore. Deuter. VIII, 15 : *Ductor tuus fuit in solitudine magna, atque horribili.* Isa. LXIII, 14 : *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Et hoc per semitas consiliorum. Proverb. IV, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis.* Hæc semita bona, quia declinare facit a malo. Isa. XXVI, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.* Lucida, Proverb. IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Pacifica, Proverb. III, 17: *Omnes viæ ejus pulchræ, et semitæ illius pacificæ.*

« *Quia ipsam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic deduc per semitam, « *quia ipsam volui,* » et si in me non inveni ut possem proficere. Ad Roman. VII, 18 :

[1] Baruch, III, 23

Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Tales erant, de quibus I Machab. IV, 42 : *Elegit Judas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei.*

36 « *Inclina cor meum.* » Hic quintum, in quo petit gratiam ad faciendum gratis, non ex cupiditate, omnia prædicta. Primo ergo petit ut veraciter inclinetur ad implendum voluntatem Dei. Secundo, quod gratis efficiatur ab eo, ibi, « *Et non in avaritiam.* »

Ait ergo : Sic legem pone, intellectum da, et custodire fac, et proficere : et super hæc omnia, » *inclina cor meum,* » id est, gratiam da cor meum inclinari facientem, « *in testimonia tua,* » in Scripturarum dicta, quæ testificantur tuæ potestati, et tuæ sapientiæ, et tuæ bonitati. Isa. V, 15 : *Incurvabitur homo, et humiliabitur vir, et sic erit sapiens,* quia, Proverb. XI, 2 : *Ubi humilitas,* quæ est inclinatio quædam, *ibi et sapientia.* Inclina ergo cor meum, qui præcipis ut inclinetur. Proverb. XXII, 17 : *Inclina aurem tuam, et audi verba sapientium.*

« *Et non in avaritiam,* » hoc est, sic inclina, ut non quæram in inclinatione terrena sicut illi, de quibus, in Psal. XVI, 11, supra : *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Proverb. XVII, 24 : *Oculi stultorum in finibus terræ.* I Reg. VIII, 3, dicitur de malis filiis Heli : *Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera.* Sed boni inclinantur ad Deum. Isa. XVII, 7 : *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et ad sanctum Israel respicient.*

37 « *Averte oculos.* » Hic est secunda pars octonarii, in quo postquam petiit gratiam ad proficiendum in bono, hic petit ad cavendum mala, et inducentia in malum, non ad cavendum malum culpæ mortalis, hoc est enim incipientium. Et primo, petit gratiam ad cavendum malum, et avertendum se a malo vanitatis. Secundo, a malo cujusdam elationis quæ solet oriri ex profectu, ibi, ℣. 38 : « *Statue servo tuo.* » Tertio a malo suspicionis de aliis habitæ, ibi, ℣. 39 : « *Amputa opprobrium.* » Primum respicit ad concupiscibilem. Secundum, ad irascibilem. Tertium, ad rationabilem, cujus est judicare.

In prima dicuntur duo. Primo, petit a vanitatibus averti per gratiam Dei. Secundo, quasi effectum subjungit consequentem ex hoc, scilicet in Christo plus et verius vivificari, ibi, « *In via tua.* »

Dicit ergo : Sic petii, ut prædictam gratiam ad prædicta bona conferas, et etiam « *averte,* » id est, gratiam avertendi præbe, « *oculos meos,* » exteriores scilicet, « *ne videant vanitatem,* » creaturæ allicientis per visum animam. Frequenter enim per oculos intrat concupiscentia, et mors occasionaliter. Jerem. IX, 21 : *Ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras.* Et Dominus ait, Matth. V, 28 : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Eccli. IX, 9 : *Propter speciem mulieris,* exterius inspectam, *multi perierunt.* « Non enim licet, sicut « dicit Gregorius, intueri, quod non licet « concupisci. » Sed magis interiores oculos concupientum, qui post peccatum, in primis patentibus aperti sunt [1]. Hos averte, « *ne videant,* » id est, concupiscant aliquantulum, etiam leviter, « *vanitatem,* » aliquid terrenum, aliquid creatum : totum enim vanitas est. Genes. I, 2 : *Terra erat inanis, et vacua.* Jerem. IV, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Ad Roman. VIII, 20 : *Vanitati creatura subjecta est, non volens.*

Hos averte a vanitate, et his conversis in te, « *vivifica,* » id est, vivificabis me, « *in via tua,* » in Christo scilicet, qui est via qua itur ad te. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Vel, « *in via*

[1] Cf. Genes. III, 7.

tua, » in lege tua, quæ via est eundi ad te, et vita est. Proverb. III, 22 : *Custodi legem meam, et erit vita animæ tuæ.* Lex, inquam, spiritualis, quia, Joan. VI, 64, dicitur : *Spiritus est qui vivificat.*

38 « *Statue servo tuo.* » Hic secundum, in quo petit averti ab elatione, quod est statui in eloquio Dei : et dicuntur duo. Primo, petit statui et firmari, ne elevetur. Secundo, ostendit per quid hoc fieri poterit, quia per gratiam divini timoris, ibi, « *In timore tuo.* »

Dicit ergo : Sic averte a vanitate, et etiam « *servo tuo* » averso a vanitate, « *statue eloquium tuum.* » Hypallage est, id est, in eloquio tuo statue servum tuum, ne efferatur. Baruch, II, 24 : *Statuisti verba tua, quæ locutus es,* etc. Sed quibus? Servis suis. Genes. IX, 11 : *Statuam pactum meum vobiscum.*

Sed hoc fac, « *in timore tuo,* » ponens me, qui me custodiat, me reprimat. Proverb. XIV, 26 : *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Et, Eccli. I, 25 : *Radix sapientiæ,* quæ tenetur in corde, ne advolet, *timere Dominum,* vel timor Domini. Propter hoc dicitur, Eccli. XXVII, 4 : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.*

39 « *Amputa opprobrium.* » Hic tertium, in quo petit gratiam retrahentem a malo suspicionis : proficientes enim suspiciones a cordibus suis avellere sine magna Dei gratia non possunt : et dicuntur hic tria. Primo, petit amputari a se falsa judicia et suspiciones. Secundo, commendat divina, quæ omnino sunt infallibilia, ibi, « *Quia judicia tua.* » Tertio, persuadet ut sibi detur charitas, quæ evacuet omnino talia, ibi, ℣. 40 : « *Ecce concupivi.* »

Ait ergo : Sic oculos averte a vanis, et statuens mihi eloquia, serva me ab elatione : et etiam « *amputa,* » falce gratiæ tuæ, « *quod suspicatus sum,* » id est, da gratiam ut jam non sim suspiciosus, « *opprobrium* scilicet *meum.* » Quasi diceret : Ipsa suspicio nascitur in me, ex eo quod est in me opprobrium et malum : homo enim malum quod habet in se, citius in alio suspicatur. Supra, in Psal. CXVIII, 22 : *Aufer a me opprobrium et contemptum.* Josue, V, 9 : *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis :* suspicionem, quæ malum est valde adhærens, et multos perdit, quando diffinitivum faciunt de aliis judicium. Eccli. III, 26 : *Multos supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum.* Propter hoc monet Dominus, Matth. VII, 1 : *Nolite judicare, ut non judicemini.* Cantic. II, 12 : *Tempus putationis,* suspicionum, *advenit.* Suspicio vitanda.

« *Quia judicia tua.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic aufer suspiciones a me, « *quia judicia tua,* » quæ certa sunt et vera, « *jucunda* » sunt et delectabilia amatoribus veritatis, sed mea vana, et fallibilia. In Psal. XVIII, 10 et 11, supra : *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa : desiderabilia super aurum,* etc.

« *Ecce concupivi.* » Hic tertium, in quo 40
subjungitur persuasio ad impetrandum gratiam, qua suspicio auferatur : et tanguntur duo. Primo, ratio quare debeat acquiescere judex. Secundo, petitionis determinatio, ibi, « *Vivifica me.* »

Dicit ergo : Sic rogo a me auferas falsa judicia, quæ non sunt sicut tua : et « *ecce,* » Domine, « *concupivi mandata tua,* » de charitate ad istam suspicionem opprobriosam amputandam : vera enim charitas sentire facit bonum de aliis, non malum. I ad Corinth. XIII, 4 et seq. : *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur : non est ambitiosa..., non gaudet super iniquitate,* certe nec suspiciosa. Et dicit *mandata,* quia etsi una sit charitas, duo tamen mandata. Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ.*

Et propter hoc quia concupisco, « *vi-*

vifica me, » charitatem infundendo in me, qui sum mortuus ex me : et hoc non in mea, sed « *in tua æquitate,* » id est, in Christo, scilicet per Christum, qui tua est æquitas. Illa, inquam, quam petebat Job, XXIII, 7, dicens : *Proponat æquitatem contra me.* Ibi Glossa : « Æqui« tas judicia, mediator Dei et hominum « Christus Jesus. » Alia littera habet : « In justitia, » et ipse justitia. I ad Corinth. I, 30 : *Ex ipso vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio,* etc.

Ecce quam petit gratiam ad bonum promoventem, a vanitate, elatione, et suspicione retrahentem : et tandem conclusit in vita totam orationis seriem. Et propter hoc præponitur littera Hebræa HE(ה), quod interpretatur *est,* vel *vivo* : qui enim habuerit, ille est, et vivit.

VAU (ו)

41. Et veniat super me misericordia tua, Domine : salutare tuum secundum eloquium tuum.
42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.
43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi.
44. Et custodiam legem tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi.
45. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.
46. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.
47. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.
48. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, et exercebar in justificationibus tuis.

VAU (ו).

« *Et veniat super me.* » In præcedenti octonario, actum est de humilitate cordis, hic secundo subjungitur de strenuitate exteriori, et in ore, et in opere, quod est secundum in merito proficientium, quantum ad habilitatem ad bonum : et dicuntur duo. Primo, supplicatio pro gratia strenuitatis, ad confitendum veritatem, et faciendum bonum exterius in opere. Secundo, confessio, quod impetravit quod petit, secundum quod legit Glossa. Vel melius forte, persuasio ad impetrandum quod petiit, ibi, ỳ. 45 : « *Et ambulabam.* »

In prima duo. Primo, petitur gratia ad strenue confitendum. Secundo, ad agendum, ibi, ỳ. 44 : « *Et custodiam legem.* »

In prima duo. Primo, petit gratiam ad audacter et strenue confitendum sibi dari. Secundo, datam non auferri, ibi, ỳ. 43 : « *Et ne auferas.* »

In prima dicuntur tria. Primo, petit sibi conferri gratiam protegentem. Secundo, venire illum per quem habenda est gratia, ibi, « *Salutare tuum.* » Tertio, ad quid petit ipsam, subjungit, ibi, ỳ. 42 : « *Et respondebo.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, habita cor, 41
ut petii, legem ponendo, gratiam ad intelligendum dando, etc. « *Et* » etiam, o Domine, « *misericordia tua veniat,* » non tantum in me, sed « *super me,* » ad protegendum scilicet me. *Super* enim hic notat protectionem, non oppressionem. Isa. I, 1 : *Visio Isaiæ, filii Amos, quam*

vidit super Judam et Jerusalem. Super me ergo effundatur. Eccli. XVIII, 19 : *Effundit super eos misericordiam suam.* « *Veniat* » etiam « *misericordia tua,* » Filius qui est et justitia quantum ad secundum adventum, et misericordia quantum ad primum. Isa. XIV, 1 : *Prope est ut veniat dies ejus, et miserebitur Dominus Jacob.* Veniat, inquam, ut sit super me tamquam caput quod supereminet omnibus membris. Ad Ephes. I, 22 : *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus.*

« *Salutare tuum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Da misericordiam super me existendo tamquam protegentem : et ut hoc sit, veniat « *salutare tuum,* » Filius scilicet, et hoc « *secundum eloquium tuum,* » per Patriarchas, et Prophetas. Ait enim Jacob, Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Et, Isa. LII, 10 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Zachar. II, 10 : *Ecce ego venio, et habitabo in medio tui.* Et, IX, 9 : *Ecce rex tuus veniet tibi justus, et salvator.* Venit autem et ipse super nos, ut nos protegeret. Isa. XXVI, 1 : *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator,* etc. Et, ut nos excitaret ad bonum, Deuteron. XXXII, 11 : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans.*

42 « *Et respondebo.* » Hic tertium, ad quid petit illam gratiam, ad strenue respondendum et audacter infidelibus, et adversariis : unde dicuntur duo. Primo, promissio de audaci responsione, si petita gratia data fuerit. Secundo, quia erit etiam firmatus spe victoriæ, ibi, « *Quia speravi.* »

Ait ergo : Sic veniat super me gratia per salutare : « *Et* » tunc audacter et strenue « *respondebo verbum* » fidei, et confessionis, « *exprobrantibus,* » Judæis scilicet, qui de fide Christiana scandalizantur, et Gentibus qui reputant illam stultitiam [1]. Mali enim solent exprobrare bonis. Jerem. XV, 15 : *Scito,* inquit, *quoniam sustinui propter te opprobrium.* Sed his respondeo, non confusus de me, sed « *quia speravi in sermonibus tuis,* » quibus dicis, ad Roman. X, 8 : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo* [2]. Et illud Luc. XXI, 15 : *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Et tunc accepta sapientia potero respondere. Proverb. XXVII, 11 : *Stude sapientiæ, fili mi, ut possis exprobranti respondere sermonem.* Aliter non respondeas mihi prius habita sapientia. Eccli. V, 14 : *Si est tibi intellectus, responde proximo : sin autem, sit manus super os tuum.*

« *Et ne auferas.* » Hic secundum. 43
Postquam enim petiit gratiam sibi dari ad strenue respondendum, hic petit eamdem gratiam non auferri : et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, ratio quare adjiciendum, ibi, « *Quia in judiciis.* »

Dicit ergo : Sic da gratiam, et respondebo : « *Et* » etiam « *ne auferas,* » gratiam subtrahendo, « *de ore meo verbum veritatis,* » strenuæ et audacis confessionis et prædicationis, « *usquequaque,* » omnino scilicet, vel usque valde, et si ad horam auferas, sicut in Petro factum est [3], tamen restituas cito, sicut fecisti illi [4].

Notandum autem, quod verbum veritatis aufertur de ore prædicatoris. Primo, propter indignitatem prædicantis. Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus :* **Multis de causis verbum veritatis aufertur de ore prædicatoris.**

[1] I ad Corinth. I, 23 : *Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*

[2] Cf. Deuter. XXX, 14 : *Juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.*

[3] Cf. Matth. XXVI, 34.

[4] Cf. Luc. XXII, 62.

Quare tu enarras justitias meas? Propter temporis importunitatem, Eccli. xx, 22 : *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo.* Propter ætatis insufficientiam. Hinc dicebat Jeremias in principio, Jerem. I, 6, cum ad prædicandum mitteretur, sciens quod reprobaretur, nisi ex speciali gratia : *A, a, a, Domine Deus meus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Propter incredulitatem, sicut in Zacharia, patre Joannis, factum est, Luc. I, 20 : *Et Ecce eris tacens, et non poteris loqui,... pro eo quod non credidisti verbis meis.* Propter audientium malitiam, Ezechiel. III, 26 : *Linguam tuam adhærere faciam, palato tuo, et eris mutus,... quia domus exasperans est.* Isa. v, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.*

« *Quia in judiciis.* » Ecce ratio quare sic peto quod non auferas, et debes non auferre : « *Quia* » non in me, nec in aliquo alio homine, sed « *in judiciis tuis,* » quibus aliquando flagellas me, « *supersperavi,* » non tantum speravi, quia inde majus aliquid exspectavi. Job, XIII, 15 : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Psal. XXVI, 3 : *Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo :* quia supra condignum sperabo. Ad Roman. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Vel, supersperabo, quia non tantum sperabo, sed gloriabor, quod est plus. Ad Roman. v, 3 : *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur.* Vel, supersperavi in judiciis tuis : timens enim judicia tua, gratiam custodivi : timor enim custodit bona in anima, et reprimit, et conservat, et sic ex consequenti per spem sublevat, et sic ipse timor spem generat.

44 « *Et custodiam legem tuam.* » Hic secundum primæ partis. Postquam enim petiit gratiam strenue proferendi, petit hic gratiam stenue operandi, quia perseveranter : et dicuntur duo. Primo, petit gratiam operandi perseveranter. Secundo, exponit de qua perseverantia intendit, ibi, « *In sæculum.* »

Ait enim : Sic petii ut gratia ad respondendum detur, et non auferatur : « *Et* » etiam rogo, « *custodiam,* » id est, custodire mihi detur, quod erit si non abstuleris verbum, « *legem tuam semper,* » legem scilicet charitatis quam superius mihi poni petii : et hoc « *in sæculum* » consecutivum « *sæculi.* » Exponit quod dixerat *semper*. Proverb. III, 21 : *Custodi legem meam atque consilium, et erunt vita animæ tuæ.* Est autem hæc custodia per dilectionem : qui enim habet et custodit charitatem, legem tuam custodit. Sapient. VI, 19 : *Dilectio? custodia legum illius est.* Ad Roman. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.*

« *Et ambulabam.* » Hic est secunda pars hujus octonarii, in qua secundum Glossam gratulabundus confitetur se adeptum esse quod petiit. Sed advertendum diligenter, quod loquitur Ecclesia, quæ in suis partibus prædicta impleri petiit, et ut moveat judicem, et persuadeat, recolit tamquam grata, quæ in aliquibus jam accepit, aliis ab illis pro quibus jam petit : et sunt duo quæ confitetur se accepisse, quæ supra petebat, tamen in aliis se accepisse fatetur, quam in illis pro quibus petiit. Primum, strenuitas operationis bonæ. Secundum, audacia prædicationis veræ, ibi, ỳ. 46 : « *Et loquebar.* » 45

In prima duo. Primo, confitetur se gratiam operandi accepisse. Secundo, ostendit quare accepit, ibi, « *Qui mandata tua.* »

Dicit ergo : Sic petii gratias has mihi dari pro aliquibus membris : « *et ambulabant* » jam « *in latitudine,* » mandatorum in quibusdam : unde, Domine, hoc etiam dabis aliis. Psal. XVII, 37 : *Dilatasti gressus meos subtus me, et*

non sunt infirmata, etc., quin strenue et viriliter incedam. Hæc autem latitudo charitas est, de qua infra, in eodem Psalmo CXVIII, 96 : *Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.* Hæc est latitudo, de qua Paulus, ad Ephes. III, 18 : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo*, etc. : tanta enim est charitatis latitudo, ut usque ad inimicos extendatur.

« *Quia mandata tua.* » Ecce secundum. Quasi dicat : Sic ambulabam non meis meritis, sed « *quia mandata tua*, » orationibus et suplicationibus « *exquisivi*, » et tu dedisti : unde et sic nunc facies : quia, Luc. XI, 9 : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.* Sapient. VIII, 2 : *Hanc amavi et exquisivi a juventute mea*, scilicet sapientiam implendi mandata Dei.

46 « *Et loquebar.* » Hic secundum, in quo ostendit se audacter docuisse : et dicuntur duo. Primo, ostendit in se fuisse docendi audaciam. Secundo, rectam ad dicendum præparationem, ibi, ℣. 47 : « *Et meditabar.* »

In prima duo. Primo, quod in conspectu terribilium docuerit. Secundo, quod timor et confusio abfuerit, ibi, « *Et non confundar.* »

Ait ergo : Sic ambulabam in latitudine, et etiam « *loquebar in testimoniis :* » *in*, pro de, id est, de testimoniis tuis, scilicet de testimoniis Scripturarum, non de fabulis. Hæc sunt testimonia, de quibus supra, in Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Joan. XXI, 24 : *Scimus quia verum est testimonium ejus.* Vel, *in testimoniis*, ut sumatur proprie, id est, in martyriis, quando sancti occidebantur. Act. IV, 29, in testimoniis loquebantur, qui rogabant : *Da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Et hoc, « *in conspectu regum*, » terribilium, unde major poterat esse timor. Matth. X, 18 : *Et ad præsides et ad reges ducemini, in testimonium illis et gentibus.*

Et tamen, « *non confundebar*, » confusio aberat. Eccli. VII, 6 : *Ne extimescas faciem potentis.* Talem volebat Paulus esse Timotheum, cum dicebat, II ad Timoth. II, 15 : *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis :* quia, Proverb. XXIX, 25, dicitur : *Qui timet hominem, cito corruet.* Isa. L, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus.* Luc. IX, 26 : *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.*

« *Et meditabar.* » Hic secundum, in quo ostendit in se præcessisse rectam præparationem ad loquendum, quia præcessit inspectio : locuturus enim debet primo meditari quid loquatur. Et etiam præcessit operatio : non enim decet hominem docere quod non facit, ibi, ℣. 49 : « *Et levavi.* » 47

Ait ergo : Sic loquebar, nec confundebar, « *et meditabar in mandatis tuis*, » non ex desperatione, ut non crederem te dare posse quod dicerem, cum dicas, Matth. X, 19 : *Dum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare*, etc. Sed « *quæ*, » id est, quia « *dilexi nimis.* » Ob hoc justus meditatur. In Psal. XXXVI, 30, supra : *Os justi meditabitur sapientiam.* Deuter. VI, 7 : *Meditaberis in eis, sedens in domo tua.* In Psalmo I, 2 : *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Eccli. VI, 37 : *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei.*

« *Et levavi manus.* » Hic ostendit se præparatum per operationem : et dicuntur duo. Primo, quod recta intentione operatus est. Secundo, quod in bono opere exercitatus, ibi, « *Et exercebar.* » 48

Ait enim : Sic meditabar locuturus coram regibus, et etiam faciebam quod dicebam, quia « *et levavi manus meas,* » non ad terrena depressi, « *ad mandata tua,* » implenda. Ac si dixisset : Intentione superiorum, manum misi ad implenda mandata. Sic levare monet Jeremias, Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* Exod. XVII, 11 : *Cum levaret Moyses manus, vincebat Israel,* et proinde vincebatur Amalec.

« *Quæ dilexi.* » Sicut supra subjungit causam, quare levaverit : « *Quæ,* » id est, quia illa « *dilexi.* » Dilectio ergo quæ fecit meditari, fecit et opere adimplere intentione recta, non sicut antiquitus. Judæi enim mandata adimplebant temporalium amore. Isa. I, 19 : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis.* Exod. XVII, 12 : *Manus Moysi,* Judaici populi, *erant graves,* ad terrena tendentes.

« *Et exercebar.* » Hæc est vera littera. Quasi diceret : Sic recta intentione operatus sum, non tantum semel, imo « *exercebar,* » frequenter operando et cogitando, « *in justificationibus tuis,* » in mandatorum operibus, quæ justificatum ostendunt. Supra, in Psal. LXXVI, 13 : *Meditabor in omnibus operibus tuis, et in adinventionibus tuis exercebor.*

Vide ergo diligenter quomodo gratiam petierit ad adversarios fidei, et ipsam non auferri, et persuaserit tamquam gratus ex bonis jam acceptis : tam dignis autem petitionibus deesse non potest, cujus honor desideratur, qui dicit, Isa. LXV, 24 : *Et erit, antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Et, LVIII, 9 : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum.* Propter quod hic præponitur litera Hebræa VAU (ו), quod interpretatur *ipse.* Quasi dicat : Iis clamoribus qui hic fiunt, adest ipse qui petitur præsens, et non alius.

ZAIN (ז).

49. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.
50. Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.
51. Superbi inique agebant usquequaque, a lege autem tua non declinavi.
52. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum.
53. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
54. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.
55. Memor fui nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.
56. Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.

ZAIN (ז)

« *Memor esto.* » Hic subjungitur tertium, quod pertinet ad meritum proficientium, quantum ad habilitatem bene operandi. Actum est enim de promptitudine cordis, de strenuitate exterioris operis : sed quia adhuc ut sit bene habilis, necessaria est consolatio spiritualis, agitur hic de consolatione laborantis, et strenue operantis.

Dividitur autem iste octonarius secundum quatuor causas consolationis, quas tangit hic loquens in persona prompti

corde, et strenui in exteriori opere. Prima est æternorum bonorum divina promissio. Secunda, judiciorum Dei recordatio, ibi, ỳ. 52 : « *Memor fui judiciorum.* Tertia, Scripturarum læta meditatio, ibi, ỳ. 54 : « *Cantabiles mihi erant.* » Quarta, vigil oratio, ibi, ỳ. 55 : « *Memor fui.* »

In prima dicuntur duo. Primo, petit cito adimpleri divinam promissionem sibi factam. Secundo, ostendit divinæ promissionis efficaciam, ibi, « *In quo mihi spem dedisti.* »

49 Dicit ergo : Sic da strenuitatem in opere et confessione nominis, ipsemet adstans mihi : et, o Domine, « *memor esto,* » non ad memoriam reducendo, sicut nos qui obliviscimur, sed cito adimplendo, ut ad modum habeas memorantis, « *verbi tui,* » promissionis scilicet tuæ. Verbi, inquam, facti « *servo tuo,* » non servo pecuniæ. Matth. vi, 24 : *Non potestis Deo servire, et mammonæ.* Ad Ephes. v, 3 : *Avaritia nec nominetur in vobis,* quia idolorum servitus est [1]. Non gulæ, de qua scribitur, ad Hebr. xiii, 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*, sui corporis scilicet. Non alicujus brevis creaturæ, sicut illi de quibus dicit Apostolus, ad Roman. i, 35 : *Servierunt creaturæ potius quam Creatori.* Non peccati, quod deterius est. Joan. viii, 36 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

« *In quo mihi spem dedisti.* » Hic ostendit effectum promissionis. Primo, quia generat in eo spem. Secundo, quia per spem in adversitatibus consolationem, ibi, ỳ. 50 : « *Hæc me consolata est.* »

Quæ verba potissimum in nobis spem generent?

Ait ergo : Sic cito imple verbum promissionis, « *in quo,* » verbo, « *dedisti mihi spem,* » id est, per quod verbum spem in me generasti. Hoc verbum potest esse illud Evangel. Luc. v, 32 : *Non veni vocare justos, sed peccatores,* scilicet ad pœnitentiam. In hoc spes peccatoribus. Et rursus, illud Isa. xlix, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui : et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.* In hoc spes in tentatione laborantibus. Et iterum, Joan. xvi, 33 : *Confidite, ego vici mundum.* In hoc spes certantibus, et in bono proficientibus. Et adhuc, Matth. v, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* In hoc spes perfectis, et jam a labore tentationum quiescentibus. Omnes hi per hæc verba spei adhærent tamquam anchoræ firmæ, et tutæ. Ad Hebr. vi, 18 et 19 : *Confugimus ad tenendam propositam spem : quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

« *Hæc me consolata est.* » Hic secundum, in quo ostendit effectum secundum, qui est consolatio in affectione : unde dicuntur tria. Primo, quod ex spe est consolatio. Secundo, ratio quare consolatur illa spes, ibi, « *Quia eloquium tuum.* » Tertio, specificatio tribulationis, in qua est consolatio, ibi, ỳ. 51 : « *Superbi inique.* » 50

Dicit ergo : Sic rogo ut cito promissionem impleas operantem in me spem : et « *hæc* » spes « *consolata est me,* » sed non nisi « *in humilitate mea,* » id est, quando sum humiliatus, et confessus peccata : quia, Job, xxii, 29, dicitur : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Judith, vi, 15 : *Domine,... respice ad nostram humilitatem.* Tales enim respicit, et consolatur. Isa. lxvi, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et humilem,* etc. Vel, « *in humilitate mea,* » id est, in despectione, et afflictione, non solum illa quam patior pro primorum parentum peccato, sed etiam quam sustineo ab inimico. Scio enim illud Pro-

[1] Ad Galat. v, 20.

verb. xv, 33 : *Gloriam præcedit humilitas*. Et illud Act. xiv, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. In sermone ergo Domini juste invenit spém, et consolationem, secundum illud Apostoli, ad Roman. xv, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus*.

« *Quia eloquium*. » Ecce ratio quare spes consolatur. Quasi diceret : Idcirco dico quod spes consolata est me, « *quia eloquium tuum*, » qui tam verus, et certus, et fixus es, « *vivificavit me*, » vivacem intellectum et affectum præbuit, ut sperarem. Levit. xviii, 5 : *Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo, vivet in eis*. Deuter. xxxii, 46 et 47 : *Ponite corda vestra in omnia verba,... ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere universa, quæ scripta sunt*, supple, in volumine, *legis hujus : quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent* : multo fortius quæ scripta sunt in volumine Evangelico vivifico. Joan. vi, 64 : *Verba quæ ego locutus vobis, spiritus et vita sunt*. Et, viii, 52 : *Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum*.

51 « *Superbi inique agebant*. » Hic tertium, in quo signanter ostendit, qualiter humiliatus fuerit, et a quibus : et ne videatur cecidisse, duo tanguntur. Primo, a quibus, et qualiter impugnatus fuerit, et afflictus, quia a superbis et inique agentibus valde. Secundo, qualiter steterit, ibi, « *A lege autem tua*. »

Dicit ergo : Sic dixi me consolatum in humiliatione, et vere in humiliatione et dejectione : quia « *superbi* » persecutores mei, qui nolebant sub te humiliari, « *inique agebant*, » contra me, et non parum, imo « *usquequaque*, » id est, multum : unde alia littera habet, « Usque valde. » Superbo enim non sufficit, quod malus sit, nisi alios avertat a bono, et affligat eos. Proverb. iii, 27 : *Noli prohibere benefacere eum, qui potest : si vales, et ipse bene fac*. Sed non quiescit agere inique contra bonos. Jerem. ix, 5 : *Ut inique agerent*, supple, contra bonos, *laboraverunt*, Isa. lii, 5 : *Dominatores ejus inique agunt*. Propter hoc clamat Habacuc, i, 13 : *Quare respicis super iniqua agentes, et taces devorante impio justiorem se ?* Ipsi ita, et tu quid ? Ecce : « *A lege autem tua non declinavi*, » quantumcumque me impellerent. Psal. cxviii, 102 : *A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi*. Job, xxxi, 7 : *Si declinavit gressus meus de via*, supple, male mihi accidat. Eccle. x, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*, legem scilicet Dei. Ad Ephes. iv, 27 : *Nolite locum dare diabolo*, impatientiam in tribulationibus habendo, a lege Dei recedendo.

« *Memor fui judiciorum*. » Hic secundum, in quo agitur de secundo, per 52
quod est in ipso consolatio : et dicuntur tria. Primo, judiciorum Dei recordatio. Secundo, consolatio ex consideratione illa, ibi, « *Et consolatus sum*. » Tertio, tædium quoddam, et cordis afflictio propter mala aliena, ibi, ℣. 53 : « *Defectio tenuit me*. » Sic enim divinorum judiciorum recordatione Sanctos consolatur, ut etiam pro alienis miseriis affligantur. Secundum est ibi, « *Et consolatus sum*. » Tertium, ibi, « *Defectio tenuit me*. »

Dicit ergo : Sic consolationem habui in promissis tuis, et etiam « *memor fui judiciorum tuorum*, o *Domine*, » Domine, inquam, « *a sæculo*, » ex quo fuit cui posses dominari. *Judiciorum*, inquam, quia malos punies in æternum. Multiplex judicium.
Ad hoc enim monet Job, xix, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est : et scitote esse judicium*, de quo noluit impius cogitare.

Proverb. xxviii, 5: *Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.* Hujus memor fui, « *et consolatus sum* » cogitans quanta erit sanctorum lætitia de miseria illorum. Psal. lvii, 11: *Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas*, etc. Et est judicium mortis, de quo Eccli. xxxviii, 23: *Memor esto judicii mei: sic enim erit et tuum.* « *Et consolatus sum,* » quia supra, in Psal. cxv, 5: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Et est judicium afflictionis, quo tuos affligis in præsenti, et in hoc ipso consolaris. Ad Hebr. xii, 5: *Et obliti estis consolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur*, Deus scilicet. Propter hoc dicitur, Job, vi, 9 et 10: *Solvat manum suam, et succidat me. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* Et est judicium proprium, quo Filius Dei judicatus fuit, de quo, Eccli. iii, 2: *Judicium patris*, Dei quod dedit Filio, *audite, filii.* Et hoc consolatorium est Sanctorum, de quo, in Psal. xxii, 4: *Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

53 « *Defectio tenuit me.* » Hic tertium, in quo subjungitur nihilominus afflictio pro spiritualibus miseriis aliorum: et dicuntur duo. Primo, tangit propriam afflictionem, usque ad defectionem. Secundo, rationem illius defectionis, ibi, « *Pro peccatoribus.* »

Dicit ergo: Sic consolatus sum tua meditans judicia, quantum est de me: sed quantum ad alios, « *defectio tenuit me,* » vel « tædium, » secundum aliam litteram, et afflictio cordis, « *pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam:* » tantum zelo arder pro bono illorum. Infra, in eodem Psalmo cxviii, 139: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Thren. ii, 11: *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritione filiæ populi mei.* Sic deficiebat Paulus, II ad Corinth. xi, 29: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* II Petr. ii, 8: *Animam justam iniquis operibus cruciabant.*

« *Cantabiles mihi erant.* » Hic tertium, ex quo est consolatio Scripturarum, justitiæ meditatio et lectio. Et tangitur primo consolatio propter Scripturas, et modos consolandi. Secundo, locus in quo datur hæc consolatio, ut major appareat, ibi, « *In loco.* » 54

Ait enim: Sic consolatus sum promissione, judiciorum tuorum recordatione, et quamvis deficiam aliena miseria, et transgressione, tamen « *justificationes tuæ,* » Scripturæ sacræ, mandata justificantia continentes, « *erant mihi cantabiles,* » sicut cantilena delectabiles, cum illas cogito, lego: vel, ad litteram in Ecclesia decanto. In Psal. vii, 1, supra: *Cantate Domino canticum novum.* Judith, xvi, 2: *Cantate Domino in cymbalis.* Multum enim solantur Scripturæ, Job, xxxv, 10: *Qui dedit carmina in nocte.* Carmina in nocte, Scripturæ sacræ in tribulatione. Ad Roman, xv, 4: *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus.*

« *In loco peregrinationis meæ,* » in hac vita, quæ peregrinatio est. II ad Corinth. v, 6: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Sancti enim peregrini sunt, quod probat, quia in hac vita non ædificant magna palatia, sed exspectant æterna, Ad Hebr, xiii, 14: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Quia semper finem vitæ suæ considerant, Isa. xxxiii, 17: *Oculi ejus cernent terram de longe.* Quia minus quam possunt se onerant, sicut illi boni peregrini, qui dicebant, Matth. xix, 27: *Ecce nos reliquimus omnia*, etc. Quia pretiosas vestes non curant, sed tantummodo necessarias, se-

Sancti in hac vita peregrini.

cundum illud Pauli, II ad Timoth. vi, 8: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Quia fortia calceamenta sibi procurant: sanctorum exempla ad muniendum affectus. Jerem. ii, 25: *Prohibe pedem tuum a nuditate.* Exod. xii, 11: *Calceamenta habebitis in pedibus.* Quia quotidie computant cum seipsis, qualiter expendunt vitam suam, Psal. lxxvi, 7: *Meditatus sum nocte cum corde meo.* Quia bonis se jungunt, et mala consortia abhorrent, vel fugiunt quantum possunt, Eccli. xxvii, 10: *Volatilia ad sibi similia congregantur.* Quia de via diligenter inquirunt, dicentes illud Psal. cxlii, 8: *Notam fac mihi viam in qua ambulem.*

55 « *Memor fui nocte.* » Hic est quarta pars, et ultima hujus octonarii, in qua ostendit se consolatum vigili oratione: et tanguntur tria. Primo, vigil oratio. Secundo, fructus sequens ex illa vigilia, ibi, « *Et custodivi.* » Tertio, necessitas vigilandi in oratione, sive causa, ibi, ỷ. 56: « *Hæc facta est mihi.* »

Dicit ergo: Sic consolatio, et consolationi fuerunt mihi justificationes tuæ, et etiam « *memor fui nocte,* » materiali ad litteram. In Psal. lxii, 7, supra: *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te.* Thren. ii, 19: *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum.* Vel, in nocte adversitatis. Isa. xxvi, 9: *Anima mea desideravit te in nocte.* Et, infra, ỷ. 16: *Domine, in angustia requisierunt te.* Tunc enim cum adversitates surgunt, Deo cantandum. Job, xxxv, 10: *Qui dedit carmina in nocte,* lætitiam in tribulatione.

« *Et custodivi.* » Ecce secundum. Quasi diceret: Sic in nocte oravi, « *et* » hoc modo « *custodivi legem tuam,* » quia scriptum est: *In die mandavit Dominus misericordiam suam,* et literali, et spirituali, quod est prosperitas: *et nocte,* literali, et spirituali, quod est adversitas, *canticum ejus* [1]. Vel sic: « *Custodivi legem tuam,* » quæ docet in tribulatione nos converti ad te. II Paral. xx, 12: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

« *Hæc facta est mihi.* » Hic tertium, 56
scilicet necessitas vigilandi de nocte: vult enim Glossa, ut hoc relativum, *hæc,* referatur ad noctem.

Ait ergo: Sic memor, et vigil fui in nocte: et « *hæc,* » vigil nox, « *facta est mihi,* » id est, propter hoc in nocte vigilavi, « *quia justificationes tuas exquisivi:* » quia quærebam, per quem possem justificari, et tunc sciebam me magis impugnari ab adversario: tunc enim, de nocte scilicet, dejecit Petrum, quando ter negare fecit [2]. Supra, in Psal. ciii, 20: *Facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* Vel, de nocte adversitatis, ita fui memor nocte, et nox « *hæc* » adversitatis, « *facta est mihi,* » ad utilitatem mei, ut per illam instruerer. Isa. xxviii, 19: *Vexatio intellectum dabit auditui.* Thren. i, 13: *Misit ignem,* tribulationis, *in ossibus meis: et erudivit me,* ut sanctior et purior fierem. Apocal. xxii, 11: *Qui justus est, justificetur adhuc: et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Imo ut per ipsam salvarer. Jerem. xxx, 7: *Tempus tribulationis est Jacob, et ex ipsa salvabitur.* Et hoc, « *quia* » custodivi, vel « *justificationes tuas exquisivi.* » Sic enim tuos illuminas, purgas, et salvas.

Ecce quomodo in hoc octonario ostendit se consolatum in tribulationibus, ex Dei promissione, ex judiciorum recordatione, ex Scripturarum lectione, et recitatione, et ex vigili oratione in nocte materiali, et spirituali. Unde optime

[1] Psal. xli, 9.

[2] Cf. Matth. xxvi, 69 et seq.

præponitur littera, ad hoc exhortans nos, Zain scilicet, (ז), quod interpretatur *huc*, vel *duc te*: et junge, *huc duc te.* Quasi diceret: Tu quicumque es qui vis proficere, ad hæc quæ hic audis, duc te ad promissionem divinam, et judiciorum memoriam, etc.

Heth (ח)

57. Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam.
58. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo : miserere mei secundum eloquium tuum.
59. Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua.
60. Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.
61. Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legem tuam non sum oblitus.
62. Media nocte surgebam, ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ.
63. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.
64. Misericordia tua, Domine, plena est terra : justificationes tuas doce me.

heth (ח).

« *Portio mea, Domine.* » In hoc quarto octonario agitur de quarto quod est necessarium, nempe perseverantiæ proposito, quæ primo requiritur in proficiente. Quid enim valeret promptitudo cordis, quid strenuitas operis, quid consolatio spiritualis, si non daret propositum perseverandi agendo bonum, et sustinendo malum? Nihil. Propter hoc in hoc octonario quarto agitur de proposito perseverandi. Et primo, de proposito perseverandi in agendo bonum. Secundo etiam in sustinendo malum, ut numquam propter hoc desistat. Et secundum hoc dicuntur duo hic. Primo, confitetur se habere propositum adimplendi bonum simpliciter, et perseverandi in illo simpliciter. Secundo, etiam ingruente persecutione specialiter, ibi, ℣. 60 : « *Paratus sum, et non sum turbatus.* »

In prima confitetur propositum persistendi. Secundo, monstrando unde habeat fiduciam persistendi, ne præsumptio judicetur tale propositum, ibi, ℣. 58 : « *Deprecatus sum.* »

Dicit ergo : Affectuose loquens ad Do- 57
minum, sic consolatus sum : sed, o tu Domine, qui es « *portio mea.* » Alia littera, « Pars mea, » quod idem est. In Psal. CXLI, 6, infra : *Dixi : Tu es spes mea, portio mea,* etc. Et supra, in alio Psalmo XV, 5 : *Dominus pars hæreditatis meæ.* Thren. III, 24 : *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Volo esse de ordine Levitarum. Deuter. XVIII, 20 : *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars et hæreditas tua.* Et sicut tangitur in Glossa, idem est ac si diceret : Me non inflammat libido, quæ est pars luxuriosi : non stimulat avaritia, quæ est pars avari : non exterminat lascivia, quæ est pars dissoluti : non decolorat luxuria, quæ est pars gulosi : non sternit ambitio, quæ est pars superbi : non macerat invidia, quæ est pars invidi : non aliqua cura sæcularium erit sollicitans, quæ est pars curiosi : sed tu portio mea optima. Luc. X, 43 : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Ergo, o « *Domine, portio mea, dixi,* » firmiter proposui, « *custodire le-*

gem tuam, » scilicet in custodia legis perseverare et persistere. Supra, in Psal. xxxviii, 2 : *Dixi : Custodiam vias meas.* Et, infra, Psal. cxviii, 106 : *Juravi et statui custodire judicia*, etc. De talibus erant illi, de quibus dictum est, I Machab. i, 65 et 66 : *Multi de populo Israel desinierunt apud se,... et noluerunt infringere legem Dei sanctam*, etc.

58 « *Deprecatus sum.* » Hic tangitur fiducia propositi, unde sit, quia ex duobus : ex conversione affectus sui in Deum per orationem, et conversione omnium, scilicet operum, quod fit per rectam operationem, ibi, ℣. 59 : « *Cogitavi vias meas.* »

In prima duo. Primo, asserit se orasse, et sic affectum convertisse in Deum. Secundo, ostendit quid oraverit, ibi, « *Miserere mei.* »

Dicit ergo : Sic proposui non confidens de viribus meis, imo « *deprecatus sum,* » convertens affectum meum ad te, « *faciem tuam,* » Filium scilicet per quem cognosceris, sicut homo per faciem. Job, v, 8 : *Ego deprecabor Dominum*, Patrem, *et ad Deum*, Filium, *ponam eloquium meum.* Hæc facies, quam desiderabat Moyses, Exod. xxxiii, 13 : *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Sed hoc non poterat esse : sed visa est in Incarnatione, tamen velata pallio nostræ mortalitatis. Isa. xlv, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.* Sed in futuro videbitur aperte, et in magna exsultatione. Job, xxxiii, 26 : *Deprecabitur Deum, et placabilis ei erit, et videbit faciem ejus in jubilo.* Deprecatus sum ego faciem, et hoc « *in toto corde meo,* » quia, sicut dicit Augustinus, « divisa mens non impetrat. » II Reg. vii, 27 : *Invenit servus tuus cor suum ut oraret te.* Sapient. viii, 21 : *Adii Dominum, et deprecatus sum illum, et dixi ex totis præcordiis meis.*

« *Miserere mei.* » Ecce quid rogaverit. Quasi diceret : Deprecatus sum in toto corde meo, supple, dicens : « *Miserere mei,* » veniam præstando, gratiam perseverantiæ infundendo : et hoc « *secundum eloquium tuum.* » Ezech. xviii, 22 : *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor amplius.*

« *Cogitavi vias meas.* » Hic secundum, ex quo confidentia, scilicet affectuum, hoc est, operum conversio ad Deum. Et primo, tangitur operum consideratio cum diligentia. Secundo, consideratorum conversio in Deum, ibi, « *Et converti pedes.* » 59

Dicit ergo : Sic oravi, et etiam « *cogitavi,* » diligenter attendi et inspexi, « *vias meas,* » operationes meas. Primo enim standum est super vias suas, Jerem. vi, 16 : *State super vias*, etc. Postea inspiciendæ simpliciter, Jerem. ii, 23 : *Vide vias tuas.* Tertio, cogitandæ sunt, sicut dicitur hic, et Proverb. xxxi, 27, de forti muliere : *Consideravit semitas domus suæ.* Quarto, recogitandæ, Isa. xxxviii, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos.* Quinto, diligenter scrutandæ, Thren. iii, 40 : *Scrutemur vias nostras.* Et sexto, corrigendæ. Supra, in eodem Psal. cxviii, 9 : *In quo corrigit adolescentior viam suam.* Causa autem omnium horum tangitur, Proverb. xiv, 12 : *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.*

« *Et converti,* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic primo cogitavi, « *et* » tunc « *converti pedes meos,* » a vitiis meis pravis, « *in testimonia tua,* » quæ errare non possunt, ut de cætero ambularem secundum illa. Isa. xxxi, 6 : *Convertimini, sicut in profundum, scilicet in longinquum recesseratis, filii Israel.* Isa. xxiii, 7 : *Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum.* Sed reverti oportet

et convertere pedes cum filio prodigo redeunti [1].

Matth. XIX, 20 : *Omnia hæc custodivi a juventute mea.*

60 « *Paratus sum.* » Hic est secunda pars hujus octonarii, in qua postquam ostendit se paratum perseverare simpliciter, ostendit etiam se paratum in adversitate specialiter : et dicuntur duo. Primo, fatetur se promptum in adversis et constantem. Secundo, unde habeat promptitudinem, et constantiam, ibi, ℣. 62 : « *Media nocte.* »

In prima duo. Primo, confitetur sui promptitudinem in adversitate non obstante. Secundo, in promptitudine constantiam, ibi, ℣. 61 : « *Funes peccatorum.* »

In prima tria. Primo, fatetur promptam esse voluntatem. Secundo, rationem quietam nec turbatam, ibi, « *Et non sum turbatus.* » Tertio, ad quid promptam, ibi, « *Ut custodiam.* »

Dicit ergo : Sic proposui custodire legem, et etiam « *paratus sum,* » prompta voluntate. Supra, in Psal. CVII, 2 : *Paratum cor meum, Deus.* Tales volebat Paulus esse Corinthios ad eleemosynas, II ad Corinth. IX, 3 et 4 : *Ut parati sitis, ne cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos,* etc. Sic paratus erat Samuel, I Reg. III, 5 : *Ecce ego : vocasti enim me.* « *Et non sum turbatus,* » mota ratione. Jerem. XVII, 16 : *Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens.* Joan. XIV, 1 : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Sic paratus erat, nec turbabatur, qui dicebat, Act. XXI, 13 : *Mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu.*

« *Ut custodiam.* » Quasi diceret : Ad hoc paratus sum, « *ut custodiam mandata tua,* » quacumque adversitate ingruente. Eccle. XII, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est omnis homo.* Felix qui dicere potest illud

« *Funes peccatorum.* » Hic fatetur se constantem. Duo ergo dicuntur. Primo, confitetur adversariis se circumdatum. Secundo, penitus se immotum, ibi, « *Et legem.* » 61

Dicit ergo : Sic non turbor adversitatibus malorum hominum, et etiam « *funes peccatorum,* » id est, tentationes ad peccata trahentes, « *circumplexi sunt me,* » scilicet motus carnales inclinantes ad culpam, et dæmonum suggestiones. I Reg. XXII, 5 : *Circumdederunt me contritiones mortis, et torrentes Belial conturbaverunt me.* Proverb. V, 22 : *Funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.* Et, VII, 16 : *Intexui funibus lectulum meum.* Unus ergo funis, fomes : alius, consuetudo prava : tertius, suggestio diabolica, a quibus non evadit nisi constans. Eccle. IV, 12 : *Funiculus triplex difficile rumpitur.*

Qui dicuntur funes peccatorum ?

« *Et* » tamen, quamvis ita circumdatus funibus, « *legem tuam non sum oblitus,* » attendens illud Proverb. III, 1 : *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ.* Iste ergo volens proficere sentit se circumplexum. Hoc est quod dicit Gregorius : « Cum quis se expedire mititur, « tunc conspicit quam duris funibus te- « neatur. »

« *Media nocte.* » Hic tertium, in quo ostendit per quæ habeat tantam fiduciam, quia per tria. Per devotam et sollicitam gratiarum actionem ad Deum. Per participationem bonorum aliorum, ibi, ℣. 63 : *Particeps ego sum.* » Tertio, per abundantiam divinæ misericordiæ, ibi, ℣. 64 : « *Misericordia tua, Domine.* » 62

In prima duo. Primo, gratiarum actio sollicita. Secundo, super quo est illa gratiarum actio, ibi, « *Super judicia.* »

[1] Cf. Luc. XV, 20.

Dicit ergo : Sic promptus sum, et constans, et confidentiam habeo, quia « *media nocte,* » præ sollicitudine, « *surgebam,* » aliis jacentibus, « *ad confitendum,* » confessione laudis, et gratiarum actionis. Sic nox accipitur ad litteram : tunc enim sicut in alio octonario tactum fuit, magis solent tentationes insurgere. Luc. XXII, 53 : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Et tunc refugientes, et vigilantes ad se Deus magis adjuvat. Exod. XII, 29 : *In noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Vel, « *media nocte,* » id est, in profunda tribulatione : tunc enim surgendum ad gratias referendum Deo. In Psal. CXXXIII, 2, infra : *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.*

« *Super judicia.* » Ecce super quo gratias agit. Quasi diceret : Sic surgebam ad confitendum, et gratias agendum : et hoc, « *super judicia justitiæ tuæ,* » judicantis me dignum miseria et afflictione : per hoc enim scio me esse de domo tua, et familia. I Petr. IV, 17 : *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei.* Ezech. IX, 6 : *A sanctuario meo incipite.* Stultus valde est, qui non gratias agit de sua purgatione in præsenti. Daniel. IX, 14 : *Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis.* Et, III, 27 et 28 : *Justus es in omnibus quæ fecisti nobis... Judicia enim vera fecisti,... quia in veritate et in judicio induxisti omnia hæc.*

63 « *Particeps ego sum.* » Hic secundum, scilicet bonorum factorum participatio. Et primo, confidenter asserit se participem bonorum a malo per timorem Dei recedentium. Secundo, bonum per amorem facientium, ibi, « *Et custodientium.* »

Dicit ergo : Sic confido, quia in ipsis malis gratias ago, et etiam si merita mea non sufficiunt, « *particeps ego sum,* » non aliquorum tantum, sed « *omnium timentium te,* » et sic a malo declinantium. Membrum enim non potest non esse particeps boni commembri sui. Ad Ephes. III, 6 : *Comparticipes promissionis in Christo Jesu.* Apocal. I, 9 : *Particeps in tribulatione et regno.* Omnes enim veri fideles dicunt illud Proverb. I, 14 : *Marsupium unum sit omnium nostrum.* Timentes autem Deum non solum recedunt a malo, sed etiam bonum faciunt. Eccli. XV, 1 : *Qui timet Deum, faciet bona.*

« *Et custodientium.* » Quasi diceret : Sic sum particeps timentium, « *et* » etiam « *custodientium mandata tua,* » sicut ego custodio, et alios participes esse volo bonorum quæ ago, non alius. Proverb. V, 17 : *Ne sint alieni participes tui* : sicut dicitur, I ad Corinth. XII, 26 : *Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Hæc est enim natura charitatis, ut communia quærat, non propria. I ad Corinth. XIII, 5 : *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Et Augustinus, sic exponit in *Speculo :* « Charitas, de « qua scriptum est, quod *non quærit* « *quæ sua sunt,* sic intelligitur, quia « communia propriis, non propria com« munibus anteponit. »

Explicat Glossa hunc versum etiam de Christo, qui per naturæ humanæ assumptionem omnium particeps est effectus. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est :* et sic particeps hominum. Ad Hebr. II, 14 : *Et ipse similiter participavit eisdem.*

« *Misericordia tua, Domine.* » Hic tertium, scilicet misericordiæ Dei abundantia, ex quo est confidentia : et tanguntur duo. Primo, exprimit divinæ misericordiæ plenitudinem. Secundo, quasi animo fervente subjungit petitionem, ibi, « *Justificationes.* » 64

Ait ergo : Sic gratias ago in adversitatibus, et bonorum aliorum particeps

existo, unde confido : potissime autem, quia « *misericordia tua, Domine, plena est terra,* » terra ad litteram materialis. Eccli. XVI, 30 : *Deus in terram respexit, et replevit illam bonis suis*, frugibus, arboribus, opibus. Et etiam habitatores terræ pleni sunt ejus misericordia, sive boni, sive mali. Matth. V, 45 : *Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*[1]. Isa. VI, 3 : *Plena est omnis terra gloria ejus.* Terra etiam spiritualis Virgo Maria. Luc. I, 28 : *Ave, gratia plena,* imo misericordia. Ipsa est enim vena aurea dulcedine misericordiæ plena, tamquam manna[2]. Ipsa oliva in oleo misericordiæ abundantissima. Eccli. XXIV, 10 : *Ego quasi oliva speciosa in campis.* Quid enim magis plenum oleo, quam oliva ?

« *Doce me.* » Hic secundum. Quasi diceret : Confido ex misericordiæ tuæ abundantia, o Domine, et propter hoc rogo : « *Doce me justificationes tuas,* » et veraciter cognoscere, et adimplere fortiter. Matth. XXIII, 8 : *Unus est magister vester.* Joel, II, 23 : *Filii Sion, exsultate in Domino Deo vestro : quia dedit vobis doctorem justitiæ.* Alibi, in Psal. CXVIII, 12 : *Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas.*

Vide ergo quomodo in hoc octonario, proponit stare, etiam in adversitate, non confisus de suis meritis, sed magis aliorum, et de divinæ misericordiæ abundantia, ad quam confugiens concludit totum in oratione. Et hoc notat littera præposita HETH (ח), quod interpretatur *pavor*, non quod tantum timeat recidivare, quantum timet se minus habere de cautela et sollicitudine perseverandi in bono quantum oporteat.

TETH (ט)

65. Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.
66. Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.
67. Priusquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi.
68. Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.
69. Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.
70. Coagulatum est sicut lac cor eorum : ego vero legem tuam meditatus sum.
71. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.
72. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.

THETH (ט)

« *Bonitatem fecisti.* » Hic est nonus octonarius, in quo postquam determinatum est de merito proficientium, quantum ad habilitatem ad bonum, quia habilitas illa posset esse cito præcipitatio, nisi adesset boni cognitio, agitur hic de merito proficientium, quantum ad cognitionem boni : et dividitur in quatuor partes, secundum quatuor quæ cognoscere oportet proficere volentem. Primum

[1] Cf. Luc. VI, 35.

[2] Cf. Numer. XI, 7.

est ipsa bonitas divina. Secundum est Dei æquitas. Tertium, veritas. Et quartum, charitas. Et secundum hæc quatuor, in hoc ordine sunt quatuor octonarii.

In hoc ergo primo agitur de profectu in cognitione divinæ bonitatis. Dividitur autem in tres partes, Cum enim nullus sit qui non sit expertus in aliquo bonitatem divinam, primo recolendo quod ipsam senserit, gratias agit de bonitate divina. Secundo, petit pro ipsa amplius sentienda, et intimius cognoscenda, ibi, ỳ. 66 : « *Bonitatem, et disciplinam.* » Tertio, ut ostendatur ratio suæ petitionis, ostendit profectum suum in cognita, ibi, ỳ. 71 : « *Bonum mihi, Domine.* »

In prima duo. Primo, recolendo beneficium gratias agit, quia accepit a Deo bonitatem. Secundo, assignat acceptionis causam, non sua merita, sed Dei veritatem, ibi, « *Secundum verbum.* »

65 Ait ergo : O Domine, sic propono firmiter stare, et justum est, quia « *fecisti bonitatem cum servo tuo.* Baruch, II, 27 : *Fecisti in nobis, Domine Deus noster, secundum omnem bonitatem tuam.* Sapient. XII, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* « *Cum servo tuo,* » nunc, sed antequam faceres bonitatem, inimico, cui debebatur pœna. Vel, « *cum servo tuo* : » est enim servus culpæ. Joan. VIII, 24 : *Qui facit peccatum, servus est peccati*, et hic est inimicus. Et est servus gratiæ expellentis peccatum, quæ est timor servilis. Joan. VIII, 35 : *Servus non manet in domo in æternum,* quia, I Joan. IV, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et est servus reverentiæ, qui timet amore filiali, et etiam initiali, de quo, Matth. XXV, 21 : *Euge, serve bone, et fidelis.* Cum servo primo facit bonitatem, ipsum exspectando ad pœnitentiam, quamvis suus non sit. Ad Roman. II, 4 : *An divitias bonitatis, et patientiæ, et longanimitatis ejus contemnis ?* Cum secundo facit bonitatem, ipsum ad perfectiorem gratiam transferendo. Matth. XXIV, 47 : *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.*

Servus peccati, gratiæ et reverentiæ.

Bonitatem ergo fecisti cum servo tuo, et hoc « *secundum verbum tuum,* » non secundum meritum meum. Psal. LXXXVIII, 35 : *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.* Isa. LV, 11 : *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed... prosperabitur.* Sed, Numer. X, 29, dicitur : *Dominus bona promisit Israeli.* Oratio Manassæ : *Tu, Domine, secundum multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam et remissionem iis qui peccaverunt tibi.*

« *Bonitatem, et disciplinam.* Hic secundum, in quo petit se doceri bonitatem : et primo, petit ut doceatur quid faciendum sit. Secundo, quomodo faciendum sit, ibi, ỳ. 68 : « *Bonus es tu.* » 66

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quia mandatis.* »

In prima tria secundum tria quæ petit. Primo, petit bonitatem ad operandum quod justum est. Secundo, disciplinam ad sustinendum quod malum est : malum, inquam, pœnæ, ibi, « *Et disciplinam.* » Tertio, scientiam veram ad discernendum quid expediens est, ibi, « *Et scientiam.* »

Dicit ergo : Sic bonitatem mecum fecisti, ipsam sensi, sed ulterius rogo : « *Bonitatem doce me,* » quæ est fructus lucis. Ad Ephes. V, 9 : *Fructus lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate.* Illam bonitatem doce, quam præcipis facere, Psal. XXXVI, 3, supra : *Spera in Domino, et fac bonitatem.* Illam, quæ est malis in abominatione, Psal. XXXVII, 21 : *Detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* Nec est inconveniens si dixerit superius sibi datam [1], et hic petit

[1] Cf. ỳ. 65.

eam doceri, quia multa nobis a Deo dantur, quæ a nobis minime ut expedit cognoscuntur. Vel, petit quod habet, ut melius habeatur.

« *Et disciplinam,* » qua possim æquanimiter sustinere pœnalia, repete, doce me, magnum enim bonum est. Proverb. xv, 32: *Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam,* et proinde infelix est : quamvis aliquantulum hic videatur aspera. Ad Hebr. xii, 11 : *Omnis quidem disciplina in præsenti quidem non videtur esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum affert exercitatis per illam.*

« *Et scientiam,* » ad discernendum clare quod bonum expediat, quia non est salus sine hac. Sapient. xix, 2 : *Ubi non est scientia animæ, non est bonum.* Sapient. xiii, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.*

« *Quia in mandatis.* » Hic persuasio, quod ei petitum concedatur. Allegat autem triplex meritum. Primo, meritum fidei, quantum ad intellectum. Secundo, meritum humilitatis, quantum ad interiorem affectum, ibi, ỳ. 67 : « *Priusquam humiliarer.* » Tertio, meritum obedientiæ, quantum ad exteriorem effectum, ibi, *Propterea eloquium.* »

Dicit ergo : Sic me doceas, et debeo exaudiri : « *quia credidi in mandatis tuis,* » quod ipsa essent tua, et ipsi acquiescens non disceptavi. Eccli. xxxiii, 3 : *Homo sensatus credit legi Dei,* quia, Isa. vii, 9, dicitur : *Si non credideritis, non permanebitis.* II ad Timoth. i, 12, dicebat Paulus : *Scio cui credidi, et certus sum,* etc.

67 « *Priusquam humiliarer.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic credidi, sic facias mihi, et etiam quia dico : « *Ego deliqui priusquam humiliarer.* » Quasi diceret : Et humilio me confitendo deliquisse, et etiam me humilem confiteor, cum dico, « *Humiliarer.* » Non enim potui prius humiliari, quam delinquere, quia in ipso Adam deliqui saltem. Ad Roman. v, 12 : *In quo,* scilicet in Adam, *omnes peccaverunt.* Quamvis et hoc verum sit de actuali, si loquatur David ipse, vel in persona adulteri, vel justificati. Proverb. xviii, 12 : *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis.* Et, xxix, 23 : *Superbum sequitur humilitas.*

« *Propterea eloquium.* » Hic tangitur tertium pertinens ad meritum : et continua sic :

Priusquam humiliarer, deliqui : « *Propterea,* » et ne iterum me humiliari oporteret, « *ego custodivi eloquium tuum,* » omnia propter te relinquendo. Deuter. xxxiii, 9 : *Qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum,* Domine, *et pactum tuum servaverunt.*

« *Bonus es tu.* » Hic secunda pars hujus partis, in qua petit de bonitate edoceri. Petito enim quod in bonitate doceatur, petit hic in modo edoceri : et dicuntur tria. Primo, allicit judicem, ipsum commendando. Secundo, petit, ibi, « *Et in bonitate.* » Tertio, necessitatem petendi ostendit, ibi, ỳ. 69 : « *Multiplicata est.* » 68

Dicit ergo : Sic petii in bonitate edoceri, sed adhuc addo : O Domine, « *bonus es tu,* » in te et essentialiter. Supra, in Psal. cv, 1 : *Confitemini Domino, quoniam bonus.* Marc, x, 18, et Luc. xviii, 19 : *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Bonus etiam tuis in te sperantibus. Thren. iii, 25 : *Bonus est Deus sperantibus in eum, animæ quærenti illum :* ipsum enim reficit et pascit. Joan. x, 11 : *Ego sum pastor bonus.* Ipsum illuminat et instruit vere. Luc. xviii, 18 : *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo*[1] *?*

[1] Cf. Marc. x, 17.

« *Et in bonitate tua.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Bonus es : « *et,* » rogo, « *doce me justificationes tuas,* » opera scilicet justitiæ, quæ tua sunt. Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* Et hoc, « *in bonitate tua,* » non in austeritate Mosaica. Apocal. xix, 8 : *Datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido.* Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium, et diligere misericordiam,* quam prædicat Evangelica suavitas, Christi bonitas.

69 « *Multiplicata est super me.* » Hic tertium, in quo subjungitur petendi necessitas, quæ tangitur duplex. Adversariorum multiplicatio, et in se, et in malitia. Secundo, consensus et coadunatio illorum contra se, ibi, ỳ. 70 : « *Coagulatum est.* »

Et in qualibet tanguntur duo. Primo, suarum adversariorum mala conditio. Secundo, bona sui, ibi, « *Ego autem.* »

Ait enim : Sic peto, et necesse habeo, quia « *iniquitas superborum,* » qui non sunt humiliati, sicut ego, « *multiplicata est,* » ipsis multiplicatis, et in se, et in suis iniquitatibus, et in robore : et hoc, « *super me.* » *Super* hic oppressionem notat, id est, ad opprimendum me. Psal. lxviii, 5 : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei,* etc. Ezechiel. iii, 12 : *Et assumpsit me spiritus,* id est, ad se sumpsit spiritus : *et audivi post me vocem commotionis magnæ.* Impugnat enim caro, impugnat inimicus. Ad Ephes. vi, 12 : *Non enim est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem,* supple, tantum, *sed adversus principes, et potestates,* etc. Psal. iii, 2 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ?* etc. Et tu quid ? « *Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* » Infra, in Psal. cxviii, 92 : *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte,* etc. Ibi enim invenit homo finem laboris sui, et fructum, et sustinet patienter. I Petr. i, 9 et 10 : *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ.* Et propter hoc dicitur, Psal. xciii, 12 : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* Et subditur, ỳ. 13 : *Ut mitiges ei a diebus malis.*

« *Coagulatum est.* » Hic secundum, 70
quod facit ad necessitatem, quod tangit sicut dictum est, adjungens conditionem bonam quantum ad se.

Ait enim : Sic multiplicati sunt, et etiam « *cor eorum,* » malitiosum contra me, « *coagulatum est :* » et hoc, « *sicut lac,* » quod prius corrumpitur, corruptum coagulatur : sic et corda sua prius in seipsis corrupta, deinde contra me fiunt unita, et unumquodque se in se colligendo, et seipsa ad invicem uniendo. Boni enim habent corda mollia, et tractabilia, Job, xxiii, 16 : *Deus mollivit cor meum.* Sed mali dura et coagulata, Ezechiel. ii, 3 et 4 : *Patres eorum prævaricati sunt pactum meum,* scilicet legem meam, *usque ad diem hanc : et filii dura facie et indomabili corde sunt.* Job, xxxviii, 30 : *In similitudinem lapidis aquæ durantur.* Jerem. v, 3 : *Induraverunt facies suas supra petram.* Et tu quid ? « *Ego vero legem tuam meditatus sum.* » Et in illa meditatione accendebatur ignis divinus in corde. In Psal. xxxviii, 4, supra : *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Et tunc anima mea non indurata, sed liquefacta est. Cantic. v, 6 : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est,* dilectus scilicet ad me per Scripturas. Jerem. xxiii, 29 : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis,* scilicet ad liquefaciendum animam, *et quasi malleus, conterens petram,* ad conterendum ipsam, ut citius liquefiat ?

71 « *Bonum mihi quia humiliasti me.* » Hic tertia pars totius hujus partis octonarii, in qua postquam gratias egit de bonitate sibi exhibita, et petiit cognitionem sibi dari de illa, ostendit quomodo profecerit in percepta Dei bonitate : unde non mirum si petit illam magis cognoscere. Et dicuntur tria in hac parte. Primo, confitetur se ex bonitate Dei profecisse. Secundo, in quo profecerit, quia in legis cognitione, ibi, « *Ut discam.* » Tertio, probatio quod in illa profecerit, ibi, ỳ. 72 : « *Bonum mihi lex oris.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, gratias egi de scita bonitate, ipsam petii amplius mihi manifestari : nec mirum, quia hoc ipsum, « *quod humiliasti me,* » sensi et expertus sum « *bonum mihi,* » supple, fuisse. Humiliasti, inquam, flagellando, quia per hanc humilitatem me illuminas. Jerem. xxxi, 18 : *Castigasti me*, Domine, *et eruditus sum.* Proverb. xxix, 15 : *Virga atque correptio tribuit sapientiam.* Per hanc me probas, Eccli. ii, 4 : *In humilitate tua patientiam habe* : *quia in igne probatur aurum*, etc. Per hanc me tibi assimilas, II ad Corinth. xii, 9 : *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*, quæ me similem faciat Christo, scilicet patientia.

« *Ut discam.* » Hic secundum. Quasi diceret : Bonum est mihi, et in hoc, « *ut discam,* » experimento, « *justificationes tuas,* » virtutes illas, per quas justificas animas, humilitatem, mansuetudinem. Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mihi sum, et humilis corde.* Isa. xxviii, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.*

72 « *Bonum mihi lex oris.* » Ecce tertium, probatio scilicet, quod in hoc est bonum, quod addiscere legem fecit : et dicuntur duo. Primo, quod bona lex Dei ei sit. Secundo, bonitatis excellentiam ostendit, ibi, « *Super millia.* »

Ait ergo : Sic dixi, quod bonum est mihi me humiliatum fuisse, in tantum ut discam justificationes tuas, quod non est modicum, quia « *bonum mihi,* » supple, est, « *lex oris tui :* » et quantum, addit, « *super millia :* » finitum ponitur pro infinito : « *auri et argenti,* » id est, super omne aurum, et argentum. Proverb. viii, 11 : *Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis.* Sapient. vii, 8 et 9 : *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius : quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.*

Adverte ergo diligenter, quod in hoc octonario, primo de bonitate accepta gratias egit, et bonitatis sibi cognitionem dari rogavit, et quam bonum sit humiliari a Deo ostendit : quod super omnia delectat et placet animæ bene ordinatæ. Ergo hic optime præponitur littera Hebraica THEN (ט), quod interpretatur *bonum*, vel *exclusio*, hoc est, hic agitur de bono quod omnem tristitiam sua delectatione excludit.

IOD (י)

73. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me : da mihi intellectum, et discam mandata tua.
74. Qui timent te vidébunt me, et lætabuntur, quia in verba tua supersperavi.
75. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me.
76. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.
77. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam, quia lex tua meditatio mea est

78. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me : ego autem exercebor in mandatis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.

80. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

IOD (י).

« *Manus tuæ, Domine.* » Hic secundo, sicut superius dictum fuit, agitur de merito proficientium, quantum ad cognitionem divinæ æquitatis. Sicut enim in antecedente octonario confessus est se expertum esse divinam bonitatem, sic hic confitetur cognovisse divinam æquitatem, justitiam scilicet cum misericordia, ubi dicit, ỷ. 75 : « *Cognovi, Domine.* » Et petit Deum magis semper promoveri, in illa æquitate, ut sentiat ejus misericordiam in afflictionibus se pie consolantem.

Dividitur autem octonarius iste in quatuor partes. Primo quidem gratias agendo beneficium creationis recolit. Secundo, petit dari sibi intellectum legis, ibi, « *Da mihi intellectum.* » Tertio, recognoscit se expertum divinam æquitatem, ibi, ỷ. 75 : « *Cognovi, Domine.* » Quarto et ultimo, quærit semper regi secundum illam, et in hac consolari, ibi, ỷ. 76 : « *Fiat misericordia tua.* »

In prima, primo recolit gratias referendo beneficium creationis, quantum ad animam. Secundo plasmationis, quantum ad corpus, ibi, « *Et plasmaverunt.* »

Dicit ergo : Ita bona est, Domine, lex 73
tua, et justum est, quia o « *Domine, manus tuæ fecerunt me,* » ad imaginem et similitudinem tuam. Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Eccli. XVII, 1 : *Deus creavit hominem de terra, et secundum imaginem suam fecit illum.* « *Et plasmaverunt me,* » secundum corpus. Isa. LXIV, 8 : *Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* De utroque simul, et per eadem verba, Job, X, 8 : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me.* Isa. XLIII, 7 : *Creavi eum,* quantum ad animam : *formavi eum,* quoad corpus : *feci eum* [1], quantum ad utrumque. Manus autem Dei potentia appellatur, et sapientia, quia per hanc operatur, sicut homo per manus. Supra, in Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus,* supple, fecisti.

« *Da mihi intellectum,* » non potentiam intellectivam, quoniam hanc dedisti in creando, sed ad intelligendum gratiam, sicut promittis in Psal. XXXI, 8, supra : *Intellectum tibi dabo, et instruam te,* etc. II ad Timoth. II, 7 : *Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Sapient. VII, 17 : *Ipse,* scilicet Dominus, *dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram.* Da tu, non alius, etiam Angelus, sicut, Daniel. X, 12 : *Ego veni propter sermones tuos,* scilicet ut intellectum tibi darem, dicit Angelus. Sed improprie loquitur : hoc enim solus Deus facit. Eccli. II, 26 : *Homini bono dedit Deus sapientiam, intelligentiam, et scientiam.* Da ergo intellectum, sed ad quid? « *Ut discam mandata tua,* » non leges humanas, et præcepta. Deuter. V, 1 : *Discite ea, et opere complete.*

Solius Dei est dare intellectum.

« *Qui timent te videbunt me.* » Hic 74
persuasio ab utilitate illorum, quia boni

[1] Isa. XLIII, 7 : *Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum.*

inde proficient, si Dominus ei dederit quod petit : unde duo tanguntur. Primo, aliorum lætitia et exsultatio in cognitione boni illius. Secundo, determinat cujus boni, ibi, « *Quia in verba tua.* »

Dicit ergo : Sic da intellectum : quod si feceris, « *qui timent te,* » timore filiali, « *videbunt me,* » nec tristabuntur, ut invidi, sed lætabuntur, ut charitativi, et inquirentes ut possint boni inveniri. Eccli. II, 19 : *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt illi.* Et dicit Glossa : « *Videbunt,* non tantum extra, « secundum illud Matth. v, 16 : *Ut vi-* « *deant opera vestra bona, et glorificent* « *Patrem vestrum, qui in cœlis est:* sed et « intra. » Contra, I ad Corinth. II, 11 : *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in illo?* Quasi diceret : Nullus. Responsio. Exteriora, quæ constant, videre potest, et cognitione certa cognoscere : interiora autem cognitione conjecturæ videre, et comparatione ad exteriora. Matth. VII, 17 et seq., omnis arbor ex fructu suo cognoscitur [1]. I ad Corinth. II, 15 : *Spiritualis homo omnia judicat.* Videbunt ergo bona mea exteriora certa cognitione et experimentali : videbunt et interiora conjectura. « *Et lætabuntur.* » Exod. IV, 14 : *Aaron, frater tuus,... ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde.* I ad Corinth. XIII, 6 : *Charitas autem congaudet veritati.* Sapient. VII, 22 : *Spiritus intelligentiæ... amans bonum :* sic enim est de necessitate, ubi est vera charitas. I ad Corinth. XII, 26 : *Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.*

« *Quia in verba.* » Ecce secundum. Dixi, quod videbunt me, et lætabuntur, super quo ? « *Quia speravi,* » imo « *supersperavi in verba tua.* » Ecce quod cognoscent interiora : spes enim in interioribus est. Proverb. XXVII, 19 : *Quomodo in aquis resplendent vultus respicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.*

« *Cognovi, Domine.* » Hic tertium, in 75
quo recognoscit se expertum divinam æquitatem. Duo ergo tanguntur. Primo, cognitio æquitatis in divinis judiciis. Secundo, modus cognitionis, quia experimentaliter, ibi, « *Et in veritate tua.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, peto mihi dari intellectum, ad mandata implenda, et fateor, o Domine, « *cognovi quia judicia tua,* » non tantum æqua, sed « *æquitas* » ipsa. Proverb. XVI, 11 : *Pondus et statera judicia Domini sunt. Judicia* autem appellat exsecutiones judiciorum, flagella scilicet peccatorum, et etiam filiorum. Psal. XCVII, 9 : *Judicabit orbem terræ in justitia, et populos in æquitate.* Isa. XI, 4 : *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Et unde hoc cognovisti ? « *Quia humiliasti me :* » et hoc, « *in veritate,* » humiliatione dejectionis in mortem, et moriendi necessitatem : in hoc enim fuit justitia : juste enim inobedienti inflicta est pœna mortis : et tamen fecit nobiscum misericordiam, ne perpetuo duraret in miseria : ecce æquitas. Supra, in Psal. XLIII, 20 : *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Et, supra, in hoc Psalmo CXVIII, 67 : *Priusquam humiliarer, ego deliqui.*

Et nota, quod est falsa humilitas, quæ nihil prodest, imo magis Deum provocat. Eccli. XIX, 23 : *Est qui nequiter humiliat se : interiora autem ejus plena sunt dolo.* Et, Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Sed est vera humilitas quæ est ordinativa, dans cuique locum sibi debitum, sicut e contrario superbia deordinat totum, et alienum vult usurpare locum, quemadmodum factum est in Lucifero, qui ad æqualitatem Dei voluit ascendere. Isa. XIV, 14 : *Similis ero Altissimo.* Numer. XVI, 1 et seq., filii Core locum

Vera humilitas est ordinativa, urbana, fidelis et prudens.

[1] Matth. VII, 17 et seq. : *Omnis arbor bona fructus bonos facit,* etc.

Aaron voluerunt usurpare. Eccle. x, 7 : *Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram.* Urbana est, quia facit cedere alii. Luc. xiv, 10 : *Recumbe in novissimo loco.* Matth. iii, 14 et 15 : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me ?... Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Ad Roman. xii, 10 : *Honore invicem prævenientes.* Fidelis est, quia nihil vult contingere de rebus Domini sui, gloriam suam totam illi relinquit, non vult eam furari, dicens illud Tob. ii, 21 : *Videte ne forte furtivus sit.* Scit enim illud Isa. xlii, 8 : *Gloriam meam altari non dabo.* Item, prudens est in conservandis suis : vituperia enim et dejectiones sibi retinet et amat, nec alii communicat illa. Bernardus : « Vere humilis non vult humilis « prædicari, sed vilis reputari. » III Reg. xxi, 1 et seq., Naboth, qui *sessio* interpretatur, id est, humilitas, noluit hæreditatem suam aliqua ratione relinquere.

76 « *Fiat misericordia tua.* » Hic est quarta pars et ultima hujus octonarii, in qua expertus æquitatem, petit divinam misericordiam, quæ semper est in judiciis æquitatis : et dicuntur quinque. Primo, petit gratiam misericordiæ Dei consolantem se in pœnis. Secundo, vivificantem a culpis, ibi, ỳ. 77 : « *Veniant mihi.* » Tertio, ad confundendum malos, ibi, ỳ. 78 : « *Confundantur.* » Quarto, ad promovendum bonos, ibi, ỳ. 79 : « *Convertantur mihi.* » Quinto, ad purificandum conscientiam, et sic pœnam æternam evitandum, ibi, ỳ. 80 : « *Fiat cor meum.* »

In prima duo. Primo, petitio. Secundo, probatio quod debet exaudiri, ibi, « *Secundum eloquium.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, experientia cognovi tuam æquitatem, in qua misericordia est : et propter hoc rogo : « *Fiat misericordia tua,* » ad hoc, « *ut consoletur me,* » in laboribus et pœnis. Daniel. iii, 42 : *Fac nobiscum juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ.* Et hoc ad consolandum, Isa. li, 3 : *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur ruinas ejus.* II ad Corinth. i, 4 : *Consolatur nos in omni tribulatione nostra :* tunc enim quando insurgit tribulatio, speciosa est consolatio et opportuna. Eccli. xxxv, 26 : *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.*

« *Secundum eloquium.* » Allegat hic duo. Dei promissionem, et propriam servitutem.

Ait enim : Sic peto ut mihi fiat misericordia consolans : et hoc « *secundum eloquium tuum,* » promissionis scilicet tuæ quæ debet esse stabilis. Isa. xlvi, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Matth. xxiv, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Et hoc, « *servo tuo,* » cui teneris. Isa. xli, 10 et seq. : *Et tu, Israel, serve meus, Jacob quem elegi,... ne timeas.*

« *Veniant mihi.* » Hic, sicut dictum fuit 77
supra, petit misericordiam vivificantem. Et primo, tangitur petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Quia lex tua.* »

Ait ergo : Sic petii misericordiam consolantem : sed adhuc dico, et peto : « *Veniant mihi miserationes,* » effectus scilicet misericordiæ tuæ, in quibus dispersa congregas, Isa. liv, 7 : *In miserationibus magnis congregabo te.* Et animas tibi desponsas, Osee, ii, 19 : *Sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et misericordia, et miserationibus.* Quas in his continuas, Thren. iii, 22 : *Miserationes ejus non defecerunt.* Hæ, inquam, miserationes tuæ veniant mihi : « *et vivam,* » per illas vitam continuabo spiritualem. Talis enim loquitur qui vivebat, cum hæc loqueretur, Job, x, 12 : *Vitam et misericordiam tribuisti mihi.* Osee, vi, 3 : *Vivemus in conspectu ejus.*

« *Quia lex tua.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic peto vivificantem misericordiam et debeo : « *Quia lex tua meditatio mea est,* » et ipsi debet adjungi vita tamquam effectus immediatus. Proverb. IV, 4 : *Custodi præcepta mea,* in medio cordis tui, *et vives :* vita enim sunt invenientibus ea.

78 « *Confundantur superbi.* » Hic tertium, in quo petit gratiam misericordiæ ad confusionem superborum : et dicuntur duo. Primo, petitur superborum confusio. Secundo, probatio quod vere sunt confundendi, ibi, « *Quia iniqitantem.* »

Dicit ergo : Sic detur gratia ad consolandum, detur ad vivificandum, et etiam per gratiam misericordiæ mihi datam, « *confundantur superbi,* » qui nolunt sub Dei misericordia humiliari. Job, XL, 6 : *Disperge omnes superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia.* Et rursus, in eodem, ℣. 7 : *Respice cunctos superbos, et confunde eos :* quod promittit Dominus se facturum, Osee, IV, 7 : *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.*

Confundantur, inquam,

« *Quia injuste iniquitatem fecerunt in me.* » Hic persuasio a duobus : a conditione malorum, et a sua exercitatione, ibi, « *Ego autem.* »

Nota, quod *iniquitas* respicit factum ipsum, *injuste* autem ad faciendi modum, quia sine omni deliberatione. Jerem. XX, 10 : *Audivi contumelias multorum, et terrorem in circuitu : Persequimini, et persequamur eum.* Tales ergo superbos confundo. Sapient. XV, 14 : *Omnes insipientes, et infelices supra modum superbi, sunt inimici populi tui :* sed Dominus tandem eos confundet, Job, IV, 8 et 9 : *Vidi eos qui operantur iniquitatem, et seminant dolores, et metunt eos, flante Deo periisse.*

« *Ego autem exercebor.* » Hic secundum.

Ait enim : Sic confundantur propter malitiam, et propter meam patientiam : « *Autem,* » quia, « *exercebor in mandatis tuis,* » ut quantumcumque persequantur, benefaciam eis, per illud Proverb. XXV, 21 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum,* etc., *si sitit,* etc. Matth. V, 44, et Luc. VI, 27 : *Benefacite his qui oderunt vos, orate pro calumniantibus et persequentibus vos.* Supra, in eodem Psalmo CXVIII, 23, fere idem : *Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.*

« *Convertantur mihi timentes te.* » Hic quartum, in quo petit gratiam misericordiæ, ad promotionem bonorum : et dicuntur duo. Primo, petit per misericordiam sibi exhibitam converti minores bonos, vel activos. Secundo, majores, sive contemplativos, ibi, « *Et qui noverunt.* » 79

Dicit ergo : Sic fiat in me misericordia, qua confundantur illi. « *Timentes* autem *te convertantur mihi,* » facti socii. Jerem. XV, 19 : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.* Isa. X, 21 : *Reliquiæ convertentur : reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.* Et, VI, 13 : *Convertetur, et erit in ostensionem sicut terebinthus,* ut possint dicere : *Converti pedes meos in testimonia tua* [1].

« *Et qui noverunt.* » Quasi diceret : Sic illi minores convertantur : « *et,* » etiam illi « *qui noverunt testimonia tua,* » majores scilicet, et contemplationi testimoniorum dediti, et ne sciant ad damnationem suam, et ferant litteras sicut Urias [2]. Quia, Eccli. XXXIV, 28 : *Unus ædificans,* scilicet scientia : *et alius destruens,* scilicet vita : *quid prodest nisi labor?* Imo ne magis quam alii damnentur. Jacob. IV, 17 : *Scienti bonum*

[1] Psal. CXVIII, .

[2] Cf. II Reg. XI, 6.

facere, et non facienti, peccatum est illi. Luc. XII, 47 : *Ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

80 « *Fiat cor meum.* » Hic est quintum, et ultimum, in quo petit gratiam ad cordis puritatem : et tanguntur duo. Primo, petitio. Secundo, ratio petitionis, ibi, « *Ut non confundar.* »

Dicit ergo : Sic fiat super me misericordia, ut conforter, ut vivificer, ut adversarii confundantur, ut boni meliores efficiantur : et etiam ulterius per eamdem « *fiat cor meum immaculatum :* » et si macula peccati mortalis caret, careat etiam venialis : ad hoc enim electus sum. Ad Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati.* Aliter enim non possumus ingredi. In Psal. XI, 2 : *Qui ingreditur sine macula,* supple, oportet ut sit. Est autem quadruplex macula, cum fiunt opera justitiæ, quæ est removenda, quando scilicet fiunt diminute, ut quando fit jejunium sine eleemosyna et aliis operibus misericordiæ. Quando negligenter, etiamsi fiant omnia, sicut contingit in oratione. Quando etiam mercenarie, sicut quando fiunt adjuncto aliquo pretio temporali, sicut in euntibus ad Ecclesiam propter partitiones. « Puritas autem cordis, sicut dicit « Bernardus, tria facit, libertatem, exsul- « tationem, et securitatem. » Fiat ergo cor meum immaculatum, ad quid? Ad hoc « *ut non confundar,* » in futuro illa confusione, de qua Osee, X, 6 : *Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua.* Et, Jerem. II, 20 : *Quomodo confunditur fur quando comprehenditur, sic confusi sunt domus Israel.*

Quadruplex macula a bono opere removenda.

Vide ergo quomodo a principio octonarii, recognoscens se a Deo conditum in corpore, et anima, petierit sibi dari legis intellectum : et rursus confitens se expertum æquitatem divinam, petit misericordiæ continuationem propter plura bona. Propter quod bene præponitur littera Hebraica IOD (י), quod interpretatur *confessio*, vel *desolatio, scientia,* seu *principium.* Ac si dicat : In hoc octonario existens in desolatione se factum confitetur, habens a principio scientiam divinæ æquitatis, quam in se est expertus.

CAPH (כ)

81. Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi.
82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me ?
83. Quia factus sum sicut uter in pruina : justificationes tuas non sum oblitus.
84. Quot sunt dies servi tui ? quando facies de persequentibus me judicium?
85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.
86. Omnia mandata tua veritas. Inique persecuti sunt me, adjuva me.
87. Paulo minus consummaverunt me in terra : ego autem non dereliqui mandata tua.
88. Secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui.

CAPH (כ)

« *Defecit in salutare tuum.* » In hoc octonario tertio agitur de merito proficientium in cognitione tertii, scilicet divinæ veritatis. Actum est enim de merito in cognitione divinæ bonitatis primo, postea de cognitione divinæ æquitatis, hic agitur de merito et fervore cognoscendæ veritatis.

Dividitur autem ista pars in tres partes. Primo ostendit affectum suum in cognitionem apertam veritatis. Secundo, in attestationem ipsius veritatis, ibi, ℣. 86 : « *Omnia mandata tua.* » Tertio, in adimpletionem veritatis in opere, ibi, in medio ℣. 87 : « *Ego autem non dereliqui.* »

In prima duo : qui enim affectat veritatem, procul dubio persequitur errorem. Duo ergo dicuntur. Primo, ostendit effectum suum ad cognitionem veritatis. Secundo, ad detestationem erroris, ibi, ℣. 85 : « *Narraverunt mihi.* »

In prima duo. Primo, exprimit desiderium quod habet de cognoscenda veritate. Secundo, idoneitatem et præparationem, quæ est in se ad suscipiendum illam, ibi, ℣. 83 : « *Quia factus sum.* »

In prima duo, secundum duo per quæ exprimit desiderii cognoscendæ veritatis magnitudinem. Primum est duratio desiderii, quam primo tangit. Secundo, intentio ipsius desiderii, quam tangit secundo, ibi, ℣. 82 : « *Defecerunt oculi mei.* »

In prima duo. Primo, exprimit desiderii durationem. Secundo, spem nihilominus quam habet de adimpletione sperati, ibi, « *Et in verbo tuo.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, cognovi bo- 81
nitatem, et æquitatem, et etiam, o Domine, « *anima mea,* » sic loquendo affectionem exprimit, « *defecit :* » præ nimia exspectatione, « *in salutare tuum,* » supple, intendens. Et legitur primo de Christo, qui tam longa exspectatione ab antiquis patribus est exspectatus, ut pene deficerent. Proverb. XIII, 12 : *Spes quæ differtur, affligit animam.* Sic deficiebat illa anima, quæ dicebat, Cantic. V, 8 : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Sic deficiebat qui dicebat anxius, Isa. XVI, 1 : *Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ.* Et rursus, LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes,* o salutare Dei. Illud, inquam, de quo Jacob, Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Psal. LXXXIII, 3 : *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini,* exspectans ejus beneficium, scilicet salutare, sicut pauper in atrio divitis. Vel, « *in salutare tuum,* » promissum, hoc est, in verbis tuis promittentibus salutem nobis, quæ scio vera esse, ut vellem aperte videre et cognoscere. Jerem. XX, 9 : *Factus est,* scilicet sermo Domini promittentis tot bona, *in corde meo quasi ignis exæstuans, ...et defeci,* non videns adhuc impleri, *ferre non sustinens.*

« *Et in verbum tuum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic anima deficit præ longa exspectatione : « *et* » tamen « *supersperavi,* » id est, plusquam speravi, vel exspectavi plusquam possit dici, vel cogitari, « *in verbum tuum,* » sciens certissime, quoniam non erit cassum, et vanum. Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te* [1].

« *Defecerunt oculi mei.* » Hic secun- 82
dum, in quo monstratur vehementia de-

[1] Cf. I ad Corinth. II, 9.

siderii, ex intentione. Duo ergo dicuntur. Primo, monstratur vehementia desiderii. Secundo, finis, ibi, « *Dicentes : Quando consolaberis me ?* »

Dicit ergo : Sic desidero, ut anima mea quasi præ prolixitate desiderii defecerit : et etiam, « *oculi mei*, » interiores scilicet intellectuales, propter quorum limpiditatem antiquitus dicebantur Prophetæ *videntes* [1], isti, inquam, deficiunt in sanctis, cum intendunt in verbum Dei, et eloquium ejus : unde addit : « *In eloquium tuum*, » quando penetrare non possunt ad intimam veritatem. Jerem. xiv, 9 : *Defecerunt oculi eorum*, virorum scilicet perfectorum, omnia propter Christum relinquentium, et a turbis hominum recedentium : *quia non erat herba*, id est, scriptura eis manifestata : tunc enim quasi ex terra prodit herba, quando veritas exit et elicitur de Scriptura. Hi sunt oculi, quos Paulus petit illuminari in Ephesiis [2].

« *Dicentes.* » Hic secundum, in quo tangitur finis desiderii, scilicet divina consolatio.

Ait enim : Sic oculi præ desiderio deficiunt, « *dicentes :* » horum dicere est desiderare, quasi desiderio tendentes, et suo modo appetentes : « *Quando consolaberis me ?* » si enim interiores oculi non loquerentur, non diceretur, Thren. ii, 18 : *Neque taceat pupilla oculi tui.* Hac locutione tantum locuti fuerant oculi Ezechiæ, ut pene deficerent. Isa. xxviii, 14 : *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.* Sed Dominus consolatur eos qui habent oculos sic loquentes, Isa. li, 3 : *Consolabitur Dominus Sion*, etc. Et, in ultimo, lxvi, 13 : *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Sed malorum oculi frustrantur, et deficiunt omnino, Job, x, 20 : *Oculi impiorum deficient.*

« *Quia factus sum.* » Hic secunda pars, in qua postquam ostendit desiderium et fervorem, ostendit sui aptitudinem ad recipiendum. Primo, per bonam dispositionem concupiscibilis, quoniam refrigerata est ab ardore peccati. Secundo, ex parte rationabilis, vigil est ad retinendum, ibi, « *Justificationes.* » Tertio, ex parte irascibilis, quæ laborat sustinendo patienter malum illatum, ibi, ℣. 84 : « *Quot sunt dies.* » 83

Dicit ergo : Sic desidero mihi veritatem aperiri, et infundi, et paratus sum ad suscipiendum illam : « *Quia factus sum sicut uter in pruina.* » Uter est pellis mortua ad reponendum liquorem, et significat carnem mortalem nostram, quæ est uter novus, quando per gratiam fuerit renovata : sed vetus, quando non est a veteri vita translata. Luc. v, 37 et 38 :... *Nemo mittit vinum novum in utres veteres... : sed vinum novum in utres novos mittendum est*, etc. Quia tunc est in pruina, quando in ea refrigeratur per infusionem cœlestis roris carnalis concupiscentia. Exod. xvi, 14 : *Manhu*, id est, Dei gratia, *apparuit... in similitudinem pruinæ super terram.* Et hæc pruina, iste ros ardorem refrigerat carnalis concupiscentiæ. Eccli. xviii, 16 : *Nonne ardorem refrigeravit ros ?* Et, iterum, xliii, 24 : *Ros obvians ab ardore venienti, humilem efficiet eum.*

Gratia, spiritualis ros et pruina refrigerans concupiscentiam.

« *Justificationes.* » Hic secundum, Quasi diceret : Sic refrigeratus sum ab ardore concupiscentiæ per pruinam gratiæ tuæ : et etiam « *non sum oblitus*, » fortiter illas in mea tenens memoria, « *justificationes tuas :* » et sic disposita est mea rationabilis. Infra, in eodem Psalmo cxviii, 93 : *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* II Machab. ii, 2 : *Dedit illis legem ne obliviscerentur præcepta*

[1] Cf. I Reg. ix, 9.

[2] Ad Ephes. i, 16 et seq. : *Non cesso gratias agens pro vobis,... ut Deus... det vobis. . illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus*, etc.

Domini. Non sum ego oblitus, sed magis, non tantum in corde, sed tenui illa in opere. Job, xxvii, 6 : *Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram.*

84 « *Quot sunt dies servi tui?* » Hic tertium, in quo ostendit sufferentiam irascibilis. Primo, in longa liberationis suæ exspectatione a Deo a miseriis hic præsentibus. Secundo, in longa adversariorum sustentatione, ibi, « *Quando facies?* » Et utrumque innuit quærendo.

Dicit ergo : Sic ardor concupiscentiæ refrigeratus est, et rationabilis tuarum justificationum tenax est, et irascibilis patiens est in exspectatione longa : quia, « *quot sunt dies servi tui?* » per quos oportet exspectare, ut remuneres, quia multi sunt : et si affligor, patienter porto. Proverb. xiii, 12 : *Spes quæ differtur affligit animam.* Multi videntur remunerationem exspectanti, etsi in se sint pauci : parum enim est totum tempus vitæ humanæ. Genes. xlvii, 9 : *Dies peregrinationis meæ centum et triginta anni, parvi et mali.* Job, x, 20 : *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Quasi diceret : Sic.

« *Quando facies.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Angustor exspectatione renumerationis, et sustineo, sed et « *quando facies judicium de persequentibus me?* quorum afflictiones, quibus me affligunt, nunc porto. Apocalyps. vi, 10 : *Usquequo, Domine, sanctus et verus, non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum?* Sed secundum hoc videtur iste vindictam expetere, contra illud Levit. xix, 18 : *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Responsio. Non quærit, qui a Deo ad quem pertinet, illam quærit : sed qui propria auctoritate illam accipit, vindictam ille dicitur quærere. Scit enim iste illud Deuter. xxxii, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.* Proverb. xxi, 15 : *Gaudium justo est facere judicium.* Verum est, quando fit ab eo qui facere debet.

« *Narraverunt mihi iniqui.* » Hic secundum totius hujus partis octonarii, in quo ostendit affectionem suam in detestationem erroris. Duo ergo tanguntur. Primo, falsitatum et errorum propositio a multis. Secundo, illarum detestatio ab isto amatore veritatis, ibi, « *Sed non ut lex.* » 85

Dicit ergo : Sic affecto aperte cognoscere veritatem, et detestor falsitatem, quia « *iniqui narraverunt mihi,* » proponendo, ad credendum exhortando, « *fabulationes,* » falsas diversarum sectarum assertiones. Hæ sunt fabulæ de quibus Apostolus, I ad Timoth, i, 3 et 4 : *Rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis.* Et rursum, I ad Timoth. iv, 7 : *Ineptas et aniles fabulas devita.* Multi enim valde cito fabulationes recipiunt. II ad Timoth. iv, 4 : *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* « *Narraverunt* ergo *fabulationes, sed non,* » supple, fuerunt mihi, « *ut lex tua,* » ut reputarem veras, sicut legem tuam. Psal. cxviii, 142 : *Et lex tua veritas.* Malach. ii, 6 : *Lex veritatis fuit in ore ejus.* « *Non ut lex tua,* » ut sentirem eas gratiosas. Proverb. xiii, 15 : *Doctrina bona dabit gratiam.* Ut judicarem æternas, sicut est lex tua. Baruch, iv, 1 : *Hic est liber mandatorum Dei, et lex quæ est in æternum.* Non pietate plenas, sicut lex tua. Proverb. xxxi, 26 : *Lex clementiæ in lingua ejus.*

« *Omnia mandata.* » Hic secundum totius octonarii, in quo postquam ostendit affectionem suam ad cognoscendum veritatem, hic ostendit eumdem ad testificandum veritati, et pro ipsa sustinendum : et dicuntur duo. Primo, innuit se

sustinuisse adversarorium persecutionem, petens adjutorium et subventionem. Secundo, ostendit persecutionis vehementiam, ibi, ỳ. 87 : « *Paulo minus consummaverunt.* »

In prima tria. Primo, tangitur mandatorum Dei conditio, quia vera. Secundo, persecutio illata ab inimicis, propter illa, ibi, « *Iniqui persecuti sunt me.* » Tertio, oratio pro persecutione superanda, ibi, « *Adjuva me.* »

Dicit ergo : Sic illi fabulationes narrant, quas ego detestor, « *sed omnia mandata,* » non quædam tantum, « *veritas,* » non vanitas. Veritas enim hic accipitur ut est contraria vanitati, non falsitati. III Reg. xvii, 24 : *Verbum Domini in ore tuo verum est,* efficax scilicet, et non vanum. Et, Joan. xvii, 17 : *Sermo tuus veritas est,* non falsitas, vel vanitas, sed veritas et soliditas, in tantum ut omnino vani sint, qui non solidantur per doctrinam Dei. Sapient. xiii, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.*

« *Iniqui persecuti sum me :* » propter illam veritatem, quam diligo, cui attestor, in qua delector. Nec mirum : quia ipsi adhærendo, a malo recedo. Et, Isa. lix, 15, dicitur : *Qui recessit a malo, prædæ patuit.* II ad Timoth. iii, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu,* veritati adhærendo, *persecutionem patientur.* Sed consolantur, Matth. v, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

« *Adjuva me.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic veritas me delectat, propter hanc sustineo persecutionem : O Domine, « *adjuva me,* » ad vincendum persequentes, et patienter sustinendum. Esther, xiv, 3 : *Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam.* Et, paulo post, ỳ. 14 : *Adjuva me nullum auxilium habentem nisi te, Domine.*

« *Paulo minus consummaverunt.* » Hic secundum. Postquam enim ostendit se pati propter veritatem persecutionem, orando pro liberatione, monstrat persequentis vehementiam.

Ait enim : Sic adjuva, quoniam iniqui persequuntur me, et non modicum, quia « *paulo minus,* » id est, fere, « *consummaverunt me in terra,* » affligendo, quia non poterunt cum ero in cœlo. Job, xvii, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Persecuti sunt ergo fere usque ad consummationem motam sine moderamine. I Esdr. ix, 14 : *Numquid iratus es nobis usque ad consummationem ?* Jerem. iv, 27 : *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam.*

« *Ego autem non dereliqui.* » Hic tertium totius octonarii, in quo ostendit affectionem ad impletionem veritatis cognitæ, et perseverantiam, quam habuit in adimpletione : et dicuntur tria. Primo, fatetur propriam in adimpletione veritatis constantiam. Secundo, petit vivificantem deinceps misericordiam, ibi, ỳ. 88 : « *Secundum misericordiam.* » Tertio, declarat petitionis finem, ut scilicet custodiat perpetuo veritatem, ibi, « *Et custodiam.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, suis persecutionibus fere me consummaverunt : « *ego autem,* » quantumcumque persequerentur me, « *non dereliqui mandata tua,* » secundum illud Proverb. iv, 2 : *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.* Et, iii, 11 : *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias.* Et, supra, ỳ. 3 : *Misericordia et veritas,* de quibus sunt omnia mandata Domini, *te non deserant.* In mandatis enim Domini, quæ sunt de charitate, debemus fortiter stare, nullo modo ab illis separari, sicut ille qui dicebat, ad Roman. viii, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi ?* Quasi diceret : Nullus. Hic est locus quem non derelinquamus. Eccle. x, 4 : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.*

88 « *Secundum misericordiam.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic usque modo perseveravi, sed ut ulterius possim continuare, « *vivifica me :* » et hoc non secundum merita mea, sed « *secundum misericordiam tuam :* » opus enim tuum sum, quidquid sum naturæ, seu gratiæ. Habac. III, 2 : *Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Opus tuum extra te qui vita es, non potest esse nisi mortuum. Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* Osee, VI, 3 : *Et vivemus in conspectu ejus*, scilicet inter Gentes. Job, X, 12 : *Vitam et misericordiam tribuisti mihi.*

« *Et custodiam.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic non dereliqui usque modo, et petii, ut etiam nunc me justifices, « *et* » sic « *custodiam,* » perseverando in his, « *testimonia oris tui,* » tamquam cordi meo ligata, et in Christo signata, secundum illud Isa. VIII, 16 : *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Custodiam etiam testimonia tua, martyria amando, et sustinendo, si opus sit, libenter illa.

Vide ergo quomodo in hoc octonario se desiderare cognitionem certam ostendit, et ad hoc totis viribus inclinatum, et præparatum, et velle adimplere, et perseverare in adimpletione. Unde huic octonario recte præponitur littera Hebraica CAPH (כ), quod interpretatur *incurvatus*, incurvatione bona, quæ est humilitas, non erectus erectione superbiæ et elationis, de qua, Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus eum*, scilicet Deum, *erecto collo.*

LAMED (ל)

89. In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

90. In generationem et generationem veritas tua : fundasti terram, et permanet.

91. Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.

92. Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte perissem in humilitate mea.

93. In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsi vivificasti me.

94. Tuus sum ego : salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.

95. Me exspectaverunt peccatores ut perderent me, testimonia tua intellexi.

96. Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

LAMED (ל)

« *In æternum, Domine.* » In hoc quarto octonario, sicut dictum fuit supra, agitur de merito proficientium in cognitione divinæ charitis. Ad hanc autem ascenditur per contemplationem creaturarum, et per meditationem Scripturarum. Tria ergo dicuntur in hoc octonario. Primo, agitur de contemplatione æternæ legis in creaturis. Secundo, de meditatione in Scripturis, quam sit utilis, ibi, ỳ. 92 : « *Nisi quod lex tua.* » Tertio, relinquitur ex his cognitio charitatis certissima in ultimo versu, ibi, ỳ. 96 : « *Omnis consummationis.* »

In prima dicuntur duo. Primo, contemplatio legis æternæ in ipsis creaturis. Secundo, ratio, et causa, quare sit in illis, ibi, in medio ỳ. 91 : « *Quoniam omnia serviunt tibi.* »

In prima quatuor. Primo, contemplatio legis æternæ in rationabili creatura superiori, scilicet angelica. Secundo, in

rationabili inferiori, scilicet humana, ibi, ỳ. 90 : « *In generationem et generationem.* » Tertio, in irrationabili inferiori, ibi, « *Fundasti terram.* » Quarto, in irrationabili superiori, ibi, ỳ. 91 : « *Ordinatione tua.* »

89 Dicit ergo : Sic cognovi divinam bonitatem, divinam æquitatem, et etiam exarsi in cognitione veritatis divinæ, et nunc, « *Domine,* » inquirens de fine omnium, charitate hoc cognovi, quoniam « *in æternum verbum tuum permanet in cœlo.* » Vel sic secundum Glossam : Vivifica me, et custodiam testimonia oris tui, quæ vere sunt custodienda, quia o « *Domine,* » qui tanta potentia regis omnia, « *verbum tuum permanet in cœlo :* » et hoc, « *in æternum.* »

Quadruplex Dei verbum manet in quadruplici cœlo in æternum.

Et potest legi quadrupliciter hoc, secundum quadruplex verbum illi respondens. Cœlum enim dicitur *empyreum.* Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Et, Filius Dei Verbum. Joan, I, 1 : *In principio erat Verbum.* Ergo, o « *Domine, verbum tuum,* » id est, Filius, « *permanet in cœlo* » empyreo, « *in æternum,* » quamvis non capiatur ab illo. III Reg. VIII, 27 : *Cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt.* Cœlum iterum appellatur *cœtus Angelorum.* Matth. VI, 10 : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo,* in cœtu scilicet illo angelico, *et in terra,* in humana creatura. Verbum, divina voluntas. Isa. XL, 8 : *Verbum Domini manet in æternum.* Et, XLVI, 10 : *Omne consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* O « *Domine, verbum tuum,* » voluntas tua, « *permanet in æternum :* » et hoc « *in cœlo,* » in cœtu angelico, a quo cecidit Lucifer, quia in eo non permansit. Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer ?* Responsio. Quia in veritate non steti[1]. Cœlum est *firmamentum.* Dicitur, Genes. I, 8 : *Vocavit que Deus firmamentum Cœlum.* Verbum Domini, statutum. Supra, in Psal. XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt,* etc. Ergo, o « *Domine, verbum tuum,* » statutum tuum permanet in æternum, « *in cœlo,* » in ipso firmamento, et his quæ sunt in illo. Job, XXV, 2 : *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Cœlum etiam dicitur *justus quilibet,* de quo, Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea,* supple, est. Verbum, divina lex, et Dei præceptum. Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ergo, o « *Domine, verbum tuum,* » lex tua scilicet et præceptum, « *permanet in æternum,* » ut non ulterius moveatur, « *in cœlo,* » in justo. Eccli. XXVII, 12 : *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna mutatur.*

« *In generationem et generationem.* » 90
Hic secundum. Quasi diceret : Sic permanet verbum tuum in cœlo, in cœtu angelico, et etiam « *veritas tua,* » repete, permanet, « *in generationem* » antiquam, quæ fuit sub Veteri Testamento, « *et generationem* » novam, quæ vivit sub Novo. Vel, « *in generationem et generationem,* » id est, in omnium generationum a principio mundi sucessione. In Psal. CI, 13, supra : *Memoriale tuum in generationem et generationem.* Et, in alio, infra, Psal. CXLIV, 4 : *Generatio et generatio laudabit opera tua.* Succedunt enim generationes, et transeunt, et semper in illis stant veritatis amatores, et veraces. In Psal. CXVI, 2, supra : *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.*

« *Fundasti terram.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic lex tua æterna manet in Angelis et hominibus : ex his enim generatio, non ex Angelis : et etiam « *fun-*

[1] Cf. Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis... Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit,* etc.

dasti terram, » irrationabilem creaturam infimam, « *et permanet,* » sicut est fundata. Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat,* tamquam a Deo fundata. Manet autem quantum ad substantiam, quamvis transitura sit quantum ad figuram. I ad Corinth. VII, 31 : *Præterit figura hujus mundi.* Vel, terra etiam potest dici Ecclesia. Supra, in Psal. LXXXIV, 2 : *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Et hanc Dominus fundavit. Isa. LI, 16 : *Ut plantes cœlos, et fundes terram.* Proverb. III, 19 : *Dominus sapientia sua fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia.*

« *Et permanet,* » non casura, quantumcumque concutiatur : fundata enim est super Christum. I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Propter hoc dictum est supra, in Psal. CIII, 5 : *Qui fundasti terram super stabilitatem suam : non inclinabitur in sæculum sæculi,* ut deficiat, etsi ita concutiatur ut aliquando quasi tota contremiscat. Agg. II, 22 : *Ego movebo cœlum pariter et terram.*

91 « *Ordinatione tua.* » Hic quartum. Quasi diceret : Sic permanet in rationabili creatura superiori, et inferiori, et rursus in inferiori irrationabili : sed quid de irrationabili superiori ? Ecce : « *Dies,* » qui causatur ex influentia lucis a superioribus, et illorum motu perseverat continua successione : et hoc, « *ordinatione tua,* » id est, a te facta. Jerem. XXXI, 35 : *Qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis.* In Psal. CXXXV, 7 et seq., infra : *Fecit luminaria magna,... solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis.* Sic ergo ordinatione tua perseverat dies temporis, et multo verius dies æternitatis, de qua, Zachar. XIV, 7 : *Et erit dies una, quæ nota est Domino.* Supra, in Psal. LXXXIII, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.*

« *Quoniam omnia.* » Ecce secundum totius hujus partis, ratio scilicet et causa omnium dictorum.

Quasi diceret : Sic verbum permanet in Angelis, veritas in hominibus, terra tua fundatione stat, et ordinatione tua dies perseverat, et hoc totum : quia « *omnia serviunt tibi,* » debita tibi servitute subjecta. Sapient. XVI, 24 : *Creatura tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos.* Et, XIX, 6 : *Omnis creatura deserviens erat tuis præceptis, ut pueri tui invenirentur illæsi.* Judith, IX, 17 : *Dominus totius creaturæ,* supple, tu es.

« *Nisi quod lex tua.* » Hic est secunda 92
pars hujus octonarii, sicut supra dictum fuit. Postquam enim egit de contemplatione legis æternæ in creaturis, hic agit de meditatione in Scripturis ostendendo quam utilis sit. Procedit autem sic in hac parte. Primo, utilitatem meditandi Scripturas ostendit. Secundo, promittit se perseveraturum in meditatione illarum, ibi, ℣. 93 : « *In æternum non obliviscar.* » Tertio, petit ulterius per hoc promoveri, et salvari, ibi, ℣. 94 : « *Tuus sum ego.* »

Dicit ergo : Sic manet veritas in creaturis, et « *lex tua* » omnia subjicit et continet : vere ita est, quia « *forte periissem,* » ruendo in mortale peccatum, et ultra forsitan in gehennam, et hoc « *in humilitate mea,* » in dejectione scilicet, et afflictione, sic enim accipitur humilitas. Eccli. II, 4 : *In humilitate tua patientiam habe.* Et supra, in eodem Psalmo CXVIII, 67 : *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Et hoc « *forte :* » nota est liberi arbitrii. Quasi diceret : « *Periissem,* » non coactus, sed voluntarie ad malum inclinatus. Eccli. XV, 18 : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod voluerit, dabitur ei,* Et hoc, « *nisi quia lex tua meditatio mea est,* » sed ejus meditatio me conservavit a periculo. Deuteron. VIII, 19 : *Si autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alie-*

nos,... ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas. Propter hoc dicitur, Eccli. xiv, 22 : *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et in justitia,* id est, in lege justitiæ, *meditabitur.* Legem autem dicit fidem, sicut vult Glossa, per dilectionem operantem [1].

93 « *In æternum non obliviscar.* » Hic promittit se servaturum in memoria legem tam utilem : et dicuntur duo. Primo, promissio. Secundo, ratio quare sic implebit, ibi, « *Quia in ipsis.* »

Dicit ergo : Sic meditatio legis conservavit me a periculo, et ego « *in æternum non obliviscar,* » id est, quamdiu vixero, hoc est enim meum æternum, « *justificationes tuas,* » antiquas, sed evangelicas charitatis : « *in æternum,* » proprie sumendo. I ad Corinth. xiii, 8 : *Charitas numquam excidit.* Proverb. iii, 1 : *Fili mi, non obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat.* Isa. xlix, 3 : *Servus meus es tu, Israel,* non oblivisceris mei. Et *tuas,* inquit, non meas. Proverb. ix, 20 : *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me.*

« *Quia in ipsis.* » Ecce ratio, quare non oblivisci petit : « *Quia in ipsis,* » justificationibus tuis, « *vivificasti me,* » non quia scivi, sed quia feci. Deuter. iv, 1 : *Audi præcepta,... ut faciens ea, vivas,* etc. Luc. x, 28 : *Hoc fac, et vives.*

94 « *Tuus sum ego.* » Hic tertium, in quo petit : et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, additur statim persuasio, ibi, « *Quoniam justificationes.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, lex tua me conservavit meditata, vivificavit custodita, et propter hoc rogo, qui « *tuus sum* » singulariter, non plurium. Matth. vi, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.* Sapient. ix, 5 : *Servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ.* Tuus etiam sum simpliciter et absolute, et jure creationis, et jure recreationis. Ezechiel. xviii, 4 : *Ecce omnes animæ meæ sunt.* Ad Roman. xiv, 18 : *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.* I ad Corinth. iii, 22 et 23 : *Omnia vestra sunt,... vos autem Christi, Christus autem Dei.* « *Salvum me fac.* » Jerem. xvii, 14 : *Salvum me fac, et salvus ero.* Sapient. ix, 4 : *Noli me reprobare a pueris tuis.* Daniel. ix, 19 : *Exaudi, Domine: placare, Domine : attende, et fac,* supple, me salvum : *ne moreris propter temetipsum, Deus meus.* Si enim tuus sum, propter temetipsum facies me salvum.

« *Quia justificationes.* » Hic subjungitur persuasio a duobus : a diligentia in inquirendo Dei bonitatem, a perfecta intelligentia inquisitæ contra inimicorum exspectationem, ibi, ỳ. 95 : « *Me exspectaverunt.* »

Dicit ergo : Sic rogo ut me salves, et certe debes : « *Quoniam exquisivi,* » cum diligentia scilicet quæsivi, « *justificationes tuas,* » et obtinui ut intelligerem illas. Matth. vii, 7 : *Quærite, et invenietis.* Isa. xxi, 12 : *Si quæritis, quærite.* Matth. vi, 33 : *Primum quærite,* id est, primum inquirite, *regnum Dei,* sacram scilicet Scripturam, in qua sunt justificationes : quæ dicitur *regnum,* quia ductiva est ad regnum.

« *Me exspectaverunt.* » Hic secundum, a quo persuadet : et dicuntur duo. Primo, impugnatio ab adversariis. Secundo nihilominus, conservatio mandatorum Dei, et fixio intellectus in illis, ibi, « *Testimonia.* » 95

Ait ergo : Sic exquisivi mandata, et etiam « *peccatores,* » mali homines, et dæmones, « *exspectaverunt me,* » mihi insidiando, et ad culpam impellendo, « *ut* » sic « *perderent me :* » dæmones enim

[1] Cf. ad Galat v, 6 *Fides quæ per charitatem operatur.*

quasi latrones ad, invicem sibilant sese advocando, Osee, VI, 9 : *Quasi fauces virorum latronum :* et spoliant gratuitis, et vulnerant in naturalibus, Luc. x, 30 : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Et insidiose exspectant et latenter, Supra, in Psal. x, 9 : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.* Et ardenter affectant devorare, Thren. II, 16 : *Fremuerunt dentibus, et dixerunt : Devorabimus : en ista est dies quam exspectabamus, invenimus, vidimus.* Exspectant etiam bonos et justos, Job, XL, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Apocal. XII, 4 et 5 : *Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Et nota, quod optime dicit, *Exspectaverunt me :* quia perdere non possunt, nisi prius homo perdat se : consensum enim ejus necesse est ad perditionem prævenire. Unde dicunt, Isa. LI, 23 : *Incurvare ut transeamus.* II Reg. I, 6 : *Saul incumbebat super hastam suam,* ut interficeret se.

« *Testimonia.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Illi credebant me cito periturum : sic autem non fuit, quia « *testimonia tua,* » Scripturarum, « *intellexi,* » id est, in ipsis intellectum fixi : et sic inveni quid persistentibus promitteretur, quia corona. Jacob. I, 12 : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit,* etc. Vel, « *testimonia tua,* » id est, martyria tua, tuis scilicet illata, « *intellexi,* » perfecte, quia vidi ducentia ad finem gloriosum, et sic omnem dolorem mitigantia. Gregorius : « Con-« sideratio præmii diminuit vim flageli. » Ad Roman. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

« *Omnis consummationis.* » Hic est tertium totius octonarii, in quo relinquitur certa cognitio charitatis : et dicuntur duo. Primo, certa cognitio ex prædictis ipsius charitatis. Secundo, quædam cognitæ descriptio, ibi, « *Latum mandatum.* » 96

Et nota, quod *consummatio* appellatur aliquando in Scripturis finis, Matth. XXIV, 3 ; *Quod signum adventus tui, et consummationis sæculi ?* Et consumptio, I Esdræ, IX, 14 : *Numquid iratus es nobis usque ad consummationem ?* id est, usque ad consumptionem. Item, abbreviatio, Isa. x, 23 : *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Et figurarum impletio, Joan. XIX, 30 : *Consummatum est.* Extremum judicium, Eccli. XVIII, 24 : *Memento iræ in die consummationis.* Extrema damnatio, Sapient. III, 16 : *Filii adulterorum in inconsummatione erunt.* Et perfectio ipsius rei. Hoc modo, et primo potest accipi hic consummatio. II ad Corinth. XIII, 9 : *Hoc et oramus vestram consummationem.* Consummationis multiplex acceptio.

Et secundo sic : Ita lex tua manet in universis creaturis, et meditatus sum in Scripturis, et sic et per creaturas et per Scripturas, « *vidi finem omnis consummationis,* » id est omnis perfectionis. Et quid est illud ? « *Mandatum tuum,* » quod est « *latum nimis,* » scilicet mandatum de charitate, quod præcipitur extendi usque ad inimicum. Matth. v, 44, et Luc. VI, 27 : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Charitas enim finis est omnium bonorum. I ad Timoth. I, 5 : *Finis præcepti est charitas.* Et sic est consummatio quasi a parte post. Et est radix, ex qua omne bonum oritur. Matth. XXII, 40 : *In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ :* et sic est quasi a parte ante consummatio.

Vel, secundum hunc sensum etiam sic : « *Vidi finem omnis consummationis,* id est Christum : omnis enim perfe-

ctionis ipse finis est. Propter ipsum enim, et ad ipsum omnis perfectio. Ad Roman. x, 4 : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti.* Vidit hunc finem David in spiritu prophetiæ, sicut et Abraham. Joan. viii, 56 : *Abraham, pater vester, exultavit ut videret diem meum.* Et ob hoc, « *mandatum tuum,* » de charitate, « *latum nimis,* » supple, factum est mihi ad implendum, sentiendo in me illud, quod dicit ipse finis mandati. Matth. xi, 30 : *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Proverb. iv, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis,* etc.

Vel sic : « *Vidi finem,* » terminum, et desitionem, « *omnis consummationis,* » omnis veri consumptibilis : vidi enim omnia quasi terminanda ad minus secundum statum, in quo nunc sunt. Psal. ci, 17 : *Mutabis eos, et mutabuntur.* Sed « *mandatum tuum* » de charitate, non est consumptibile, sed « *latum nimis,* » quia semper durabile. I ad Corinth. xiii, 8 : *Charitas numquam excidit.* Semper enim videbimus Deum in se, et in suis, et sperabimus, et laudabimus.

Attende autem diligenter quomodo in hoc octonario intellexit legem æternam Dei in creaturis, et meditatus fuerit in Scripturis, et tandem latitudinem senserit charitatis. Duo prima ad intellectum respiciunt, sed tertium ad affectum : ergo totum cor hujus est in divinis occupatum. Ergo bene præponitur LAMED (ל) littera Hebraica, quæ interpretatur *cor servientis.* Ac si diceret : Per hæc quæ dicuntur hic, totum cor habet servituti divinæ occupatum, sed non servitute nisi filiali, quæ gloriosa est.

MEM (מ)

97. Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est.

98. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.

99. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.

100. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.

101. Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.

102. A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem posuisti mihi.

103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo.

104. A mandatis tuis intellexi : propterea odivi omnem viam iniquitatis.

MEM (מ)

« *Quomodo dilexi.* » Hic est tertia pars et ultima illius, in qua agitur de merito proficientium. Postquam enim egit de merito illorum, quantum ad habilitatem ad bonum, et postmodum quantum ad cognitionem boni et divinæ voluntatis, hic agitur quantum ad delectationem in cognita, et ipsius dilectionem. Et primo, agitur de dilectione simpliciter et absolute. Secundo, comparatione ad malos legem destruentes in se, et non complentes, et in aliis etiam impugnantes, ibi, ℣. 113 : « *Iniquos odio habui.* »

In prima autem dicuntur duo, secundum duo propter quæ diligenda est cognitio divinæ voluntatis. Primo, ex perceptione et prægustatione divinæ bonitatis, quæ sentitur in lege. Secundo, ex perceptione veri luminis, et regentis animam, et ducentis ad gloriam, ibi, ℣. 105 : « *Lucerna pedibus.* »

In prima duo. Primo, exprimitur amor divinæ legis, et voluntatis ejus vehementia. Secundo, ratio dilectionis tangitur, ibi, ℣. 98 : « *Super inimicos.* »

In prima duo. Primo, dilectio quantum ad affectum. Secundo, quantum ad intellectum, ibi, « *Tota die meditatio mea est.* »

97 Dicit ergo : Sic vidi, Domine, mandatum, et legem charitatis quæ est finis omnis perfectionis, nec sum tristatus ex hoc, imo, « *quomodo,* » quam fortiter, quam vehementer, « *dilexi legem tuam!* » de dilectione, vel admiratione. Quasi diceret : Unde hoc mihi datum, quod dilexi legem tuam ? Dilexi, inquam, ut scutum unde me fortiter protegerem. Proverb. xxx, 5 : *Omnis sermo Domini ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Samaritani receperunt legem, propter leones [1], tamquam gladium adversarios expugnantem. Ad Hebr. iv, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Tamquam locum et terram thesaurum pretiosissimum continentem. Job, xxviii, 1 : *Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur,* sacra scilicet lex et Scriptura. Genes. ii, 12 : *Aurum terræ illius optimum est : ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus.* Nolui eam diligere sicut adulteram, sicut qui lucra temporalia quærunt propter illam. II ad Corinth. ii, 17 : *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei.*

« *Tota die meditatio mea est.* » Hic ostenditur vehementia dilectionis, quantum ad hoc quod pertinet ad intellectum.

Quasi diceret : Multum dilexi in affectu, et etiam « *lex tua est meditatio mea,* » mei scilicet intellectus, « *tota die,* » et etiam nocte : unde diem hic accipit naturalem. In Psal. i, 2 : *In lege ejus,* Dei scilicet, *meditabitur die ac nocte.* Quippe, Matth. vi, 21, dicitur : *Ubi est thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit.* Sed thesaurus est, sicut superius dictum est. Item, meditationem suam dicit de *die*, non de nocte : quia tota est de nova, et in nova lege, quæ dies est. Genes. i, 16 : *Fecit Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præesset diei,* Christum, ut præesset Novo Testamento, *et luminare minus, ut præesset nocti,* id est, Moysen, ut præsset Veteri Testamento.

« *Super inimicos meos.* » Hic secundum, in quo subjungitur dilectionis ratio, dilectionis, inquam, tam vehementis, scilicet perceptio divinæ bonitatis secundum tres gradus. Primo, ex perceptione divinæ bonitatis in ipso intellectu tamen practico. Secundo, in effectu, ibi, ℣. 101 : « *Ab omni via mala.* » Tertio, in affectu, ibi, ℣. 103 : « *Quam dulcia.* » 98

In prima tria. Primo, perceptio divinæ bonitatis ad dandum prudentiam in cavendis. Secundo, subtilitatem in contemplandis, ibi, ℣. 99 : « *Super omnes docentes.* » Tertio, discretionem in agendis, ibi, ℣. 100 : « *Super senes.* »

In prima duo. Primo, collatio boni prudentiæ ad cavendum malum. Secundo, ratio et modus conferendi, ibi, « *Quia in æternum.* »

Dicit ergo : Sic dilexi legem, et tota die meditor illam : et justum est, quia « *mandato tuo,* » id est, per mandatum tuum, « *prudentem me fecisti,* » me scilicet cavere malum docuisti : et hoc, « *super inimicos meos,* » id est, plusquam sint inimici mei prudentes, Judæi

[1] Cf. II Esdræ, iv 1 et seq.

signis innitentes, et Pagani sive Græci sapientiam quærentes, I ad Corinth. I, 22: *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt.* Prudentiam quidem carnis habent quæ mors est, Ad Roman. VIII, 6: *Prudentia autem carnis, mors est.* Prudentiam suam terrenam laboriose acquirunt. Baruch, III, 23: *Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est:* et quamvis sint in istis multis justis prudentiores, secundum illud Luc. XVI, 8: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt,* tamen dono tuo prudentior illis sum.

« *Quia in æternum.* » Ecce modus et ratio, quo collata est illa prudentia: « *Quia in æternum mihi est,* » supple, cordi infixum mandatum tuum de timore tuo. Eccle. XII, 13: *Deum time, et mandata ejus,* de timore scilicet, *observa:* quia per hunc prudenter declinatur a malo. Proverb. XIV, 16: *Sapiens timet, et declinat a malo:* et maxime quando fixum habet in corde, et manet in illo tamquam sapiens, non cito mutatur ab eo tamquam stultus. Eccli. XXVII, 12: *Homo justus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.*

99 « *Super omnes docentes.* » Hic secundum, in quo subjungitur de perceptione divinæ bonitatis, quantum ad intellectum, scilicet quantum ad subtilitatem in contemplandis: et dicuntur duo. Primo, Doctorum etiam excellentium supergressio in contemplanda veritate. Secundo, causa, et ratio, ibi, « *Quia testimonia.* »

Dicit ergo: Sic prudentiam dedisti ad cavenda mala, et etiam « *intellexi,* » veritatem rei, et spiritualem Scripturæ contemplatus sum intelligentiam, « *super omnes docentes me,* » Scribas et Pharisæos, qui videntur me docere. Matth. XXIII, 2: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.* Sed justi, qui sunt Ecclesiæ filii, multo melius a Domino docentur. Isa. LIV, 13: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.* Joan. VI, 35: *Et erunt omnes docibiles Dei.* Et propter hoc multo verius super omnes docentes se sciunt veritatem. Eccli. XXXVII, 18: *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Nec mea factum est industria: sed « *quia meditatio mea,* » diligens scilicet inquisitio, « *et testimonia tua,* » id est, de testimoniis tuis spiritualiter intelligendis, non tantum litteraliter, sicut docentes me volunt intelligi. Scio enim illud Apostoli, II ad Corinth. III, 6: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Joan. VI, 64: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Præterea qui meditatur in testimoniis divinis, et in meditando non tantum intelligit, sed etiam inflammatur ad amorem Dei et proximi, super multos Doctores intelligit. Cassiodorus: « Quia enim charitas igne « verbi Dei accenditur, dicit se ex me- « ditatione verbi profecisse. »

« *Super senes intellexi.* » Hic tertium, in quo ostendit se sensisse divinam bonitatem, quantum ad intelligentiam agendorum: et tanguntur duo. Primo, excellentia et supergressio expertorum in agendis. Secundo, ratio et modus, quo hoc factum est, ibi: « *Quia mandata.* » 100

Dicit ergo: Sic prudentior inimicis fui in cavendis, perspicacior Doctoribus in intelligendis: et etiam « *super senes,* » scilicet qui multa experti sunt in agendo, secundum illud Job, XII, 12: *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* « *Intellexi:* » quippe multi certe senum antiquorum post multam experientiam pessimi fiunt, secundum illud Daniel. XIII, 5: *Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Jerem. XXIII, 15: *A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.*

« *Quia mandata.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Super senes intellexi, qui tales fuerunt : et hoc fuit, « *quia mandata tua,* » non hominum, « *quæsivi,* » ut facerem illa, cum illi facerent contrarium. Jerem. v, 5 : *Ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.* Et, ibidem, v, 28 : *Præterierunt sermones meos pessime.* Isa. xxiv, 5 : *Transgressi sunt leges meas, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.*

101 «*Ab omni via mala.* » Hic secundum totius octonarii, perceptio divinæ bonitatis per legem suam in effectu. Et primo, in declinando a malo, et cessatione ab illo. Secundo, in operando bonum, ibi, ỳ. 102 : « *A judiciis.* »

In prima duo. Primo, cohibitio sui, et cessatio a malo. Secundo, ratio et finis se cohibendi, ibi, « *Ut custodiam.* »

Dicit ergo : Sic profeci per legem tuam, Domine, quantum ad intellectum, ut scirem quid cavendum, quid credendum et quid agendum : et sic « *prohibui pedes meos,* » affectiones scilicet meas, « *ab omni via mala,* » inimicorum, doctorum perversorum, et malorum servorum, Proverb. I, 15 : *Fili mi, ne ambules cum eis.* Ab omni etiam concupiscentia, ut non sequerer illam, Eccli. xviii, 30 : *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere,* etc.

Est enim triplex via mala a qua pedes prohibendi sunt, de qua, I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est,* quæ est via immunda et lubricosa. Thren. IV, 18 : *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum. Et concupiscentia oculorum,* quæ est valde tenebrosa, Proverb. IV, 19 : *Via impiorum,* avarorum scilicet crudelium, *tenebrosa. Et superbia vitæ,* quæ est via periculosa, quia latronibus plena. Omnes enim superbi, et ostendentes sua bona, a latronibus, dæmonibus scilicet spoliantur, ut possit dicere superbus illud Job, XIX, 12 : *Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt viam suam per me.*

« *Ut custodiam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic prohibui pedes meos, et ad hoc, « *ut custodiam mandata tua,* » cavendo mala, nullo modo recurrendo in illa, et recidivando. Scio enim illud Eccli. xxxiv, 30 : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid prodest lavatio illius?* Luc. XI, 28 : *Beati, qui audiunt verbum Dei,* declinando a malo, *et custodiunt illud.*

« *A judiciis tuis.* » Hic secundum, in quo monstrat se sensisse Dei bonitatem, per legem suam in faciendo bonum : et tangitur primo bonorum mandatorum adimpletio. Secundo, ratio et causa quare voluit adimplere, ibi, « *Quia tu legem.* » 102

Dicit ergo : Sic pedes a malo prohibui, et etiam « *non declinavi,* » quin omnia adimplerem, « *a judiciis tuis,* mandatis institutis, ex recto judicio datis, et hominum vitam regulantibus. Deuter. XVII, 19 et 20 : *Leget illud omnibus diebus vitæ suæ, ... ne declinet in partem dexteram vel sinistram :* sicut, Job, XXXI, 7 : *Si declinavit gressus meus de via.* Judicia enim Dei via sunt ad ambulandum rectissima. Isa. xxxv, 8 : *Hæc erit vobis via directa, ita ut stulti non errent per eam.* Numer. XXI, 22 : *Via regia gradiemur,* scilicet non declinabimus ad dextram nec ad sinistram. Ipsa sunt, sicut vult Glossa, regula illa, de qua Apostolus, ad Galat. VI, 16 : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia.*

« *Quia tu legem.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non declinavi, et hoc fuit, « *quia tu legem,* » (legem appellat judicia ipsa) « *posuisti mihi,* » in corde eam digito scribendo. Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in cordibus eorum superscribam eam.* »

« *Legem,* » inquam, « *posuisti mihi,* » quam supra, ỳ. 33, petebam, dicens : *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum.* Isa. XXXIII, 22 : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster : ipse veniet et salvabit nos.*

103 « *Quam dulcia faucibus.* » Hic tertium secundæ partis totius octonarii, in quo ostendit se percepisse bonitatem divinæ legis : et etiam « *eloquia tua,* » facta sunt, « *quam dulcia,* » id est valde dulcia, « *faucibus meis* » interioribus, scilicet affectui meo ad meditandum : Ezechiel. III, 3 : *Factum est in ore meo* (dicitur de libro comesto) *quasi mel dulce*[1], imo plusquam mel : unde subdit : « *Super mel ori meo* » interiori, supple, factum est dulce, quando debeo illud eloqui etiam ore exteriori. Eccli. XXIII, 37 : *Nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei.* Proverb. XXIV, 13 : *Comede, fili, mel,* dulcedinem scilicet divini eloquii, *quia bonum est :* etsi cortex exterior videatur aliquibus aliquando insipidus, interior medulla, sensus scilicet spiritualis semper est dulcissimus. Eccli. XXIV, 27 : *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum :* faucibus interioribus, de quibus, Job, XII, 11 : *Nonne auris verba dijudicat, et fauces,* comedentis scilicet, *saporem?*

104 « *A mandatis tuis.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic mihi dulcia fuerunt eloquia tua, et ex hoc « *a mandatis tuis,* » mihi interius dulcescentibus, « *intellexi,* » majorem scilicet et certiorem intelligentiam habui. Eccli. I, 33 : *Fili, concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi,* certiorem scilicet et majorem. Genes. XVIII, 17, Abraham bonus erat et obediens. Et quid dixit Dominus? *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Marc. III, 16 : *Imposuit Simoni,* obedienti scilicet, *nomen Petrus,* quod interpretatur *sciens.*

« *Propterea odivi.* » Ecce secundum, odium oppositi, quod tangitur tamquam causatum a primo.

Ait enim : Sic faucibus meis divinæ legis et mandatorum Dei sensi dulcedinem, et « *propterea odivi omnem viam iniquitatis,* » in qua mali erudiuntur. Sapient. v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis.* Ipsam autem odit in quantum potest, et refugit, qui dulcedinem divinæ legis gustavit, implens illud Eccli. XXI, 2 : *Quasi a facie colubri fuge peccata.*

Vide ergo in hoc octonario, quomodo confitetur se mandata Dei in effectu, et in intellectu, et in ipso interiori affectu sensisse, tamquam dicat intima viscera sua ex ipsis repleta. Et hoc signat littera Hebraica præposita, MEM (מ): interpretatur enim *viscera,* et *ex ipsis.* Quasi diceret : Ex ipsis Dei mandatis dicit viscera sua hic repleta.

NUN (נ)

105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.

106. Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

107. Humiliatus sum usquequaque, Domine : vivifica me secundum verbum tuum.

108. Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, et judicia tua doce me.

109. Anima mea in manibus meis

[1] Cf. Apocal x, 9 et 10.

semper, et legem tuam non sum oblitus.

110. Posuerunt peccatores laqueum mihi, et de mandatis tuis non erravi.

111. Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt.

112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, in æternum, propter retributionem.

NUN (נ).

« *Lucerna pedibus meis.* » Hic secundum, in quo agitur de dilectione divinæ legis, ratione veri luminis quod infundit ad regendum animam, et ducendum in summum bonum : et dicuntur tria. Primo, divinæ legis commendatio, tamquam desideratæ et amatæ. Secundo, fortis adhæsio amatæ et dilectæ, ibi, ℣. 106 : « *Juravi et statui.* » Tertio, profectus multiplex ex amata tangitur, ibi, ℣. 107 : « *Humiliatus sum.* »

In prima duo. Primo, divinæ legis commendatio quantum ad Testamentum Vetus. Secundo, quantum ad Novum, ibi, « *Et lumen.* »

105 Dicit ergo : Sic, Domine, dilexi legem tuam, propter bonitatem et dulcedinem quam sensi in illa : et etiam « *verbum tuum,* » per Moysem, et Prophetas ad nos delatum, est « *lucerna,* » lux in testa, veritas scilicet sub multiplici figura, « *pedibus meis,* » dirigendis ad te, scilicet affectionibus meis. II Petr. I, 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Job, XXIX, 3 : *Quando splendebat lucerna ejus super caput meum,* scilicet lex divina super mentem et affectum.

« *Et,* » verbum tuum Evangelicum, est « *lumen semitis meis,* » ostendendis : numquam enim ante semitæ consiliorum Dei erant ostensæ, sed latebant, donec venit Evangelii lumen. Isa. LX, 3 : *Ambulabunt Gentes in lumine tuo.* De utroque simul, Proverb. VI, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux. Mandatum,* quantum ad legem veterem, quæ quasi a remotis mandabatur : *lex* vero ligans suaviter et aperte illuminans, quantum ad Evangelium.

Lucerna etiam, Verbum Dei Filius, « *pedibus meis :* » lucerna enim lux in testa, divinitas in persona Filii latens in carne nostra, de qua, Matth. V, 15 : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum,* crucem scilicet. II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Et ipsum lumen, imo lux ad semitas ostendendum illuminans corda, et per seipsam docens. Joan. I, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et, ibidem, VIII, 12 : *Ego sum lux mundi,* etc. I Joan. I, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Joan. XII, 35 : *Ambulate dum lucem habetis,* vobis semitas ostendentem. Lucerna verbum Dei increatum.

« *Juravi et statui.* » Hic secundum, firma scilicet adhæsio ipsi legi per sacramentum oris, et propositum firmum cordis, ibi, « *Et statui.* » 106

Ait enim : Sic verbum tuum me luce perfundit, et propter hoc, « *juravi,* » ore asserendo cum attestatione divina, « *et statui,* » firmiter in corde, « *custodire,* etc. » Vel, secundum potest esse primi expositio. Quasi diceret : « *Juravi et statui,* » in corde meo firmiter proponendo, « *custodire judicia justitiæ tuæ,* » leges tuas, a tua justitia, tamquam quædam judicia manantes, ut sic manerem semper in illis. Ad Hebr. VI, 16 : *Omnis controversiæ finis est juramentum.* Si autem rumpitur, caveat sibi qui præterit. Ezechiel. XVII, 19 : *Juramen-*

tum quod sprevit, et fœdus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus. Oportet ergo custodire quando juramentum est, maxime « *judicia justitiæ.* » Isa. LVI, 1 : *Custodite judicium, et facite justitiam.* Eccli. XXXII, 20 : *Qui timent Dominum invenient judicium justum, et justitiam quasi lumen accendent.*

107 « *Humiliatus sum.* » Hic est tertium totius octonarii, in quo tangitur profectus sequens ex legis dilectione : et tanguntur sex gradus. Primus, voluntatis humiliatio. Secundus, devota oris locutio voluntaria, ibi, ỹ. 108 : « *Voluntaria oris mei.* » Tertius, diligentia in bona operatione, ibi, ỹ. 109 : « *Anima mea.* » Quartus, prudentia in adversitate, ibi, ỹ. 110 : « *Posuerunt peccatores.* » Quintus, lætitia in tribulatione, ibi, ỹ. 111 : « *Hæreditate acquisivi.* » Sextus, promptitudo perseverantiæ, ibi, ỹ. 112 : « *Inclinavit cor meum.* »

In prima duo. Primo, asserit se humiliatum. Secundo, petit vivificari secundum verbum, ne forte illa humiliatio inanis sit, ibi, « *Vivifica me.* »

Dicit ergo : Sic fortiter proposui adhærere, tamquam amator verus legi tuæ, et per illam, « *humiliatus sum,* » o tu, « *Domine* : » et hoc, « *usquequaque,* » id est, « usque valde, » ut habet alia littera, non sicut illi de quibus, Eccli. XIX, 23 : *Est qui nequiter humiliat se, interiora autem ejus plena sunt dolo.* Sed sicut ille qui dicebat, II Reg. VI, 22 : *Ludam, et vilior fiam.* I Petr. V, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei,* quantumcumque sitis. Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

« *Vivifica me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Humiliatus sum valde, sed, Domine, peto, « *vivifica me,* » aliter enim parum valeret humilitas mea, « *secundum verbum tuum,* » ut scilicet secundum verba tua vivam, cum ratione faciendo, et discretione. Ad Roman. XII, 1 : *Rationabile sit obsequium vestrum.* Talibus etiam qui humiliantur, promittit spiritum vivificationis : unde peto ut ibi reddat ipsum. Isa. LVII, 15 : *Excelsus... in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.* Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,* scilicet vivificantem.

« *Voluntaria oris mei.* » Hic secundus gradus tangitur, scilicet devotio in locutione, quam petit fieri beneplacitam : et quia non potest esse hoc sine divino regimine, duo dicuntur. Primo, petit ut ejus locutio Deo placeat. Secundo, ut ipsum de loquendis instruat, ibi, « *Judicia tua.* » 108

Ait ergo : Sic humiliatus sum corde, et devotus etiam sum ore, quia, o « *Domine,* » rogo, « *fac beneplacita tibi,* » id est, tuæ majestati, « *voluntaria oris mei,* » id est, sacrificia et orationem ore meo tibi oblatam.

Notandum enim, quod est oblatio oris, Osee, XIV, 3 : *Reddemus vitulis labiorum nostrorum.* Sed hæc oblatio aliquando est extorta, quemadmodum in dæmonibus, Luc. IV, 41 : *Exibant dæmonia a multis, clamantia et dicentia : Quia tu es Filius Dei.* Aliquando est simulatoria, sicut in illis, quibus dicitur, Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [1]. Aliquando voluntaria, et tunc placet Deo, Ezech. XLVI, 12 : *Cum fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino, aperietur ei porta quæ respicit ad Orientem.*

Oris oblatio extorta, simulatoria, et voluntaria.

« *Et judicia tua.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic tibi placeant, « *et* »

[1] Cf. Isa. XXIX, 13.

ulterius per hæc, « *judicia tua doce me,* » quæ aliter non possum scire. Ad Roman. xi, 33 : *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Luc. xxiv, 45 : *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Tantæ enim rectitudinis sunt, quod tu solus nosti illa. Isa. xxviii, 17 : *Ponam judicium in pondere, et justitiam in mensura.*

109 « *Anima mea in manibus.* » Hic tangitur gradus tertius, scilicet diligentia in operando. Et primo, exterius. Secundo vero interius, ibi, « *Et legem tuam.* »

Dicit ergo : Sic humiliatus sum, et etiam in locutione devotus, et iterum « *anima mea* » est per diligentiam et considerationem vehementem, « *in manibus meis,* » in operibus meis exterioribus, sicut, I Reg. xix, 5, de David : *Posuit animam suam in manu sua, et percussit Philisthæum.* Sicut dicebat Job de seipso, xiii, 14 : *Animam meam porto in manibus meis.* Tales sunt adimplentes illud Pauli, ad Philip. ii, 12 : *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* Alia littera habet : « Anima mea in manibus tuis, » ubi sint animæ sanctorum. Sapient. iii, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Ubi secure est, Job, x, 17 : *Cum sit nemo qui de manu tua,* etc. Joan. x, 28 : *Non rapiet eas quisquam de manu mea.*

« *Et legem.* » Quasi diceret : Sic diligens sum in exteriori operatione, « *et* » etiam « *legem tuam non sum oblitus,* » eam tenens in jugi memoria, et meditatione, secundum illud Proverb. iii, 1 : *Fili, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea cor tuum custodiat.*

110 « *Posuerunt peccatores.* » Hic est quartus gradus, scilicet prudentia in tentatione. Duo ergo dicuntur. Primo, tentatio, Secundo, prudens evasio ab illa, ibi, « *Et de mandatis.* »

Dicit ergo : Sic anima mea in manibus meis, diligenter quæcumque agerem attendendo, et etiam « *posuerunt peccatores,* » mundani homines, et dæmones, « *laqueum mihi.* » Laqueum, inquam, tentationis. Psal. cxxxix, 6 : *Absconderunt superbi laqueum mihi.* Proverb. i, 11 : *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra.* Hic est laqueus, de quo, Isa. xxiv, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Formido avaritiæ, fovea luxuriæ, laqueus superbiæ. Jerem. v, 26 : *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros.* Sic isti mihi fecerunt. Et tu quid? Ecce : « *Et de mandatis tuis non erravi,* » recedens aliquo modo ab illis, et sic liberatus ab illis : quippe, Proverb. i, 17, dicitur : *Frustra jacitur rete ante oculos, pennatorum,* justorum oculos sursum ad Dei mandata erigentium : sed magis involuti sunt in laqueis, qui illos tetenderunt. Eccli. xxvii, 29 : *Qui laqueum alii ponit, peribit in illo.* Propter hoc dicitur, Eccli. xxxv, 2 : *Sacrificium salutare est attendere mandatis,* Dei scilicet, quia per hoc evadit homo a periculo.

« *Hæreditate acquisivi.* » Hic est quintus gradus, scilicet exsultatio in tribulatione : et tanguntur duo. Primo, affectio sustinendi pro Deo. Secundo, exsultatio in tribulatione et martyrio, ibi, « *Quia exsultatio.* » Et est secundum ratio primi. 111

Dicit ergo : Sic prudenter evasi in tentatione, et quod magis est, « *acquisivi,* » desiderio et oratione, « *testimonia tua,* » id est, martyria, ut venirent super me : et hoc « *hæreditate,* » id est tamquam hæreditario jure. Sic enim fuerunt tribulati et turbati patres mei omnes. Judith, viii, 22 et 23 : *Pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Jacob, sic*

Moyses, et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Imo, ipse Christus, I Petr. II, 21 : *Christus passus est pro nobis, vobis reliquens exemplum*, patiendi scilicet tamquam hæreditatem. Hanc hæreditatem acquisivi, « *in æternum*, » ducentem. Per hanc enim habetur æterna hæreditas. Sapient. III, 5 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur*, æternaliter. Et bene, quia, II ad Corinth. IV, 17 : *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

« *Quia exsultatio.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic acquisivi jure hæreditario martyria sustinere, « *quia exsultatio cordis mei sunt* » illa. Act. V, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Propter hoc tamquam quædam pretiosa jocalia tibi offerebat martyria, plagarum cicatrices et verbera Paulus. II ad Corinth. IV, 10 : *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes.* Ad Galat. VI, 17 : *Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.*

112 « *Inclinavi cor meum.* » Hic sextus gradus, et ultimus, scilicet promptitudo perseverantiæ : et dicuntur duo. Primo, tangitur prompta obedientia. Secundo, obedientiæ promptæ causa, ibi, « *Propter retributionem.* »

Ait enim : Sic in martyriis gaudeo, et « *inclinavi*, « humiliando, « *cor meum*, » non ad cognoscendas tantum, sed « *ad faciendas justificationes tuas*, » et non ad tempus sicut multi, sed « *in æternum.* »

Septem notanda quæ ad justificationem conferunt.

Et nota, quod dicit *justificationes* in plurali, quia septem sunt per quæ justificatur anima. Primum est prædicatio. Joan. XV, 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini.* Secundum, sacramentorum perceptio. Joan. II, 6 : *Erant ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum.* Sex enim sacramenta purgant proprie, sed septimum non sic, scilicet matrimonium, quamvis conservet ab inquinatione. Tertium, oratio. Eccli. XXXIII, 9 : *Ora Dominum, et ipse curabit te.* Propter hoc dicit Jacob. V, 15 : *Oratio fidei salvabit infirmum... : et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quartum, eleemosynarum largitio. Luc XI, 41 : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Quintum, peccati remissio ipsi proximo cum delinquit in nos. Eccli. XXVIII, 2 : *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Luc. VI, 37 : *Dimittite, et dimittemini*[1]. Sextum, potens toleratio tribulationum. Genes. VII, 11 et seq., Dominus lavat mundum aquis diluvii. Et fornax purgat aurum, Sapient. III, 6 : *Tanquam aurum in fornace probavit illos*, scilicet electos Dominus. Septimum, fratrum revocatio a malo per prædicationem. Jerem. XV, 19 : *Si converteris, convertam te.* In hujus rei figuram Eliseus septies super puerum oscitavit, et Naaman septies in Jordane lavit[2].

« *Propter retributionem.* » Hic secundum, scilicet causa, et ratio perseverantiæ hujus, ne forte viderentur inani gloria, vel mundana prosperitate sic perseverare.

Ait enim : Sic cor meum inclinavi ad faciendas justificationes tuas in æternum : et hoc totum facio « *propter retributionem* » æternam quam considero. Proverb. XIII, 21 : *Justis retribuentur bona*, et æterna bona. Matth. XXV, 34 : *Venite, benedicti Patris mei, possidete*

[1] Cf Matth. VI, 14 et 15, et XVIII, 35.

[2] Cf. IV Reg. IV, 21 et seq. ; et V, 1 et seq.

paratum vobis reg num, non temporal, sed quod vobis paratum est *a constitutione mundi*.

Vide ergo diligenter, quomodo verbum Dei commendavit, quia et lucerna est, et animam per tot gradus ascendere facit : humilitatem præbet cordis, devotionem locutionis, diligentiam operis, prudentiam in tentatione, lætitiam in tribulatione, et tandem perseverantiam in bono opere. Unicus ergo adjutor virorum, et vere reficiens eos est sermo Domini, sive increatus, sive creatus, qui est lex divina. Propter quod bene præponitur littera Hebraica NUN (נ), quod interpretatur *unicus*, vel *pascua*. Quasi diceret aperte : Sermo Dei, de quo agitur in subjecto octonario, est animæ adjutor, et pastor.

SAMECH (ס)

113. Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.
114. Adjutor et susceptor meus es tu, et in verbum tuum supersperavi.
115. Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.
116. Suscipe me secundum eloquium tuum, et vivam, et non confundas me ab exspectatione mea.
117. Adjuva me, et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper.
118. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.
119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : ideo dilexi testimonia tua.
120. Confige timore tuo carnes meas : a judiciis enim tuis timui.

SAMECH (ס)

« *Iniquos odio habui.* » Hic secundum totius hujus partis, in qua agitur de dilectione divinæ legis. Actum est enim de dilectione ipsius absoluta, hic de relata ad malos. Et primo, ad malos simpliciter. Secundo, ad malos legem impugnantes specialiter, ibi, ℣. 121 : « *Feci judicium.* »

In hac autem parte tria dicuntur, secundum tres malorum differentias. Primo quidem agitur de dilectione legis comparatione ad iniquos. Secundo, comparatione ad malignos, ibi, ℣. 115 : « *Declinate a me.* » Tertio, comparatione ad prævaricatores, ibi, ℣. 119 : « *Prævaricantes reputavi.* » Primi odiuntur, secundi detestantur, tertii despiciuntur : et totum hoc per amorem divinæ legis. Primi peccant contra divinam bonitatem, secundi ex certa scientia contra Dei veritatem, tertii contra majestatem, sive potestatem.

In prima dicuntur tria. Primo, confitetur habitum ad iniquos odium. Secundo, suum ad legem Dei affectum, ibi, « *Et legem.* » Tertio, ostendit consequentem ex utroque fructum, ibi, ℣. 114 : « *Adjutor et susceptor.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, dilexi le- 113
gem, quia sic me fecit proficere : et etiam « *iniquos*, malitiosos contra tuam bonitatem, « *odio habui*, » in quantum tales sunt : quod enim sunt per naturam, diligo : quod autem per culpam, odio. Osee, IX, 15 : *Exosos habui eos*, sicut et tu. Eccli. XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores*. Sapient, XIV, 9 : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus*. Alia literah abet, « tumultuosos. »

Quos autem significat per hoc, nisi advocatos malos, qui totum mundum causis perturbant, et litibus? Isa. III, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem.* Et lenas choreis et cantilenis totum replentes. Exod. XXXII, 17, Josue audivit tumultum cantantium, et ducentium choreas coram vitulo conflatili. Et clericos post multam potationem falsa voce cantantes in Ecclesiis. Amos. v, 23 : *Aufer a me tumultum carminum tuorum*

« *Et legem.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic illos habui, « *et legem tuam,* » e contrario, « *dilexi.* » Supra, ℣. 97 : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine.* Ibi satis de hoc.

114 « *Adjutor et susceptor.* » Hic tertium, in quo subjungit fructum. Hic autem fructus est firma in Deum spes, et fiducia : unde duo dicuntur. Primo, confitetur se adjutum, et protectum de præterito. Secundo, sperare de futuro, ibi, « *Et in verbum tuum.* »

Ait ergo : Sic dilexi legem, et propter hoc, « *adjutor,* » ad faciendum bonum, *et susceptor meus,* » ad cavendum malum « *es tu,* » non alius. Eccli. LI, 2 : *Adjutor et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione.* Isa. XLI, 10 : *Auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera Justi mei.* Daniel. III, 39 : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur,* a te, Domine, ut a malo liberes, et adjuves ad bonum faciendum.

« *Et in verbum tuum supersperavi,* » de futuris, non tantum speravi. Scio enim, quod reddes quod promittis. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet ? locutus est, et non implebit ?* Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Verba enim legis tuæ certam generant spem. Eccli. XXIV, 25 : *In me omnis spes vitæ et virtutis.* Eccli. XIV, 2 : *Felix qui non habuit animæ suæ tristitiam, et non excidit a spe sua.* Et expone *supersperavi,* non tantum speravi, sicut est supra frequenter expositum [1].

« *Declinate a me, maligni.* » Hic secundum, in quo monstratur dilectio legis comparatione ad malignos : et dicuntur tria. Primo, malignorum detestatio. Secundo, studium mandatorum Dei, vel in mandatis Dei, ibi « *Et scrutabor.* » Tertio, supplicatio pro promotione sui in studio illo : non enim credit per se posse sufficere, ibi, ℣. 116 : « *Suscipe me secundum eloquium tuum.,* » 115

Dicit ergo : Sic iniquos odio, legem diligo, et etiam vobis malignis dico : « *Declinate a me, maligni,* » vos enim detestor. *Malignos* autem vocat ex certa scientia veritatem Dei impugnantes. Declinate, inquam, ne ego vobiscum etiam declinem : quia in Psal. CXXIV, 5 infra, dicitur : *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et ne tangatis quæ pertinent ad eos, ne involvamini in peccatis eorum.* I Reg. XV, 6 : *Recedite, atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo.* Eccli. XXXV, 5 : *Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate : et deprecatio pro peccatis recedere ab injustitia.*

« *Et scrutabor.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic declinate a malo, « *et scrutabor,* » meditando, conferendo in corde meo, « *mandata Dei mei,* » sicut ipse præcipit, Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas, quia ipsi putatis in ipsis vitam æternam habere.* Non enim possunt bene scrutari ubi maligni impugnant, et assistunt, sive homines, sive dæmones : quia, Eccle. x, 1 : *Muscæ mo-*

[1] Cf. expositionem datam supra, in ℣℣. 43, 74, 81, etc.

rientes perdunt suavitatem unguenti. Dicat ergo volens scrutari illud Cantic. IV, 16 : *Surge, Aquilo, et veni, Auster,* hoc est, recede, maligne, et veni, spiritus amoris et temperantiæ.

116 « *Suscipe me.* » Hic tertium, in quo petit promoveri a Deo, sciens quoniam aliter non possit digne scrutari, et hoc petendo gratiam triplex impedimentum removentem. Primo ergo petit removeri omnem pœnam. Secundo, confusionem culpæ, ibi, « *Et non confundas me.* » Tertio, impugnationem quæ fit in tentatione, ibi, ℣. 117 : « *Adjuva me et salvus ero.* »

In prima duo. Primo, petit. Secundo, quemdam fructum addit, si habuerit quod petit, ibi, « *Et vivam.* »

Ait ergo : Sic, Domine, volo scrutari mandata tua si mali abscesserint : et ut hoc possim, « *Domine, suscipe me,* » ab eorum consortio trahendo ad te. Et hoc, « *secundum eloquium tuum.* » Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Luc. I, 54 : *Suscepit Israel puerum suum.* « *Et vivam,* » ut sic possim penetrare ad intima et interiora legis tuæ : quippe separatus a malis, conjunctus ero tibi, qui es vita. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Imo, finis vitæ.

« *Et non confundas me* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic libera a pœna, ut reddas aptum ad scrutandum. « *Et,* » etiam propter hoc ipsum, « *non confundas me,* » sed a causa confusionis elonga: non confundas, inquam, « *ab exspectatione mea,* » quam spero in spiritum uberius infundi. Eccle. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Ad Roman. V, 5 : *Spes non confundit.* Supra, in Psal. XXIV, 3 : *Universi qui te expectant, non confundentur* [1].

« *Adjuva me. et salvus ero.* » Hic tertium, in quo petit adjutorium contra tentationem. Et primo, petit. Secundo, finem suæ petitionis adjungit ibi, « *Et salvus ero.* » 117

Ait ergo : Sic non confundas me, et etiam « *adjuva me,* » contra tentationem quamcumque insurgentem. Esther, XIV, 3 : *Domine mi,... adjuva me solitariam, et cujus præter te nullus est auxiliator alius.*

« *Et salvus ero.* » Hic tangit finem duplicem. Primus, salvatio. Secundus, in lege Dei continua meditatio, ibi, « *Et meditabor.* »

Ait enim : Sic adjuva me, « *et salvus ero,* » ab omni tentatione : aliter non potero. I ad Corinth. X, 13 : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Et ab omni impugnante. Deuter. XXXIII, 7 : *Adjutor illius contra adversarios ejus erit.* Sophon. III, 17 : *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit : gaudebit super te in lætitia,* etc.

« *Et meditabor.* » Hic dicuntur duo. Primo, promissio jugis meditationis. Secundo, ratio quare jugiter velit meditari, ibi, ℣. 118 : « *Sprevisti.* »

Dicit ergo : Sic salvabis, « *et meditabor,* » salvatus a tentatione, « *semper,* » continue pro loco et tempore, « *in justificationibus tuis,* » quod a te solo justificantur animæ. I ad Timoth. IV, 15 : *Hæc meditare, in his esto, ut perfectus sis.* In hac meditatione inflammatur ad amorem Dei. Supra, in Psal. XXXVIII, 4 : *In meditatione mea exardescet ignis.* Tali promittitur corona. Apocal. II, 10 : *Esto fidelis* in justificationibus Dei, meditando ipsum solum justificatorem, credendo *usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.*

[1] Vulg. habet, Psal. XXIV, 3 : *Universi qui sustinent te, non confundentur.*

118 « *Sprevisti omnes.* » Hic ratio, quare meditari decrevit continue, scilicet non meditantium abjectio : unde duo dicuntur hic. Primo, abjectio a lege Dei recedentium. Secundo, ratio abjectionis illorum, ibi, « *Quia injusta* ».

Dicit ergo : Sic meditabor, et necesse habeo, quia « *sprevisti,* » eos a te repellendo, « *omnes discedentes a judiciis tuis,* » quibus doces nos, et instruis in lege tua. Job, xxxiv, 17 : *Numquid qui non amat judicium, sanari potest ?* Quasi diceret : Non. Quales sunt illi, quibus dicitur, Proverb. i, 25 : *Despexistis omne consilium meum*, quibus etiam flagellando nos corripis : talia enim non sunt contemnenda. Job, v, 17 : *Increpationem Domini ne reprobes, quoniam ipse vulnerat et medetur.* Sed quando spernunt et abjiciunt, a Domino spernuntur et abjiciuntur. Supra, in Psal. lxxvii, 62 : *Hæreditatem suam sprevit.* Et fiunt tunc incorrigibiles, et obstinati. Eccle. vii, 14 : *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ipse despexerit.*

« *Quia injusta.* » Ecce secundum, scilicet ratio quare sunt spernendi. Quare sic spernis discedentes ? « *Quia cogitatio eorum injusta,* » affectata, inquam, et de corde producta secundum illud Matth. xv, 19 : *De corde exeunt cogitationes malæ* : et istæ a Deo separant. Sapient. i, 3 : *Perversæ cogitationes separant a Deo.* Job, xxxv, 2 : *Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio ?* Quasi diceret : Non est ita, sed injusta est. Et Deus illam cognoscit, et talia cogitantem abjicit. Job, xlii, 2 : *Scio quoniam omnia potes, et nulla te latet cogitatio.*

119 « *Prævaricantes reputavi.* » Hic tertia pars totius octonarii. Ostenso enim quod diligat legem, comparatione ad iniquos, et rursus comparatione ad malignos, quorum primos odit, et secundos detestatur, hic subjungitur tertium de dilectione legis, comparatione ad prævaricantes quos contemnit, et legem diligit, et in illa confirmari petit. Et secundum hoc tria dicuntur. Primo, contemptus prævaricatorum. Secundo, affectus ex hoc ipso ad mandata Dei, ibi, « *Ideo dilexi.* » Tertio, petitio pro confirmatione in illo affectu et timore, ibi, ℣. 120 : « *Confige timore.* »

Dicit ergo : Sic tu sprevisti discedentes a judiciis tuis, quos ego despexi : quia « *prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ,* » supple, amatores, quia etsi omnes non habeant legem scriptam, habent tamen legem naturalem, et sic omnes sunt prævaricatores. Prævaricatio enim respicit ad legem. Isa. xxiv, 16 : *Prævaricantes prævaricati sunt, et prævaricatione transgressorum*, vel scriptæ vel naturalis legis, *prævaricati sunt,* ad minus illius duplicis : quarum pro prima est, Matth. vii, 12 : *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*[1]. Et alibi, Tob. iv, 16 : *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

« *Ideo dilexi.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic reputavi eos peccatores, et despexi eos, id est, ne similis essem illis, « *dilexi testimonia tua,* » in lege tua scripta, quia fidelia valde et honesta. Supra, in Psal. xviii, 8 : *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Supra, in Psal. cxviii, 14 : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.*

« *Confige timore tuo.* » Hic tertium, 120
in quo petit confirmari in amore illo. Et primo, petitio. Secundo, ratio petitionis, ibi, « *A judiciis.* »

Dicit ergo : Sic dilexi testimonia tua, et ideo rogo : « *Confige carnes meas,* » si opus sit in ligno crucis, et hoc « *timo-*

[1] Cf. Luc. vi, 31 : *Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.*

re tuo, » supple, casto, id est, tantum timorem castum cordi meo infunde, ut velim cum Christo crucifigi : et carnalia etiam vitia mea timore sancto suo non solum liga, imo *confige*, ut sim de illis, de quibus Paulus, ad Galat. v, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

« *A judiciis enim tuis.* » Hic est secundum. Quasi diceret : Sic peto carnes timore tuo configi : et hoc, « *enim,* » quia, « *a judiciis tuis timui,* » a futuris, inquam, judiciis, quibus ita stricte judicabis. Job, xxxi, 23 : *Quasi tumentes super me fluctus timui Deum.*

Vide ergo, quomodo in hoc octonario justus asseruit se propter legem Dei quam diligit, odire iniquos, detestari malignos, despicere prævaricantes et peccatores, et petiit timore Dei, quasi quodam clavo configi, et reprimi omnia carnalia, per quæ omnia firmus stet in lege Dei. Ergo audi justi viri firmamentum : sic enim interpretatur littera Hebræa præposita huic octonario, quæ est Samech (ס), quæ interpretatur, *audi*, vel *firmamentum.* Junge ergo, et dices : Audi firmamentum.

Ain (ע)

121. Feci judicium et justitiam, non tradas me calumniantibus me.
122. Suscipe servum tuum in bonum : non calumnientur me superbi.
123. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.
124. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et justificationes tuas doce me.
125. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.
126. Tempus faciendi, Domine : dissipaverunt legem tuam.
127. Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.
128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

Ain. (ע)

« *Feci judicium.* » Hic est secundum, in quo postquam ostendit dilectionis vehementiam ad legem Dei comparatione ad malos simpliciter, hic comparatione ad destruentes legem specialiter. Et primo, petitio auxilii contra tales. Secundo, lamentatio pro destructione legis à talibus, ibi, ỳ. 126 : « *Tempus faciendi.* » Tertio, expressio fervoris ac desiderii ad legem Dei, ibi, ỳ. 127 : « *Ideo dilexi.* »

In prima duo. Primo, petitio auxilii contra calumniantes, et intendentes destruere legem. Secundo, supplicatio pro adventu ejus, per quem erit veræ legis adimpletio, ibi, ỳ. 123 : « *Oculi mei defecerunt.* »

In prima duo, secundum duo quæ petit. Primo, ne permittat eum ab impugnante legem convinci. Secundo, quod plus est, ne permittat eum in calumniando superari, ibi, ỳ. 122 : « *Suscipe servum.* »

In prima duo. Primo, allegatio ut moveat judicem merito prudentiæ et justitiæ. Secundo, petitio, ibi, « *Ne tradas me.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, iniquos odivi, superbos contempsi, et prævaricatores legis tuæ sprevi, et etiam « *feci judicium,* » interius diligenter quid bonum est discutiendo, quod est prudentiæ : « *et* 121

justitiam, » exterius opere adimplendo quod judicatum est, quod est justitiæ. Judicium ergo primo debet fieri, Proverb. xii, 5 : *Cogitationes justorum judicia.* Et hoc placet Deo, Mich. vi, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : Utique facere judicium,* usque ad districtam considerationem factorum, et etiam fiendorum. I ad Corinth. xi, 31 : *Si nos dijudicaremus, non utique judicaremur.* « *Et justitiam,* » aliter non esset pax. Isa. xxvi, 18 : Justitiam non fecimus in terra, idcirco ceciderunt habitatores ejus. [1] Dicitur enim, Eccli. iv, 33 : *Usque ad mortem certa pro justitia.*

Et propter hoc Domine, « *non tradas me calumniantibus me,* » impiis legem impugnantibus et eam destruere volentibus. Et dicit, *Tradas,* id est, tradi permittas, sicut Apostolus, ad Roman. i, 24 : *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam : ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Et paulo post, ℣. 26 : *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Tales calumniatores sunt hæretici. Osee, xii, 7 : *Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.* Chanaan interpretatur *commutatus,* significat hæreticum de veritate fidei ad falsitatem infidelitatis conversum, in cujus manibus traduntur frequenter pauperes scientia, et divites possessione terrena. Osee, v, 11 : *Calumniam passus est Ephraim, quoniam cœpit abire post sordes.* Job, ix, 24 : *Terra,* terrena scilicet corda, *data est in manus impii.*

122 « *Suscipe servum.* » Hic secundum, in quo plus petit, ab illis scilicet non calumniari, id est, in calumniando superari : et tangit duo. Primo, sui promotionem in bono. Secundo, calumniantium evitationem, ut ab illis non superetur, ibi, « *Non calumnientur.* »

Dicit ergo : Sic non tradas me calumniantibus, imo « *suscipe servum tuum in bonum,* » sursum scilicet ad bonum eleva, et cape quem illi impellunt quantum possunt ad malum. Supra, in Psal. cxvii, 13 : *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* II Reg. xxii, 3 : *Elevator meus, et refugium meum.* Dicit *servum tuum,* non mammonæ, Matth. vi, 24 : *Non potestis Deo servire, et mammonæ.* Non culpæ, Joan. viii, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.*

« *Non calumnientur me,* » id est, calumniando superent, « *superbi,* » dæmones, hæretici, Judæi, Pharisæi. Isa. lii, 4 : *In Ægyptum descendit populus meus,* in errorem scilicet, et tenebras ignorantiæ : *et Assur,* diabolus, hæreticus, Judæus, Phærisæus, *absque ulla causa calumniatus est eum.* Et propter hoc ad Dominum clamandum. Job, xxxv, 9 : *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt,* illud scilicet Isaiæ, xxxviii, 14 : *Domine, vim patior, responde pro me.*

« *Oculi mei defecerunt.* » Hic secundum, scilicet ejus postulatio, per quem 123
fit legis declaratio et adimpletio ad evacuationem calumniarum : et dicuntur duo. Primo, tangit meritum quo vult impetrare. Secundo, petit, ibi, ℣. 124 : « *Fac cum servo.* »

Duplex allegat meritum. Primo, desiderium salvatoris. Secundo, cognitionis eloquiorum Dei, ibi, « *Et in eloquium.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, petii, et etiam « *defecerunt oculi mei,* » interiores ardenter et ferventer tendendo, « *in salutare tuum.* » Isa. xxxviii, 14 : *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum,* quando veniet Excelsus.

[1] Vul. ghabet, Isa. xxvi, 18 : *Salu tes non fecimus in terra : ideo non ceciderunt habitatores terræ.*

Et nota, sicut tangit Glossa, quod sunt oculi animæ imperfecti, qui nihil possunt intueri nisi supplicia, ut currant ad pœnitentiam. Et sunt oculi proficientes, qui contemplantur misericordiam Christi, qua conferuntur æterna, et sunt primis aliquantulum clariores. Illi oculi sinistri sunt, isti dextri. Sed sunt oculi purissimi, perfecti, qui figuntur in ipsa divinitate, vulnerantes cor sponsi. Cantic. IV, 9: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum in uno*, hoc est, in unitate *oculorum tuorum, et in uno crine colli tui*. Et rursus, ibidem, VI, 4: *Averte oculos tuos a me, quoniam ipsi avolare me fecerunt:* quo enim anima perfecta plus figere tales oculos in Deum desiderat, eo plus avolat ab ea aliquando, et magis se elongat. Sunt animæ miseræ, de quibus, Genes. III, 7: *Aperti sunt oculi amborum*.

« *Et in eloquium.* » Hic secundum. Quasi diceret: Sic præ desiderio oculi mei in salutare tuum deficiunt: « *et* » etiam « *in eloquium justitiæ tuæ,* » clarius cognoscendum. Eloquia enim justititiæ tuæ nimis alta non possum attingere sine hauritorio gratiæ, Joan. IV, 11: *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est.* Et obscura multum, Psal. XVII, 12: *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Et signata, Daniel. XII, 4: *Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum.* Isa. VIII, 16: *Liga testimonium, signa legem.* Et profunda valde, Ezechiel. XLVII, 5: *Intumuerunt aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.* Eloquia etiam justitiæ appellat ipsius Salvatoris, id est, Christi eloquia, qui est justitia. I ad Corinth. I, 30: *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.*

124 « *Fac cum servo tuo.* » Hic petit duo secundum duo quæ præmisit. Primo, adventum Salvatoris. Secundo, cognitionem veritatis, ibi, « *Et justificationes.* »

Dicit ergo: Sic desidero salutare, sic cognoscere eloquia justitiæ. Ergo, Domine, « *fac cum servo tuo.* » Quasi diceret: Veni, et mecum operare in carne. Sapient. IX, 4: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, et mecum laboret.* Baruch, III, 38: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et hoc, « *secundum misericordiam tuam,* » non secundum merita mea. Ad Tit. III, 5: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam,* etc. Vel sic: « *Fac mecum,* » libero meo arbitrio cooperante, « *secundum misericordiam tuam.* » I ad Corinth. III, 9: *Dei sumus adjutores.* Eccli. LI, 11: *Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, et operationis tuæ, quæ a sæculo sunt.*

« *Et justificationes tuas.* » Ecce secundum, in quo petit instrui in duobus. In justificationibus, ut earum virtutem attendat, et in testimoniis, ut finem et utilitatem advertat, ibi, ℣. 125: « *Servus tuus.* »

Dicit ergo: Sic fac secundum tuam misericordiam, « *et* » etiam « *justificationes tuas,* » quo modo scilicet, et per quid justificas, « *doce me.* » Tuum enim est, non alterius, cor meum ad intelligendum illas illuminare. Job, XXXVIII, 24: *Per quam viam spargitur lux?* Responsio. Per illam, quæ est vita, et veritas, quæ dicit, Joan. XIV, 6: *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Servus tuus sum ego.* » Hic secundum, in quo finis et utilitas, scilicet testimoniorum cognitio: et dicuntur tria. 125
Primo, captat benevolentiam largitoris. Secundo, supplicat, ibi, « *Da mihi intellectum.* » Tertio, finem determinat ad quem petit, ibi, « *Ut sciam.* »

Dicit ergo: Sic doce justificationes, et etiam « *servus tuus,* » non culpæ, vel creaturæ, a te etiam ut servus redemptus,

« *sum ego.* » Sapient. IX, 4 et 5 : *Noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus ego sum, et filius ancillæ tuæ.* Et hoc non est parum, Isa. XLIX, 6 : *Parum est mihi ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas?* Imo magnum, III Reg. x, 8 : *Beati servi tui.*

« *Da mihi intellectum.* » Ecce quid petit. Luc. XVIII, 41 : *Quid tibi vis faciam? Domine, ut videam.* Da mihi mel dulcedinis tuæ in summitate virgæ, rationis scilicet meæ, ut illuminentur oculi mei [1].

« *Ut sciam testimonia tua.* » Ecce ad quid hoc postulo, « *ut sciam testimonia tua,* » scilicet Scripturarum, quantum valeant, quantum utilia. Vel, « *testimonia,* » id est, martyria pro te sustentata, quia multum. Matth. x, 32 : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Et rursus, ne sit inanis confessio, Sapient. III, 5 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* II ad Corinth. IV, 17 : *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

126 « *Tempus bene faciendi.* » Hic est secunda pars totius octonarii, in qua postquam petiit auxilium contra legem impugnantes, ostendens affectum suum ad legis impletionem, et ad legis veram cognitionem, subjungit lamentationem pro destructione legis a talibus : et est indivisa pars ista.

Ait enim : Sic peto, ut sciam testimonia tua, quod est valde necessarium, quia, o Domine, ipsi « *dissipaverunt tempus,* » ipsum in peccatis et in transgressionibus expendendo, tempus, inquam, « *bene faciendi,* » legem tuam, non tantum discendi ipsam, quale fuit tempus veteris legis, in quo prænuntiabatur tantum futura nova lex a Prophetis. Eccle. III, 7 : *Tempus tacendi, et tempus loquendi,* et magis opere adimplendi. Hoc est enim tempus adimpletionis, et plenitudinis, de quo Apostolus, ad Galat. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Et propter hoc tempus salutis : non enim discere legem, salutem operatur, sed adimplere. II ad Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Sed hoc tempus dissipaverunt pessimi Judæi, id est, legem in hoc tempore observandam, et mali Christiani, instante Anti-Christo, ut impleatur in illis illud Isaiæ, XXIV, 5 : *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* Zachar. VII, 12 : *Posuerunt cor suum ut adamantem, ne audirent legem.*

« *Ideo dilexi.* » Hic est tertia pars totius octonarii, in qua monstratur vehementia dilectionis, et fervor affectus sui ad mandata Dei. Sed quia dilectio probatur per opera, primo monstratur affectus. Secundo, effectus, ibi, ℣. 128 : « *Propterea ad omnia.* » 127

Dicit ergo : Sic illi dissipant, et quanto plus illi dissipant, tanto plus ardeo, et diligo : unde « *ideo,* » quia scilicet dissipant, « *dilexi mandata tua,* » in lege scripta, quod est utile, quia, Joan. XIV, 21 : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.*

Dilexi ergo, et hoc, « *super aurum et topazion.* » Supra, in Psal. XVIII, 11 : *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* Ergo non diligit illa more Judaico, qui tantum diligunt illa propter terrena commoda, et iste super omnia, quia super aurum, et lapidem pretiosissimum, qui vocatur *topazius.* Proverb. III, 14 : *Melior est acquisitio ejus,* legis scilicet divinæ, *negotiatione argenti et auri primi.* Et, III, 15 : *Pre-*

[1] Cf. I Reg. XIV, 27.

tiosior est, sapientia scilicet, *cunctis opibus*. Sapient. VII, 9: *Nec comparavi illi lapidem pretiosum*. Et, Job, XXVIII, 16: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro*. Hic est lapis, de quo, Exod. XXVIII, 17, in descriptione rationalis: *In primo versu erit lapis sardius, et topazius, et smaragdus*. Et, Ezechiel. XXVIII, 13: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, et jaspis*. Et, Apocal. XXI, 20, dicitur *nonus* in fundamento civitatis novæ [1]. Hic autem lapis, sic vocatur a quadam insula sic dicta, in qua invenitur: unde Poeta:

Nominis ejusdem topazion insula gignit.

Topazii proprietates. Et habet virtutes mirabiles. Hæmorroidas sanat, et luna mutata, mutatur, et undas maris, sicut dicunt, compescit: unde Poeta,

Fertur hemorroidis idem lapis auxiliari:
Quodque magis mirum, lunam sentire videtur:
Ferventes etiam compescere dicitur undas.

128 « *Propterea ad omnia*. » Hic secundum, in quo monstrat dilectionem suam in effectu. Et primo, quantum ad exitum in operationem bonam. Secundo, quantum ad mali generalem detestationem, ibi, « *Omnem viam*. »

Dicit ergo: Sic dilexi super omnes divitias, mandata tua in affectu, et etiam « *propterea*, » quia tantum dilexi corde, « *ad omnia*, » non ad quædam tantum, quod nullo modo poterat vetus lex, « *mandata tua dirigebar*, » illa recta intentione faciendo, quod sequitur ex dilectione. Cantic. I, 3: *Recti diligunt te*. Proverb. IV, 26: *Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur*. Josue, I, 7: *Esto robustus valde, ut custodias, et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses*. Jacob. II, 10: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*.

Ad omnia ergo facienda dirigebar, et « *odio habui omnem viam iniquam*. » Supra, in eodem, ℣. 113: *Iniquos odio habui*, Et infra, ℣. 163: *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum*. Non sum de illis qui credunt se simul malum et bonum posse diligere, ex utraque parte inclinati, quibus dicitur, III Reg. XVIII, 21: *Usquequo claudicatis in duas partes?* Ad Roman. XII, 9: *Odientes malum, adhærentes bono*.

Vides ergo quomodo petiit adjuvari contra veritatem doctrinæ impugnantes, quomodo prælegit omnibus divitiis cognitionem legis, et odio habens malum, ad bonum totum cor dirigit: unde bene præponitur littera Hebraica AIN (ע), quod interpretatur *oculus*, vel *fons*. Quasi diceret: Hic qui hic loquitur, quid necessarium sit et bonum, et inter bona etiam, quid melius, fontali oculo intuetur.

PHE (פ)

129. Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.

130. Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.

131. Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.

132. Adspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomem tuum.

[1] Apoc. XXI, 19 et 20: *Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum... nonum, topazius.*

133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.

134. Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.

135. Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.

136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

PHE (פ)

Tertia pars Psalmi. De meritis perfectorum.

« *Mirabilia testimonia tua.* » Sicut a principio totius hujus Psalmi dictum fuit, cum actum sit in prima parte de merito incipientium, postmodum proficientium, hic tertio agitur de merito perfectorum.

Sunt autem tria genera perfectionis. Est perfectio Prælatorum, et est perfectio laborantium in activa, et perfectio quiescentium in contemplativa, et Deo vacantium. Agitur ergo primo de merito perfectorum in statu prælationis. Secundo, in statu actionis. Tertio in statu contemplationis. Secundnm ibi, ℣. 145 : « *Clamavi in toto corde meo.* » Tertium vero ibi, ℣. 161 : « *Principes persecuti sunt me gratis.* »

In prima duo, secundum duo quæ requiruntur ad perfectionem Prælati. Primo, quod sit perfectus in seipso absolute. Secundo, quod relatione ad alios, quos habet regere de quo, ibi, ℣. 137 : « *Justus es, Domine.* »

In se autem debet perfici in duobus. In diligenti inquisitione mirabilium Dei, ut instruatur in scientia. In ferventi supplicatione, et humili oratione ad Deum, ut perficiatur in vita. Primo ergo loquens in persona justi in statu prælationis absolute, et in se perfecti, confitetur se Dei voluntatem inquisiisse. Secundo, ardenter orasse, ibi, ℣. 131 : « *Os meum aperui.* »

In prima tria. Primo, necessitas inquirendi monstratur, ibi « *Mirabilia.* » Secundo, infertur inquisitio, ibi, « *Ideo scrutata est.* » Tertio, fructus et utilitas sequens ex inquisitione, ibi, ℣. 130 : « *Declaratio sermonum.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, legem tuam 129
impugnant, et dissipant, sed non omnino desperandum, ut totum propter hoc abjicias, nam « *mirabilia* » sunt « *testimonia tua,* » antiquis patribus mirabiliter, et tam misericorditer facta, de quibus, Job, v, 9 : *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero.* Item, creaturæ omnes, quæ attestantur tuæ potentiæ, et tuæ sapientiæ, et tuæ bonitati, de quibus, Joan. v, 36 : *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Item, præcepta, quæ vere attestantur bonitati, de quibus, Job, xxxvii, 14 : *Sta,* cessando a peccato, *et considera mirabilia Dei,* præcepta. Omnia autem hæc sunt nobis mirabilia, Domine, non tibi. Eccli. xxxix, 25 : *Nihil est mirabile in conspectu ejus.*

« *Ideo.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic sunt mirabilia, et antiquis Patribus facta, et opera, et præcepta, et quia mirabilia, inquisitione indigent, et « *ideo scrutata est ea anima mea,* » non divinitatis secreta, quia, Proverb. xxv, 27, dicitur : *Scrutator majestatis opprimetur a gloria.* Sed Scripturæ continentes et mirabilia Patribus facta, et tua præcepta, hæ scrutandæ. Et creaturæ diligenter inspiciendæ, quia per eas ad cognitionem divinitatis venitur. Sapient. xiii, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Ad Roman. i, 20 : *Invisibilia ipsius,* scilicet Dei, *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta,*

conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas. Quod autem dicit *anima*, notat diligentiam in scrutando.

130 « *Declaratio sermonum.* » Hic tertium, in quo subjungit suæ inquisitionis fructum. Primo, quantum ad se singulariter. Secundo, quantum ad alios qui præparati sunt generaliter, ibi, « *Et intellectum.* »

Ait enim : Sic anima mea scrutata est, hoc inveniens, quod « *declaratio,* » manifesta scilicet, « *sermonum,* » ante inquisitionem occultorum, « *illuminat* » ipsam : quippe, Proverb. vi, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Et supra, in eodem Psalmo cxviii, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen,* etc. Declarantur autem occulta Scripturarum : primo, per inquisitionem diligentem : postea, per publicationem, et per adimpletionem sicut in figuratis : tertio, per promissorum solutionem, in promissionibus, et commonitionibus.

« *Et intellectum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic illuminat animam meam scrutantem, et etiam « *dat parvutis,* » humilibus scilicet, qui malitia parvuli sunt, secundum illud Apostoli, I ad Corinth. xiv, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* « *Intellectum.* » Matth. xi, 25 : *Confiteor tibi, Pater,... quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Marc. x, 14 : *Sinite parvulos venire ad me.* Proverb. viii, 5 : *Intelligite, parvuli, astutiam, et, insipientes, animadvertite.*

131 « *Os meum aperui.* » Hic secundum, in quo postquam confessus est se inquisivisse diligenter, confitetur se orasse ferventer : et dicuntur quinque. Primo, orationis fervor. Secundo, utilitas inde consecuta, ibi, « *Et attraxi spiritum.* » Tertio, fervoris causa, ibi, « *Quia mandata.* » Quarto, materia, scilicet quid oravit tam ferventer, ibi, ỳ. 132 : « *Adspice in me.* » Quinto et ultimo, ostendit in oratione sua devotionis et ardoris vehementiam, ibi, ỳ. 136 : « *Exitus aquarum.* »

Dicit ergo : Sic diligenter mandata Dei scrutatus sum, et etiam « *aperui os meum,* » litterale, scilicet corporis, quod aperitur bene in confessione. Ad Roman. x, 10 : *Ore confessio fit ad salutem.* Et in Dei laude : unde, in Psal. l, 17, supra : *Domine*, inquit, *labia mea aperies.* Et quid? « *Et os meum annuntiabit laudem tuam.* » In prædicatione et instructione aliorum. Eccli. xv, 15 : *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus.* Isa. xv, 14 : *Non fuit qui aperiret os, et ganniret.* Et in investigatione veritatis, per discussionem cum sapientiori. Ezechiel. iii, 2 : *Aperuit os meum, et cibavit me volumine illo.* Et in oratione ad litteram, sicut hic dicitur, et alibi, in Psal. lxxx, 11 : *Dilata os tuum,* in devota oratione, *et implebo illud.*

« *Et attraxi spiritum,* » id est, Spiritus sancti gratiam, ad bene operandum. Job, xxxiv, 14 : *Si direxerit ad eum,* scilicet Deum, *cor suum,* supple, in oratione, *spiritum illius et flatum,* scilicet fidei, *ad se trahet.*

Et hoc totum feci, « *quia mandata tua desiderabam :* » desiderium enim mandatorum cognoscendorum et implendorum urgebat me sic os aperire. Sapient. vii, 7 : *Optavi, et datus est mihi sensus : invocavi, et datus est mihi spiritus sapientiæ.* Eccli. vi, 37 : *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei,... et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.* Luc. xi, 9 : *Petite, et dabitur vobis,* etc. mandatorum Dei intelligentia, dum tamen quæsieritis per diligentiam, et pulsaveritis per instantiam [1].

[1] Cf. etiam Matth. vii, 7 et xxi, 22; Marc. xi, 24; Joan. xiv, 13; Jacob. i, 5.

132 « *Adspice in me.* » Hic quartum, in quo determinat quid oraverit, quia gratiam ad sex. Primo, ad remittendum culpam. Secundo, ad dirigendum in operationem bonam, ibi, ℣. 133 : « *Gressus meos.* » Tertio, ad protegendum in tentationibus bona facientem, ibi, « *Et non dominetur.* » Quarto, ad liberandum in tribulationibus tentationes superantem, ibi, ℣. 134 : « *Redime me.* » Quinto, ad revelandam veritatem in Scripturis occultatam, ibi, ℣. 135 : « *Faciem tuam.* » Sexto et ultimo, ad intelligendum veritatem revelatam, ibi, « *Et doce me.* »

In prima duo. Primo, petit misericordiæ gratiam peccata dimittentem. Secundo, ostendit dimittendi mensuram, ibi, « *Secundum judicium.* »

Dicit ergo : Sic dico quod rogavi, et in rogando spiritum attraxi, et ad hoc motus fui propter mandatorum Dei dilectionem : et hoc est quod oravi, O Domine, « *adspice in me,* » illo respectu quo respicis humiles, et contritos. Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?* Et, Sapient. IV, 15 : *Et respectus in electos illius.* Jerem. XXIV, 6 : *Ponam oculos meos super eos ad placandum, et reducam eos in terram hanc.* Gratiam peccata remittentem infundendo, Eccli. XXXVI, 1 : *Miserere mei, Deus omnium, et respice nos.*

« *Secundum judicium.* » Hic secundum, in quo quasi determinat misericordiæ mensuram.

Quasi diceret : Sic respice, et misericordiam fac, et hoc « *secundum judicium diligentium nomen tuum,* » id est, in diligentibus non tantum te, sed etiam ipsum « *nomen tuum* » sanctum, quos prius dilexisti misericordiam præstando, quam ipsi te. I Joan. IV, 10 : *In hoc est charitas,* Dei, scilicet, *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Et infra, ℣. 19 : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Vel sic : « *Miserere mei :* » nec rogo omnino me a pœna absolvi, sed miserearis tantum « *secundum judicium* » afflictionis « *diligentium nomen tuum,* » ut me affligas secundum illos, non sicut damnatos : tales enim diligis. Proverb. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo :* et propter hoc corripis. Apocal. III, 19 : *Ego quos amo, arguo et castigo.* Ad Hebr. XII, 6 : *Quem enim diligit Dominus, castigat, et flagellat omnem filium quem recipit.*

« *Gressus meos.* » Ecce secundum. 133
Quasi diceret : Sic da misericordiam culpam remittentem : et etiam « *dirige gressus meos* » in bonam operationem. *Gressus* dicit animæ affectus, qui tunc a Deo directi sunt, cum in bonum opus prodeunt, quod solius est Dei. Jerem. X, 23 : *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est ut ambulet in ea, et dirigat gressus suos.* Quasi diceret : Imo tui. Proverb. XVI, 9 : *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Quos Deus sic dirigit, pulchros et fortes reddit. Fortes, quia, Luc. X, 19, dicitur : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones :* quippe quia calceat talium gressus ferro patientiæ, et ære munditiæ. Æs enim est imputribile. Deuter. XXXIII, 25 : *Ferrum et æs calceamentum ejus.* Et pulchros reddit, quia, Cantic. VII, 1, dicitur : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis,* Et dirige gressus sic paratos, « *secundum eloquium tuum,* » sicut promittis, perducendo ad lumen vitæ.

« *Et non dominetur mei.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic da gratiam culpam remittentem, da gressus dirigentem : « *et* » per gratiam tuam. « *non dominetur mei omnis injustitia,* » etsi aliqualiter tentando pulset, non tamen dominetur dejiciendo : si enim dejicit, dominatur. Joan. VIII, 34 : *Qui facit pecca-*

tum, servus est peccati. II Petr. II, 19 : *A quo quis superatus est, hujus et servus est.* Et propter hoc monet Paulus, ad Roman. VI, 19 : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Genes. IV, 7 : *Sub te erit appetitus ejus,* peccati scilicet, et culpæ. Nec hoc dicitur propter hoc, quod homo per se possit dominium ejus evitare. Ad quid enim ad hoc peteret gratiam, si sine gratia istud posset ? sed ob hoc dicitur, quia si vult, potest ad gratiam manum mittere, et recurrere ad ipsam, sicut facit iste. Si autem non dominatur injustitia, munda reputatur anima. Supra, in Psal. XVIII, 14 : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.*

134 « *Redime me.* » Hic quartum, in quo petit gratiam in tribulationibus persecutionum liberantem. Et primo, petitio. Secundo, petitionis finis et ratio ut moveat judicem, ibi, « *Ut custodiam.* »

Ait enim : Sic petii gratiam liberantem a culpa, dirigentem in bona, in tentationibus conservantem, et etiam oravi hoc, o Domine, « *Redime me a calumniis hominum,* » impugnantium me : hoc enim frequenter bonos impedit. Ezech. XXII, 29 : *Populi terræ calumniabantur calumniam.* Sed quos calumniabantur ? Bonos, qui hic reputant sed advenas et peregrinos. In eodem Ezechiele, ibidem, *Advenam opprimebant calumnia absque judicio.* Et talis calumnia frequenter terret, et impedit bonos. Eccli. XXVI, 5 et seq. : *A tribus timuit cor meum, et in quarto facies mea metuit : Delaturam civitatis, et collectionem populi, calumniam mendacem,* etc.

« *Ut custodiam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Peto a calumnia redimi, et hoc, « *ut custodiam,* » id est, custodire valeam, « *mandata tua :* » quia Proverb. XIX, 16 : *Qui custodit mandatum, custodit animam suam.*

« *Faciem tuam.* » Hic est quintum, in quo petit gratiam ad revelandum velata in Scriptura. 135

Ait enim : Sic da gratiam culpam removentem, in bonum dirigentem, a tentationibus liberantem, et a calumniis redimentem : et etiam hoc : « *Illumina faciem tuam,* » id est, aperte ostende veritatem tuam, quæ in Scripturis antiquis est velata, per quam tamquam per faciem cognosceris : et hoc non super me servum tuum saltem. Hæc facies velata fuit Judæis, sicut significatum fuit, Exod. XXXIV, 33 et seq., in velamine, quod erat super faciem Moysi. In velo etiam, quod dependebat ante faciem tabernaculi Domini [1]. Et est adhuc, sicut dicit Paulus, super corda Judæorum. II ad Corinth. III, 15 : *Adhuc velamen positum est super cor eorum.* Sed in servis Domini est revelata, et illuminante gratia monstratur, sicut dicitur, II ad Corinth. IV, 6 : *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Jesu Christi.*

Vel, *faciem* appellat imaginem Dei in anima sua, quæ dicitur *facies Dei,* quia per ipsam ascendit anima ad cognitionem Dei. « *Faciem* » ergo « *tuam,* » id est, a te mihi datam, et per quam ascendo ad tui cognitionem, « *super servum tuum,* » in sublime animæ servi tui sitam, « *illumina,* » luce tuæ bonitatis, super illam irradies, qui es sol intelligentiæ. Sapient. V, 6 : *Justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis,* ut totum illustret, intellectum scilicet et affectum. Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Vel, *faciem* appellat Filium, quem petit manifeste apparere. Supra, in Psal. LXXIX, 4 : *Ostende,*

[1] Cf. Exod. XXVI, 31.

scilicet nobis, Domine, *faciem tuam, et salvi erimus.*

« *Et doce me,* » qui solus potes, « *justificationes tuas,* » in figuris velatas et absconditas. Joel, II, 23 : *Dedit vobis Doctorem justitiæ.*

136 « *Exitus aquarum.* » Hic quintum et ultimum secundæ partis octonarii, in quo ostendit fervoris et devotionis in oratione vehementiam, per lacrymarum quas dicit se effudisse abundantiam : unde duo tanguntur. Primo, lacrymarum effusio in abundantia. Secundo, causa effusionis illarum, ibi, « *Quia non custodierunt.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod ferventer oravi, et ex hoc gratiam merui. Et quid movit ad orandum, tetigi : et quid etiam oravi : et fuit orationis fervor vehemens, quia « *oculi mei deduxerunt,* » in diversas partes, et deorsum duxerunt, « *exitus aquarum.* » Jeremias, IX, 1, talem abundantiam desiderabat cum dicebat : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ?* Et invitabat seipsum ad hoc, IV, 17 : *Deducant oculi mei lacrymas per noctem.* Et, in Thren. I, 16 : *Ego plorans, et oculus meus deducens aquas.* Non dicit hic *oculi*, forte jam unum amiserat in plorando : et alios ad hoc invitat, Thren. II, 18 : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

Propter quid flendum? « *Quia non custodierunt.* » Ecce ratio et causa fletus tanti, una scilicet, quia mandata Dei non custodierunt. Pro mandati ergo divini transgressione primo flendum est abundanter. Mich. I, 8 : *Faciam planctum velut draconum*, qui divicti ab elephante, sibilant fortiter et plangunt : *et luctum quasi struthionum*, quæ dicuntur plorare fortiter ovis conculcatis. Item, pro vitæ sterilitate, cum homo videt se nihil boni facere. Hic est fletus Annæ, I Reg. I, 10 : *Cum esset Anna amaro animo*, scilicet pro sterilitate sua, *oravit ad Dominum, flens largiter*. Judicum, XI, 37 : *Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Item, pro diminutione pœnitentiæ, quia peracta non est. Sic Ezechias, IV Reg. XX, 2 et Isa. XXXVIII, 3, conversus ad parietem, *flevit fletu magno.* Pro impetranda eruditione, Genes. XXI, 15 et seq. : *Cum consumpta esset aqua in utre*, doctrina in mente, qua pueri sunt mbuendi, Agar *levavit vocem et flevit : et exaudivit Deus vocem pueri.* Pro impetranda patris benedictione, Genes. XXVII, 38 et 39 : *Cumque ejulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum*, etc. Pro prægustanda spirituali dulcedine, Genes. XXVII, 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, nisi internam dulcedinem sentire feceris : et hoc dicebat cum fletu, Osee, XII, 4 : *Flevit, et rogavit eum : in Bethel invenit eum.* Pro lætitia et exsultatione cognitionis divinæ, quando aliquantulum irradiat in contemplatione, Genes. XLV, 1 : *Præcepit ut... nullus interesset alienus agnitioni mutuæ : elevavitque vocem cum fletu.* Item, pro patris et propinquorum spirituali morte, Genes. L, 1 : *Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens, et deosculans eum.*

Hic etiam secundum hoc plorat et eadem de causa, ut sit sensus : « *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt,* » calumniantes, et mali a quibus liberari petii, « *legem tuam.* » Et huic sensui concordat littera præposita octonario, scilicet PHE (פ), quod interpretatur *erravit.* Ac si diceret : Ponderet aliquis cur plorat iste populum legem non custodientem. Ecce erravit : et deplorat illius errorem, quamvis ad seipsum referri possit. Ac si dicat : Ecce hic scrutatus est mandata Dei, et oravit cum tanta lacrymarum abundantia. Cur hoc ? Ecce Phe, hoc est, erravit, et errorem suum lamentis correxit.

Sade (צ)

137. Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.
138. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam nimis.
139. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.
140. Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud.
141. Adolescentulus sum ego et contemptus : justificationes tuas non sum oblitus.
142. Justitia tua, justitia in æternum, et lex tua veritas.
143. Tribulatio et angustia invenerunt me : mandata tua meditatio mea est.
144. Æquitas testimonia tua in æternum : intellectum da mihi, et vitam.

SADE (צ).

« *Justus es, Domine.* » Actum est in parte præcedenti de Prælati perfectione in se, hic comparatione ad alios, ad quod concurrunt quinque. Primo, sui accusatio coram Deo, vel melius recognitio divinæ justitiæ. Secundo, fervens zelus, et dilectio delinquentium, ibi, ℣. 139 : « *Tabescere me fecit.* » Tertio, humilitas et sui defectus, et recognitio et confessio, ibi, ℣. 141 : « *Adolescentulus.* » Quarto, perseverantia in bono, in tribulatione et angustia, ibi, ℣. 143 : « *Tribulatio et angustia.* » Quinto, æquitas in judicando, ut non sit acceptio personarum in judicio, ibi, ℣. 144 : *Æquitas testimonia.* »

In prima duo. Primo, quasi accusando se confitetetur Deum esse justum, etiam cum affligit illum. Secundo, probatur quod vere sit justus, ibi, « *Et rectum judicium.* »

Dicit ergo : Sic, Domine ,ploro abun- **137**
danter, quia non custodierunt, vel inimici mei, vel ipsi oculi mei, legem tuam : et non est mirum, quia, o « *Domine, justus es,* » testimonio. Jerem. XII, 1 : *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum. Justus* in corde, quia justitiam diligis. Supra, in Psal. X, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit. Justus* in ore, quia justitiam loqueris. Isa. LXIII, 1 : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Justus* in opere, quia justa semper et juste facis. Psal. CXLIV, 13 : *Justus Dominus in omnibus viis suis.* Tu es ergo justus ille, de quo, Isa. LVII, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.* Et recte vocatus *justus.* Jerem. XXIII, 6 : *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Proverb. XII, 26 : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.* Ipse vero non tantum propter amicum, sed propter inimicum etiam.

« *Et rectum judicium.* » Hic secundum, in quo probat veraciter justum, per tria quæ veraciter justum probant et ostendunt. Primum est interior discretio in discernendo merita. Secundum, voluntatis suæ et rectitudinis publicatio ne quem excuset ignorantia, ibi, ℣. 138 : « *Mandasti justitiam.* » Tertium, pœnæ promulgatio si non fecerit quod rectum est, et præmii si fiat, ibi, « *Et veritatem tuam.* »

« Dicit ergo : Sic dico quod justus es, et vere, quia « *et judicium tuum,* » quo interius discernis quid agendum, est

« *rectum.* » Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est : si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere.* Quasi diceret : Tanta est rectitudo, quod nullus poterit negare quin bene sit judicatum. Sapient. V, 19 : *Induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum*, et rectum, in me affligendo. Daniel. III, 27 et 28 : *Viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera. Judicia enim vera fecisti juxta omnia quæ induxisti super nos.*

138 « *Mandasti justitiam.* » Hic secundum. Quasi diceret : Discrete, et recte judicas, et etiam tu « *mandasti,* » ut omnes scirent, « *justitiam tuam,* » conservari : quæ, inquam justitia est « *testimonia tua :* » ipsa enim justitia cum mandatur et publicatur, testis est justitiæ mandantis, qui vult subditos præmunire. Proverb. XII, 17 : *Qui quod novit loquitur, index justitiæ est :* qui quod novit faciendum loquitur, mandando ut fiat, index justitiæ est, quæ in seipso est. Justitiam autem mandasti omnibus, et præcipue judicibus. Sapient. I, 1 : *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Et mandasti ipsam justitiam « *nimis,* » id est, multum : quia per multos, et multo tempore eam fecisti prædicari et publicari. « *Et veritatem tuam,* » similiter mandasti, qua reddis unicuique ut meretur. Ad Roman. II, 2 : *Scimus quoniam judicium Dei*, id est, retributio, *est secundum veritatem in eos qui talia agunt.* Veritatem etiam judicibus mandat observandam. Zachar. VIII, 16 : *Veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris*, sicut et ego. Apocal. XV, 3 : *Justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.* Psal. XCV, 13 : *Judicabit orbem terrarum in æquitate, et populos in veritate sua.*

« *Tabescere me fecit.* » Hic secundum, 139
in quo postquam præcessit sui accusatio, et commendatio divinæ justitiæ, subjungit de zelo. Loquens ergo in persona perfecti Prælati, confitetur zeli vehementiam. Secundo, assignat tanti zeli causam, ibi, » *Quia obliti sunt.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, justus es, et propter hoc quia sic mandasti justitiam, « *zelus meus,* » vel « tuus, » secundum aliam litteram, id est, « *zelus meus,* » quia in te est, « *tuus,* » quia a te mihi datus, vehemens scilicet charitas, « *fecit me tabescere.* » Tabescere enim facit infirmitas et pœna, Psal. XXXVIII, 12 : *Tabescere fecisti sicut araneam*, etc. Et invidia, Sapient. VI, 25 : *Neque cum invidia tabescente iter habebo.* Et passionis Christi memoria, Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ*, etc. Et, paulo post, ỳ. 20: *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Et iracundia, Psal. CXI, 10 : *Peccator videbit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet.* Et dilectionis vehementia, sicut hic dicitur. In Psal. CXVIII, 158, infra : *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* Et, Psal. LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me* [1], quod est plus etiam, quam tabescere, quia totum me consumpsit.

« *Quia obliti sunt.* » Hic secundum, Triplex causa zeli.
in quo subjungit causam tanti zeli triplicem, inimicorum transgressionem : eloquii divini fervorem, ibi, ỳ. 140 : « *Ignitum eloquium.* » Et ferventis eloquii dilectionem, ibi, « *Et servus tuus.* »

Dicit ergo : Sic me fecit zelus meus tabescere : et hoc, « *quia inimici mei,* » eo ipso, « *obliti verba tua.* » III Reg. XIX, 10 : *Zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum filii Israel.* Et est virtus multum placens Deo, Numer. XXV, 13 : *Erit tam ipsi quam semini ejus pactum Domini sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo.* Dum tamen sit secundum scientiam, non

[1] Cf. Joan. II, 17.

qualis est Judæorum, Ad Roman. x, 2 : *Testimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Et sit sine amaritudine, Jacob. III, 14 : *Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris,* etc.

140 « *Ignitum eloquium.* » Hic secundum. Quasi diceret : Zelum habui, quia inimici ad modum obliviosorum tua verba habent, sed etiam quia « *eloquium tuum,* » a te in lege datum, et per Prophetas probatum, est « *ignitum :* » et hoc, « *vehementer.* » Proverb. xxx, 5 : *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Eccli. XLVIII, 1 : *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verba ejus ardebant quasi facula.* Hunc ardorem sentiebat, qui dicebat, Jerem. xx, 9 : *Factus est,* scilicet sermo Domini, *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens.* Et, XXIII, 29, dicit ipse Dominus : *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et quasi malleus conterens petram ?* Et vere ignis, quia illuminat. Supra, in Psal. XVIII, 9 : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Supra, in eodem Psal. CXVIII, 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Et rursus, Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Accendit et inflammat sicut ignis, Jerem. v, 14 : *Ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna.* Liquefacit dura, Cantic. v, 6 : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est,* dilectus scilicet. Job, XXVIII, 2 : *Lapis solutus calore in æs vertitur.* Aridis nutritur, et unctuosis, operibus scilicet pœnitentiæ asperis, et operibus misericordiæ et devotionis : sed humidis exstinguitur, sicut aquosis, scilicet luxuriæ operibus. Supra, in eodem Psalmo CXVIII, 104 : *A mandatis tuis intellexi.* Et supra, in alio, scilicet in Psal. cx, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Cinerem generat, et relinquit, scilicet humilitatem et mortis memoriam. Genes. III, 19 : *Memento quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Eccli. x, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?*

Cur eloquium Domini dicitur ignitum?

« *Et servus tuus.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic ignitum eloquium tuum, et inflammat cor, « *et servus tuus,* » ego scilicet, « *dilexit illud.* » Supra, in eodem Psalmo CXVIII, 127 : *Dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Et ibidem de hoc satis.

« *Adolescentulus sum.* » Hic subjungitur conditio tertia, scilicet vera humilitas, quæ est in confessione sui defectus aperta : et dicuntur tria. Primo, defectus proprii confessio. Secundo, ne credatur vitiosus et culpabilis, nihilominus legis Dei observatio, ibi, « *Justificationes.* » Tertio, causa et ratio quare proprium sic confitetur defectum, et conservat in corde divinum præceptum, ibi, ℣. 142 : « *Justitia tua.* » 141

Dicit ergo : Sic zelo tabesco, et parum proficio propter defectum ex parte mea, quia « *adolescentulus sum ego,* » quantum ad defectum in scientia. Job, XII, 12 : *In antiquis est sapientia :* et propter hoc cum non sim antiquus, minus audeo loqui. Eccli. XXXII, 10, dicitur : *Adolescens, loquere in causa tua vix,* scilicet cum necesse fuerit. Sic et Jeremias qui dicebat, I, 6 : *A, a, a, Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum,* et contemptus in vita : non enim mea simplicitas aliquid reputatur a superstitiosis hominibus, et superbis. Job, XII, 4 : *Deridetur justi simplicitas.* Lampas contempta apud cogitationes divitum, sed non apud Deum, qui frequenter tales eligit. I ad Corinth. I, 28 : *Ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus.* Et Joseph elegit, qui erat minor, et contemptibilis inter fratres [1].

[1] Cf. Genes. XXXVII et seq.

Sic David [1], et Daniel. XIII, 45 : *Suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris.*

Et tamen « *justificationes tuas,* » quantumcumque contemnat, « *non sum oblitus.* » Supra, in eodem Psalmo CXVIII, 93 : *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.* Non debet contemni adolescentia, quæ Dei justificationes non obliviscitur. I ad Timoth. IV, 12 : *Nemo adolescentiam tuam contemnat,* dicitur Timotheo in Dei justificationibus erudito.

142 « *Justitia tua.* » Hic tertium, in quo subjungitur causa et ratio quare vult contemni, et quare justificationes non obliviscitur : et tangitur duplex. Primo, præmii æternitas. Secundo, promissionis veritas, ibi, « *Et lex tua.* »

Ait ergo : Sic contemnor, nec curo, sed adhæreo justificationibus, quia « *justitia tua,* » qua reddis unicuique juxta merita, supple, est « *justitia in æternum,* » æterna scilicet, et promittens æterna bona bonis, vel æterna supplicia malis. Sapient. I, 15 : *Justitia perpetua est et immortalis.* Daniel. IX, 24 : *Donec deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna.*

« *Et lex tua,* » quæ nos docet ista, « *veritas.* » Malach. II, 6 : *Lex veritatis fuit in ore ejus,* scilicet Levi, de cujus stirpe Moyses legislator fuit. Et nova veritas, Joan. XVII, 17 : *Sermo tuus veritas est.* Propter hoc qui veritatis sunt amatores, audiunt vocem, et legem Dei. Joan. XVIII, 37 : *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.*

143 « *Tribulatio et angustia.* » Hic quartum, in quo tangitur perseverantia in bono, in tribulatione et miseria. Duo ergo dicuntur. Primo, miseriarum multiplicatio, et intra et extra. Secundo, in bono constantia cum additur, « *Mandata tua.* »

Dicit ergo : Sic ignorans et contemptus sum, et tamen constans, quia « *tribulatio,* » exterior, « *et angustia,* » interior cordis, « *invenerunt me* » paratum illas sustinere gratanter et lætanter. Scio enim illud Apostoli, II ad Timoth. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Act. XIV, 21 : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Unde gaudeo cum in portu me sentio. Propter quod dicitur, Job, VI, 10 : *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me, dolori non parcat.*

« *Mandata tua.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic invenerunt me mala multa : et tamen « *meditatio mea est* » ipsa « *mandata tua* » de dilectione semper habenda in te, et in proximo. Ad Roman. VIII, 35 : *Quis separabit nos a charitate Christi? tribulatio?* etc. Josue, I, 8 : *Non recedat volumen legis ab ore tuo.* De ore, inquam, cordis : necesse est quod aliquando de ore corporis. Cantic. VIII, 7 : *Aquæ multæ,* tribulationum et angustiarum, *non potuerunt exstinguere charitatem.*

« *Æquitas testimonia tua?* » Hic quarta conditio : quantumcumque enim accusator sui sit, quantumcumque zelator, quantumcumque humilis et constans Prælatus, tamen non valet ad regendum, si non sit in eo æquitas, ut non sit omnino acceptio personarum apud Deum : et dicuntur tria. Primo, confitetur beneficio legis se habere æquitatem. Secundo, petit legis intelligentiam, ibi, « *Intellectum da mihi.* » Tertio, conseqeuntem inde tangit utilitatem, ibi, « *Et vivam.* » 144

Ait ergo : Sic in tribulatione constans sum, et persevero : et etiam « *testimonia*

[1] I Reg. XVII, 14.

tua, » Scripturarum scilicet dicta, vel ipsa martyria, quæ video sanctos fuisse passos, sunt mihi « *æquitas,* » hoc est, æquitatis causa. Levit. xxiv, 22 : *Æquum judicium sit inter vos,* scilicet ut nullo modo personas accipiatis. Deuter. xvi, 19 : *Non accipies personam, nec munera.* « *Testimonia,* » inquam, « *tua in æternum* » mansura, quantum ad legem, in æternum regnum ducentia, quantum ad martyria.

« *Intellectum da mihi,* » et legis, et utilitatis martyriorum. II Paral. i, 10 : *Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo.* Aliter non possum bene in regimine populi ministrare. Proverb. i, 5 : *Intelligens gubernacula possidebit.* Et, xiv, 35 : *Acceptus est regi minister intelligens.* « *Et* » sic « *vivam,* » vita gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro.

Vide ergo quomodo hic sui accusator, et zelator fortissimus, et constans in tribulatione et dejectione, maneat semper in æquitate, et tamquam consolatus petat intelligentiam semper ampliorem, ut sic assequatur vitam : unde non cadit per desperationem, quamvis tabescat propter malos, sed consolatur magis propter divinam justitiam, et divinæ legis veritatem. Unde hic præponitur littera sade (צ), quod interpretatur *consolatio.*

Coph (ק)

145. Clamavi in toto corde meo : exaudi me, Domine : justificationes tuas requiram.

146. Clamavi ad te : salvum me fac, ut custodiam mandata tua.

147. Præveni in maturitate, et clamavi, quia in verba tua supersperavi.

148. Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.

149. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam, Domine, et secundum judicium tuum vivifica me.

150. Appropinquaverunt persequentes me iniquitati, a lege autem tua longe facti sunt.

151. Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas.

152. Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.

coph (ק)

« *Clamavi in toto.* » Sicut superius dictum fuit in « *Mirabilia testimonia,* » etc [1].

Postquam actum est de merito perfectorum in statu perfectionis proprie, hic subjungitur de merito perfectorum quoad statum actionis, qui sive in prosperitate sint, sive in adversitate, tamen cor habent semper ad legem Dei, et mandata ipsius adimplenda. Primo ergo tangitur meritum ipsorum in statu prosperitatis. Secundo, adversitatis in sequenti octonario, ibi, ℣. 153 : « *Vide humilitatem.* »

In prima tanguntur tria. Primo, confitetur se orasse ferventer pro legis intelligentia et adimpletione. Secundo, instanter, ibi, ℣. 147 : « *Præveni in maturitate.* » Tertio, adhuc persistens orat confidenter, ibi, ℣. 149 : « *Vocem meam.* »

In prima duo. Primo, confitetur se

[1] Cf. superius divisionem ante expositionem ℣. 129.

ferventer orasse pro legis intellectu requirendo. Secundo, pro adimplendo in opere intellectum, ibi, ℣. 148 : « *Clamavi ad te.* »

In prima tria. Primo, confitetur modum quo oravit, quia cum clamore et cordis integritate. Secundo, quid oraverit, ibi, « *Exaudi me.* » Tertio, ad quid, ibi, « *Justificationes tuas.* »

145 Ait ergo : O Domine, « *clamavi.* » In hoc fervor intelligitur, qui fuit in Moyse [1], et in Anna [2], et in Susanna [3]. Et hoc, « *in corde meo,* » non in cordis parte, sicut Josaphat, II Paral. xx, 3 : *Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum,* sicut Daniel, et sui, Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde: et timemus te, et quærimus faciem tuam.*

« *Exaudi me.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic clamo : et hoc clamo, o « *Domine, exaudi me.* » Daniel. IX, 17 : *Exaudi, Deus noster, orationem servi tui.* Jonæ, II, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit me.*

« *Justificationes.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic rogavi ut exaudires. Sed ad quid vis exaudiri? Ad hoc, ut « *requiram,* » quæram scilicet, et iterum quæram, « *justificationes tuas.* » Isa. XXI, 12 : *Si quæritis, quærite.* II Paral. XXXIV, 3 : *Cum adhuc esset puer,* Josias scilicet, *cœpit quærere Deum patris sui David,* id est, mandata et præcepta ejus, quæ justificationes Dei sunt.

146 « *Clamavi ad te : salvum me fac.* » Hic secundo confitetur se ferventer orasse, pro implendo quod fuerit intellectum. Impletur autem cavendo malum, et hoc confitetur primo se firmiter rogasse : et faciendo bonum, et hoc confitetur secundo, ibi, « *Ut custodiam.* »

Ait ergo : Sic clamavi ut des gratiam requirendi : et etiam, o Domine, « *clamavi ad te,* » supple, non ad alium, dicens : « *Salvum me fac,* » a malo me conservando, non tantum pœnæ, sed etiam culpæ. Matth. XIV, 30 : *Et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac.* Quamvis enim justificationes requisierim, et illas intelligam, tamen superbus sum, si per hoc salvari me dixerim. Gregorius : « Qui « ex scientia, quam habet, erigitur, unde « debet erigi, excæcatur. » Isa. XLIII, 11 : *Ego Dominus, et non est absque me Salvator.*

« *Ut custodiam,* » opere adimplendo, « *mandata tua,* » quia sic mandasti. Psal. CXVIII, 4, supra eodem : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.*

« *Præveni in maturitate.* » Hic secunda pars totius octonarii. Postquam enim confessus est orasse se ferventer pro intelligentia legis et impletione, hic confitetur orasse se instanter et sollicite. Duo ergo dicuntur. Primo, ostendit in oratione fuisse instantiam, cum ipso clamore de quo supra, seu fervore. Secundo, vigilantiam, et circumspectionem, ibi, ℣. 148 : « *Prævenerunt oculi mei.* » 147

In prima duo. Primo, tangitur orantis instantia. Secundo, instantiæ causa, ibi, « *Quia in verba tua.* »

Dicit ergo : Sic oravi ardenter, et clamando, et etiam « *præveni in maturitate,* » hoc est, cito, et de nocte : « *et clamavi* » in oratione. Thren. II, 19 : *Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum.* Sicut Jacob, Genes. XXXII, 24 : *Vir luctabatur cum eo usque mane.* Sicut Ezechias, qui dicebat, Isa. XXXVIII, 14 : *Sicut pullus hirundinis sic clamabo.* Sic enim oportet. Sapient. XVI, 28 : *Oportet*

[1] Cf. Exod. XIV, 15.
[2] I Reg. I, 10 et seq.
[3] Daniel. XIII, 42.

prævenire solem ad benedictionem tuam. Nec hoc dicitur, quia possit Deus justificans prævenire, sed remunerans. Dicit enim Bernardus, quod « inveniri potest « Deus, præveniri autem non potest. »

« *Et in verba.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic præveni horam Dei, et remunerationem : « *et in verba tua,* » quibus promittis prævenientibus bona, « *supersperavi.* » Expone sicut supra [1]. Vel, « *supersperavi,* » scilicet superna speravi, et æterna. I ad Corinth. xv, 19 : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

148 « *Prævenerunt oculi.* » Hic secundum, in quo monstrat in oratione sua vigilantiam : et dicuntur duo. Primo, quod vigilavit. Secundo, ad quid vigilavit, ibi, « *Ut meditarer.* »

Dicit ergo : Sic tamquam instans, et sollicitus, urgente spe præveni horam, et etiam « *oculi mei prævenerunt ad te* » directi : et hoc, « *diluculo.* » Isa. xxvi, 9 : *In præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Eccli. xxxix, 6 : Justus *cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.* Proverb. viii, 34 : *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie.* Et ad quid?

« *Ut meditarer,* » ut meditandi gratiam haberem, « *eloquia tua,* » Eccli. xiv, 22 : *Beatus homo qui in sapientia morabitur, et in justitia sua meditabitur.* Istæ enim sunt sapientium vigiliæ, Proverb. xv, 14 : *Cor sapientis quærit doctrinam.* Et, in eodem, ℣. 28 : *Mens justi meditabitur sapientiam* [2]. Utiles et fructuosæ, Proverb. viii, 17 : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Et in sapientia consummatæ, Sapient. vi, 16 : *Cogitare de illa, sensus est consummatus.* Advigilandum ergo mane temporis, ad litteram, non solum nocte, quando Christus captus est [3]. Quia in mane resurrexisse innotuit, mane Discipulis piscantibus apparuit [4] : mane Ægyptios submersit [5]. Mane etiam juventutis, Thren. iii, 27 : *Bonum erit viro cum portaverit jugum,* Domini scilicet, *ab adolescentia sua.* Marc. x, 14 : *Sinite parvulos venire ad me.* Mane etiam gratiæ, et illud diluculum, quo gratia infunditur cordi præparato : de quo, Osee, vi, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus,* ad animam, ad illuminandum ipsam per radiorum gratiæ infusionem.

« *Vocem meam audi.* » Hic tertium, in quo adhuc orat confidenter. Duo ergo dicuntur. Primo, orationem præmittit cum persuasione. Secundo, ostendit confidentiam quam habet de adimpletione, ibi, ℣. 151 : « *Prope es tu, Domine.* » 149

In prima duo. Primo, oratio. Secundo, persuasio multiplex ut acquiescatur, ibi, ℣. 150 : « *Appropinquaverunt.* »

In prima duo. Primo, petit ut misericorditer audiatur. Secundo, ut vivificetur, ibi, « *Et secundum judicium.* »

Dicit ergo : Sic oravi frequenter, et instanter, et adhuc non cesso, imo dico : « *Domine, audi vocem meam,* » quia clamo ad te : et hoc, « *secundum misericordiam tuam.* » Baruch, iii, 2 : *Audi, Domine, et miserere, quia Deus es misericors.* Et, Thren. iii, 32 : *Miserebitur,* scilicet Dominus, *secundum multitudinem misericordiarum suarum.* Et petit audiri efficaciter. Scit enim quod auditu simplici auditur. Sapient. i, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Thren. iii, 66 : *Vocem meam audisti, ne avertas aurem tuam a singultu meo.* Judith, ix, 17 : *Exaudi*

[1] Cf. supra expositionem in ℣℣. 43, 74, 81 et 114.

[2] Vulg. habet, Proverb. xv, 28 : *Mens justi meditabitur obedientiam.*

[3] Cf. Joan. xviii, 2 et seq.

[4] Cf. Joan. xx, 1 et seq.

[5] Exod. xiv, 24 et seq.

me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem.

« *Et secundum judicium.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Audi misericorditer, et vivifica me, ablata per misericordiam miseria : et hoc, « *secundum judicium tuum,* » discretionem tuam, quæ primo aufert mala, et postmodum confert bona : unde ordinate dictum est supra, in Psal. c, 1 : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Vel, « *vivifica me secundum judicium tuum,* » quo judicas remittendum esse peccatum pœnitenti. Proverb. xxviii, 13 : *Qui confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Vel, « *secundum judicium tuum,* » non secundum legis Mosaicæ, quæ interficiebat [1] : sed, Joan. vi, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Vel, « *vivifica,* » lege peccati mortuum : propter quod clamabat Paulus in persona Gentilium, ad Roman. vii, 24 et 25 : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.*

150 « *Appropinquaverunt persequentes.* » Hic secundum hujus partis, in quo subjungitur persuasio. Persuadet autem a necessitate petendi, quam ostendit duplicem : appropinquationem inimicorum et persequentium ad malum, et elongationem a bono, ibi, « *A lege autem tua.* »

Dicit ergo : Sic peto miseriam amoveri, veram vitam dari, vel magis in data conservari. Nec mirum si peto, Domine, quia « *persequentes me,* » et verbis et factis, « *appropinquaverunt iniquitati,* » id est, iniquitati se conjunxerunt, quia sola me persequuntur iniquitate, non propter culpam meam. Amos, vi, 3 : *Separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.* Tales timeo, sicut filii Israel, Exod. xiv, 10 : *Cumque appropinquasset Pharao,* qui inique persequebatur filios Israel, *levantes filii Israel oculos,... timuerunt valde.* Sic et rogo, etsi sine culpa sim patiens secundum Petri regulam, I Petr. iv, 15 : *Nemo vestrum patiatur tamquam fur aut homicida.* Vel sic : « *Persequentes me iniquitati,* » id est, ex iniquitate : in hoc enim iniquitati serviunt, et quasi ad honorem iniquitatis faciunt, « *appropinquaverunt,* » supple, mihi, unde compellor clamare ne plus appropinquent : propinqui enim sunt in verborum exacerbatione, sed propinquiores in rerum ablatione, sed propinquissimi in proprii corporis afflictione.

« *A lege autem tua.* » Ecce secundum Quasi diceret : Sic iniquitati appropinquant, « *longe autem facti sunt a lege tua.* » Zachar. vii, 11 : *Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem.* Baruch, iii, 21 : *A facie ipsorum longe facta est.* Mich. vii, 11 : *In die illa longe fiet lex.*

« *Prope es tu, Domine.* » Hic est tertia pars totius octonarii. Ostendit enim, unde ei confidentia de adimpletione ejus quod petitum est, quia ex tribus. Primo, ex divina promptitudine ad conferendum. Secundo, ex certitudine promissionum, ibi, « *Et omnes viæ.* » Tertio, ex immutabilitate statutorum, ibi, ℣. 152 : « *Initio cognovi.* » 151

Dicit ergo : Sic petii, et confido, quia, o Domine, « *tu es prope,* » non tantum magnitudine majestatis, secundum illud Jerem. xxiii, 24 : *Cœlum et terram ego impleo.* Vel cognitione tuæ perspicacitatis, qua penetras omnia, secundum illud Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum* : contemplantur enim in omni loco bonos et malos. Et, Apostolus, ad Hebr. iv,

[1] Cf. Exod. xxiii et seq., et quasi per totum Leviticum ; Deuter. xxviii et seq.

13: *Omnia nuda sunt et aperta oculis ejus.* Sed promptitudine adjuvandi propter excellentissimam bonitatem. Isa. LV, 6: *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.* Qui enim voluerint appropinquare tibi orando, appropinquas exaudiendo. Jacob. IV, 8: *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Imo facis nos etiam tibi propinquos tua bonitate, secundum illud Pauli, ad Ephes. II, 13: *Qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.* Ergo cum prope sis, prope me facies, non oportet me esse sollicitum quin quæ peto tribuas. Ad Philip. IV, 5: *Dominus prope est, nihil solliciti sitis.*

« *Et omnes viæ.* » Ecce secundum. Quasi diceret: Sic es propinquus, et etiam verus, quia « *omnes viæ tuæ veritas,* » nescis ambulare per devia falsitatis, quin semper reddas quod promittis. Daniel. III, 27: *Universa opera tua vera, et viæ tuæ rectæ, et omnia judicia tua vera.* Oppositionem nota, quæ est in Glossa, et solutionem.

152 « *Initio cognovi.* » Hic tertium, ex quo nascitur confidentia, immutabilitas statutorum suorum. Duo ergo dicit. Primo, de statutis Dei, quæ ejus bonitatem attestantur, quid cognoverit. Secundo, quid sit illud specificat, et ostendit, quia immutabilia et æterna, ibi, « *Quia in æternum.* »

Ait ergo: Sic propinquus es, et verus, et stabilis, et firmus, non variabilis: quia « *initio cognovi,* » id est, primo et præcipue cognovi: et sumitur adverbialiter. Vel, « *initio cognovi de testimoniis tuis,* » quibus promittis bona petentibus. Et quid cognovisti de eis? Hoc, « *quia in æternum fundasti ea.* » Sic fundasti ea quæ sunt in æternum mansura. Matth. XXIV, 35: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Proverb. XII, 19: *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* Nec mirum quia super petram firmissimam, scilicet super Christum sunt fundata. I ad Corinth. III, 11: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ipse enim a Deo positus est fundamentum, non solum Scripturæ, sed etiam totius Ecclesiæ. Job, XXXVIII, 4: *Ubi eras cum ponebam fundamenta terræ?*

Et nota, quod secundum Glossam hic præponitur littera COPH (ק), quod interpretatur *conclusio*, vel *adspice*, quia, secundum Glossam, iste tamquam timens sibi concludi a diabolo, et ab ipso includi, clamat ad Dominum, ut adspiciat, sicut patet in principio octonarii. Potest tamen dici, quod iste, sicut expositum est, primo dixit se orasse ardenter, postmodum sollicite et instanter, tandem confidenter, totum concludens in divina pietate, veritate, stabilitate. Pietas respondet Spiritui sancto, veritas Filio, stabilitas Patri. Præponitur ergo COPH (ק), quod interpretatur *adspice*, et *conclusio*, ac si aperte tibi dicatur: Adspice hujus orationis conclusionem esse elegantem.

RES (ר)

153. Vide humilitatem meam, et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.
154. Judica judicium meum, et redime me, propter eloquium tuum vivifica me.
155. Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.
156. Misericordiæ tuæ multæ, Domine: secundum judicium tuum vivifica me.
157. Multi qui persequuntur me, et

tribulant me : a testimoniis tuis non declinavi.

158. Vidi prævaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.

159. Vide quoniam mandata tua dilexi, Domine : in misericordia tua vivifica me.

160. Principium verborum tuorum, veritas : in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

RES (ר)

« *Vide humilitatem meam.* » Hic secundum, quod pertinet ad meritum perfectorum activorum, scilicet meritum illorum in statu adversitatis, in quo refugiunt ad Deum, et orant a tribulatione liberari : et dicuntur duo hic. Primo, supplicatio assignando causas quare exaudiendus sit. Secundo, confidentia quod exaudiendus sit, ibi, ỳ. 160 : « *Principium verborum.* »

In prima duo secundum duo quæ petit, in quibus est plena tribulatio. Primo quidem petit ab omni malo liberari. Secundo, æternaliter vivificari, ibi, in medio ỳ. 154 : « *Propter eloquium tuum.* »

In prima duo. Primo, petit eripi a malis æternis. Secundo, a præsentibus miseriis, ibi, ỳ. 154 : « *Judica judicium.* »

In prima tria. Primo, petit ut humilitatem ejus attendat. Secundo, ut merito humilitatis illius eripiat a malis æternis, ibi, « *Et eripe me.* » Tertio, probat quod exaudiendus, ibi, « *Quia legem.* »

153 Dicit ergo : O Domine, clamavi ardenter, instanter, et tu es prope : ergo « *vide,* » oculo pietatis et misericordiæ, de quo in Psal. xxxiii, 16, supra : *Oculi Domini super justos.* Et, Sapient. iv, 15 : *Et respectus in electos illius.* « *Humilitatem meam.* » Judith, vi, 15 : *Domine, Deus cœli et terræ, respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende.* Et sic facit Dominus libenter. Deuter. xxvi, 7 : *Respexit Dominus humilitatem nostram, et laborem, atque angustias.* In Psal. cxxxvii, 6, infra : *Humilia respicit, et alta a longe cognoscit.* Hujus testis est illa quæ dicit, Luc. i, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Sicut enim tumor ventris signum est corruptionis, sic tumor mentis signum est corruptionis spiritualis : et sicut gracilitas signum est virginitatis et integritatis, sic humilitas integritatis spiritualis et virginitatis.

« *Et eripe me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic humilitatem respice, et sic a malis æternis eripe. Daniel. iii, 43 : *Erue nos in mirabilibus tuis.* Hoc est enim bene sanctis facere. II Petr. ii, 9 : *Novit Deus pios de tentatione eripere,* et per hoc certe de æterna damnatione. Propter hoc quod humilitas meretur ereptionem, dicitur, Proverb. xvi, 19 : *Melius est humiliari cum mitibus quam dividere spolia cum superbis.* Et rursus, ibidem, xv, 33 : *Gloriam,* scilicet ereptionis a malo æterno, *præcedit humilitas.*

« *Quia legem.* » Hic probat. Quasi diceret : Rogo ut eripias, et debes, « *quia legem tuam,* » quam doces, Matth. xi, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Et rursus, Luc. xiv, 11 et xviii, 14 : *Omnis... qui se humiliat exaltabitur.* « *Non sum oblitus.* » Infra, in eodem Psalmo cxviii, 176 : *Quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

« *Judica judicium.* » Hic secundum, 154
in quo petit a miseriis præsentibus red-

imi : et dicuntur duo. Primo, petit eum judicem in causa quæ est inter se et adversarium suum. Secundo, redemptorem a miseria in qua dejectus est ab illo, ibi, « *Et redime me.* »

Dicit ergo : Sic humilitatem vidi, et eripe, etiam « *judicium meum,* » id est, causam quam habeo contra diabolum, « *judica,* » sicut in illo fecisti, qui dicebat, Thren. III, 58 : *Judicasti,* Domine, *causam animæ meæ.* Et, Jerem. XX, 12 : *Videam, quæso,* inquit, *ultionem tuam ex eis : tibi enim revelavi causam meam.* Hoc ipsum enim vis alios facere. Et, ibidem, XXII, 3 : *Liberate vi oppressum de manu calumniatoris.* Sic accipitur judicium, scilicet pro causa. Job, XXIII, 7 : *Proponat æquitatem contra me, et perveniet ad victoriam judicium meum,* id est, causa mea.

« *Et redime me,* » a malis, et miseriis præsentis vitæ. Eccli. XXXVI, 1 : *Respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum,* et redime nos, sicut per Prophetam Osee promisisti, XIII, 14 : *De morte redimam eos,* sanguine meo proprio. I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis a vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.*

« *Propter eloquium.* » Hic secunda pars primæ partis, in qua petit etiam secundam partem beatitudinis : non enim est beatitudo vera in liberatione a malo, sed etiam in adeptione boni, quod est vera et æterna vita. Dividitur autem hæc pars in duas. Primo, petit justificari sumendo rationes per id quod est ex parte Dei. Secundo, per id quod est ex parte sui, quod tamen habet a Deo, ibi, ℣. 157 : « *Multi qui persequuntur.* »

In prima autem duo dicuntur. Primo enim petit allegando divinam veritatem. Secundo, allegando misericordiæ ipsius abundantiam, ibi, ℣. 156 : « *Misericordiæ tuæ multæ.* »

In prima duo. Primo, petit vitam allegando divini eloquii veritatem. Secundo, specificat in quo proprie veritas eloquii existat, ibi, ℣. 155 : « *Longe a peccatoribus.* »

Dicit ergo : Sic judicando causam meam me redime, « *et vivifica me,* » vita æterna et gloriosa, de qua, Joan. XVII, 3 : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Ezechiel. XVIII, 27 et 28 : *Cum averterit se impius ad impietate sua quam operatus est,... vita vivet, et non morietur.* Vel, de vita gratiæ sic : Judicans causam meam, redime me a miseriis præsentibus, ut non succumbam in illis. « *Et vivifica me,* » vita gratiæ, de qua Apostolus, ad Ephes. II, 5 : *Convivificavit nos in Christo.* Et hoc « *propter eloquium tuum* » confirmandum, in quo tuis vitam promittis utramque. Joan. VI, 64 : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Joan. X, 27 et 28 : *Oves meæ vocem meam audiunt,... et ego vitam æternam do eis.*

« *Longe a peccatoribus.* » Hic secun- 155
dum, in quo specificat in quo consistit veritas eloquii, quia in repulsione malorum a salute, et sic innuit etiam quod in vocatione bonorum ad salutem : et dicuntur duo. Malorum elongatio a salute, et ratio elongationis, ibi, « *Quia justificationes.* »

Dicit ergo : Miserere mei propter eloquium tuum, quo dicis, « *Longe a peccatoribus salus.* » Vel sic : Me vivifica, sed non peccatores, « *longe* » enim « *a peccatoribus salus :* » non longe per naturam, cum dicat Paulus, Act. XVII, 27 : *Quærere Deum,... quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum :* sed longe per gratiam, Proverb. XV, 29 : *Longe est Dominus ab impiis.* Et, Eccli. XV, 7 : *Longe abest a superbia et dolo.* Quod longe autem sit, dicitur, Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, ita exaltatæ*

sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. Propter hoc dicunt mali, Isa. LIX, 11 : *Exspectavimus judicium, et non est : salutem, et elongata est a nobis.* Luc. XV, 13 : Filius prodigus *profectus est in regionem longinquam*, supple, a salute.

« *Quia justificationes.* » Ecce secundum, in quo tangitur causa elongationis.

Quasi diceret : Sic salus est longe, et hoc « *quia non exquisierunt justificationes tuas,* » quas ego exquisivi : et propter hoc prope debet esse mihi. Eccli. II, 13 : *Protector est omnibus exquirentibus se in veritate.*

156 « *Misericordiæ tuæ multæ.* » Hic secundum, in quo allegat ex parte Dei adhuc misericordiæ ejus multitudinem : et dicuntur duo. Primo, confitetur divinæ misericordiæ multitudinem. Secundo, infert petitionem, ibi, « *Secundum judicium.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, propter eloquii tui veritatem me vivifica, et etiam nunc « *misericordiæ tuæ multæ,* » supple, sunt. II Reg. XXIV, 14 : *Melius est ut incidam in manus Domini : multæ enim misericordiæ ejus sunt.* Joel, II, 13 : *Patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.* Et magnæ valde, Eccli. II, 23 : *Secundum magnitudinem ipsius, sic et misericordia illius cum ipso est.* Et Augustinus, de magnitudine divinæ misericordiæ : « Amplissimus sinus misericordiæ Dei, ubi tot Sanctorum animæ recipiuntur. » Imo omnes, Sapient. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes.* Et propter hoc peto, « *Vivifica me,* » et hoc, « *secundum judicium tuum,* » et præsens, quo parcis omnibus et omnia regis, et futurum, in quo misericordes misericordiam consequentur [1]. « *Vivifica,* » inquam, et vita gratiæ, plusquam sim in præsenti, et vita gloriæ in futuro : tuum enim est. Job, XXXIII, 4 : *Spiraculum Omnipotentis vivificavit me,* vita gratiæ. Et, Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies,* post diem potentiæ et justitiæ.

« *Multi qui persequuntur me.* » Hic 157
secundum, in quo sumit rationes a parte sui. Allegationes ergo primo ponit. Secundo, adjungit petitionem, ibi, in medio ℣. 159 : *In misericordia tua.*

Duo autem allegat. Primo, constantiam. Secundo, charitatis vehementiam, ibi, ℣. 158 : « *Vidi prævaricantes.* »

In prima tanguntur duo. Primo, persequentium multitudo. Secundo, constantia et fortitudo in persecutione, ibi, « *A testimoniis.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, ex parte tua veritas, et pietas, propter quæ debeo audiri : et etiam « *multi* » sunt « *qui persequuntur me,* » de loco ad locum fugando, juxta illud Matth. X, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Jerem. XX, 10 : *Audivi contumelias multorum, et terrorem in circuitu : Persequimini, et persequamur eum.* « *Et tribulant me,* » affligendo. Supra, in Psal. III, 2 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* Sic illi : sed ego « *non declinavi* » ad dexteram, nec ad sinistram, « *a testimoniis tuis :* » quia sentiebam viam rectam. Isa. XXXV, 8 : *Hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.* Et propter hoc dicitur, ibidem, XXX, 21 : *Hæc est via, ambulate in ea : et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

« *Vidi prævaricantes.* » Hic allegat 158
charitatis vehementiam : et primo, ad proximum. Secundo, ad Deum, ibi, ℣. 159 : « *Vide quoniam mandata.* »

In prima duo. Primo, tangitur vehemens dilectio, etiam ad malos. Secundo,

[1] Matth. V, 7 : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

in quo est illa dilectio, ibi, « *Quia eloquia tua.* »

Dicit ergo: Sic constans fui in adversis, et etiam zelum habui ad proximum, quia « *vidi prævaricantes legem tuam,* » et in illa peccantes : unde alia littera habet, « pactum non servantes : » *et tabescebam,*» quia scivi, quod effugere te non possunt, secundum illud Ezechiel. XVII, 15 : *Qui dissolvit pactum, numquid effugiet?* Quasi diceret: Non. Et ob hoc tabesco. Thren. III, 20 : *Et tabescet in me anima mea.* Supra, in eodem Psalmo CXVIII, 139 : *Tabescere me fecit zelus meus.* Quare ? « *Quia eloquia tua non custodierunt :* » imo magis transgressi sunt. Sic Phinees zelavit[1] : sic Elias[2] : sic Christus[3].

Et nota, quod ille zelat qui bonus est activus ardore dilectionis in proximos, quod debet esse maxime et potissime in Prælatis : aliter totum perditum est. Et nota, quod multa sunt signa zelantis Prælati. Primum, sollicitudo in eligendo bonos ad constituendum in beneficiis Ecclesiasticis. Architectus enim est. Dicat ergo illud Isa. IX, 10: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus : sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus.* Cantic. III, 9 : *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani.* Exod. XVIII, 21 : *Provide,* tibi scilicet, *de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam.* Item, per frequentem visitationem, et discursum per parochiam suam. Matth. IV, 23: *Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni.* Per vigilem inquisitionem eorum quæ agunt subditi, et quæ circa eos aguntur. Luc. II, 8: *Pastores erant in eadem regione vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Jacob nocte et die, æstu urebatur et gelu[4]. Per singulorum cogitationem. Joan. X, 14 : *Ego sum pastor bonus, et cognosco meas,* scilicet oves, *et cognoscunt me meæ.* Genes. II, 19 : *Adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea.* Proverb. XII, 10 : *Novit justus jumentorum suorum animas.* Et, XXVII, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.* Bene cognoscunt multi nomina excommunicatorum, ut habeant emendas. Per compassionem ad infirmos. Ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.* I ad Corinth. IX, 22 : *Factus sum infirmis infirmus,* ut gallina, *ut infirmos lucrifacerem.* Per ratam meritorum discussionem, ut ab unoquoque exigat quod potest, et non plus. Genes. XXXIII, 13: *Nosti, domine mi, quod parvulos habeam teneros, et oves et boves fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.* Per temporalium administrationem, secundum quod potest: gallina enim dimittit pullo suo granum. II ad Corinth. XII, 14 : *Nec debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Ezech. XXXIV, 2 : *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos! Nonne greges a pastoribus pascuntur ?* Per expositionem sui ad mortem pro subditis, si opus fuerit. II Reg. XXIV, 17 : *Isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.* Joan. X, 11 : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Et, XVIII, 8 : *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.*

Signa zelantis Prælati.

« *Vide quoniam mandata.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic proximos 159
ardenter dilexi, et etiam, « *Domine, vide quoniam mandata tua,* » et per hæc teipsum, « *dilexi.* » Joan. XIV, 21 : *Qui habet mandata mea, et servat ea,* quod est ipsa diligere, *ille est qui diligit me.*

[1] Cf. Numer. XXV, 7 et seq.
[2] Cf. III Reg. XVIII, 21 et seq.
[3] Cf. Matth. XXI, 12 et seq., et Joan. II, 14 et seq.
[4] Cf. Genes. XXXI, 40.

Proverb. XII, 1 : *Qui diligit disciplinam* in qua continentur Dei mandata, *diligit scientiam*, et per consequens vitam. Proverb. III, 1 : *Præcepta mea cor tuum custodiat.* Supra, in eodem Psalmo CXVIII, 127 : *Dilexi mandata tua super aurum, et topazion.*

« *In misericordia tua.* » Ecce concludit hic secundo ex omnibus præmissis.

Quasi diceret : Sic verax es, et misericordiæ multæ, et ego constans, et zelator : ergo « *in misericordia tua,* » quia nec mea merita reputo sufficere, « *vivifica me.* » Ad Roman. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*, etc. Sed misericordia Dei dabit vitam, quippe quia et ipsa dat vitam gratiæ. Ad Ephes. II, 4 et 5 : *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos,... convivificavit nos in Christo.*

160 « *Principium verborum.* » Hic secundum totius octonarii, in quo subjungitur confidentia postquam præcessit oratio, et petitio satis devota : et notatur confidentia ex duobus. Ex origine verborum Domini, et hoc primo : et judiciorum stabilitate, ibi, « *In æternum.* »

Ait ergo : Sic peto a malis æternis, et præsentibus miseriis liberari, postulans mihi etiam vitam dari, et sic erit : quia « *veritas* » est « *principium verborum tuorum,* » id est, verba tua ortum habent ex veritate, et procedunt ex illa, unde non possunt esse nisi vera. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo ut mentiatur*, sed ex veritatis fonte procedunt omnia verba sua. Eccli. XVI, 25 : *In veritate enuntio scientiam :* in veritate, inquam, fundatam. Joan. XVII, 17 : *Sermo tuus veritas est.* Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.*

« *In æternum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic a veritate procedunt verba tua, et « *omnia judicia justitiæ tuæ,* » quibus judicas tuis æterna bona tribuenda, et malis æterna supplicia, « *in æternum,* » supple, sunt stabilia. Psal. XXXV, 7 : *Judicia tua abyssus multa.* Abyssus sine base est et fundo, et sic sine fine, sicut æternum. Ad Roman. XI, 33. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ illius!* quia ad finem judiciorum et operum attingi non potest.

Vide ergo quomodo humilitatem suam, quam in principio allegaverat ut a malis eriperetur, constantiam rationis qua non declinabat a testimoniis Domini, et per hoc ipsum Christum caput suum conservat, concludens totum in Dei veritate, et æternitate : unde bene præponitur hic littera Hebraica RES (ר), quod interpretatur *caput* vel *primatus* : et supplendum est, conservat. Quasi dicat : In hoc octonario veram humilitatem, quæ caput est virtutum, et rationis integritatem, quæ caput est animæ, et ipsum Christum per hoc ipsum conservat, totum referens ad Dei veritatem, et æternitatem, tamquam serpens sapientissimus. Matth. x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes.*

SIN (ש)

161. Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.
162. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.
163. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum, legem autem tuam dilexi.
164. Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

165. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.
166. Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua dilexi.
167. Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea vehementer.
168. Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

SIN (ש)

« *Principes persecuti sunt.* » Hic est tertia pars totius illius partis, in qua agitur de merito perfectorum, quantum ad contemplationis statum. Status autem contemplantium est in duobus. In vacatione ab omni cura temporali, vacando lectioni, et divinæ laudi, et de hac agitur in hoc octonario. Secundo, in desiderio ferventi perveniendi ad finem, et consummationem, de quo in sequenti octonario, ibi, ỳ. 169 : « *Appropinquet deprecatio.* »

In prima tanguntur tria. Primo, præambula ad lætitiam spiritualem in lege Dei, et ejus laudem. Secundo, spiritualis lætitia, et divina laus, ibi, ỳ. 162 : « *Lætabor ego.* » Tertio fructus, et utilitas sequens ex lætitia et laude illa, ibi, ỳ. 165 : « *Pax multa.* »

Præambula sunt purgantia ipsam animam, quæ sunt duo. Tribulatio non quæcumque, sed a magnis illata, de qua primo. Dei timor, de quo secundo, ibi, « *Et a verbis tuis.* »

161 Dicit ergo : O Domine, sic verax es, et justus, et propter hoc loquor ad te, tibi ostendo : « *Principes,* » dæmones, et mali homines, « *persecuti sunt me.* » Dæmones : ipsi enim principes dicuntur, ad Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem aut sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Joan. xii, 31 : *Nunc princeps hujus mundi,* non dubium quin de dæmone loqueretur, *ejicietur foras.* Et, xiv, 30 : *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam.* Homines etiam mali in dignitatibus constituti, de quibus, Exod. xv, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.* Persequar in tentatione, comprehendam in consensu, dividam spolia in gratuitorum amissione, et implebitur anima mea in morte, et velociter et ardenter. Thren. iv, 19 : *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.* Et hoc « *gratis,* » sine meritis meis. Proverb. i, 11 : *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra.* Isa. lii, 4 : *Assur absque ulla causa calumniatus est eum.* Ecce tribulatio clariorem et puriorem reddens animam, et ad contemplandum aptiorem.

« *Et a verbis tuis.* » Ecce secundum, scilicet divinus timor.

Quasi diceret : Sic sum tribulatus, « *et* » etiam « *cor meum formidavit a verbis tuis.* » Nec mirum : quid enim sunt verba tua nisi quidam rugitus leonis crudelissimi ? Et, Amos, iii, 8, dicitur : *Leo rugiet, quis non timebit ?* Propter hoc dicitur, Eccle. xii, 13 : *Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.* Tu etiam Dominus verus, et simpliciter omnium Dominus, Et, Malach. i, 6, dicitur : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?* Et bene jungitur cum præcedenti. Ac si diceret : Persecuti sunt me principes, sed illos non timui, sed te, ut utroque illorum, tribulatione scilicet et tuo purgarer timore. Matth. x, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum qui potest et animam et corpus mittere in gehennam.*

162 « *Lætabor ego.* » Hic secundum, scilicet status sic purgati, qui ostenditur in tribus. In lætitia vehementi in lege divina habita primo. In ingenti odio ad mala legi Dei contraria secundo. Secundum sequitur ex primo, ibi, ỳ. 163 : « *Iniquitatem odio habui.* » In frequenti laude Dei, et quasi continua, quod sequitur ex duobus, ibi, ỳ. 164 : « *Septies in die.* »

In prima duo. Primo, lætitia in eloquiis divinis. Secundo, lætitiæ vehementia, ibi, « *Sicut qui invenit.* »

Dicit ergo : Sic tribulatus sum, et timui, et per hoc purgatior redditus, « *lætabor ego super eloquia tua,* » in eloquiis scilicet tuis. Eccli. LI, 20 : *Lætatum est cor meum in ea,* scilicet divina scientia, seu sapientia. Et hoc non modicum, imo vehementer, quia « *sicut qui invenit spolia multa.* » Isa. IX, 3 : *Lætabuntur coram te,* in eloquiis sacris, quibus cum eis tamquam cum assistentibus loqueris, *sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia :* quippe messem colligit, in qua non laboravit. Joan. IV, 38 : *Ego misi vos metere quod non laborastis.* Spolia pretiosissima invenit, et dividit. Sapient. VII, 9 : *Omne aurum in comparatione illius,* scilicet sapientiæ, *arena est exigua.* Hæc pretiosa spolia a Judæis auferuntur. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei,* sempiterna scilicet sacramenta. Qui ergo a verbis timebat ut purgaretur, hic jam verba quasi spolia colligit ut ditetur.

163 « *Iniquitatem odio habui.* » Hic secundum, in quo dicuntur tria similiter. Primo, iniquitatis odium, et detestatio. Secundo, vehementia detestationis, ibi, « *Et abominatus sum.* » Tertio, ratio et causa tanti odii, ibi, « *Legem autem tuam.* »

Dicit ergo : Sic purgatus lætitiam vehementem in lege habui, et etiam « *iniquitatem habui odio,* » non sum sicut ille, de quo supra, in Psal. XXXV, 5 : *Adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* Sed sicut tu, de quo, Eccli. XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores.* Nec tantum odivi, imo quod plus est, « *et abominatus sum,* » ipsam iniquitatem. Eccli. XVII, 23 : *Nimis odito exsecrationem,* peccatum scilicet et iniquitatem. Proverb. XXIX, 27 : *Abominantur justi virum impium,* non propter naturam, sed propter iniquitatem, quæ est venenosa. Eccli. XXI, 2 : *Quasi a facie colubri fuge peccatum.*

« *Legem autem tuam.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic iniquitatem vehementer odivi : « *autem,* » quia, « *legem tuam dilexi.* » Sapient. VI, 12 : *Concupiscite sermones meos,* dicit Sapientia, *diligite illos.* Talis autem concupiscentia non est modicum fructuosa. Sapient. VI, 21 : *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.*

« *Septies in die.* » Hic tertium, scilicet frequens laus Dei, et continua. Duo ergo tanguntur. Laudis frequentia primo. Laudis materia secundo, ibi, « *Super judicia.* » 164

Dicit ergo : Sic lætatus sum in eloquiis, odivi contraria illis, et etiam « *laudem dixi tibi,* » o Domine : et hoc, « *septies in die,* » id est, semper, et continue. In septenario enim signatur perfectio, et per totum tempus duratio, sicut, Eccle. XI, 2 : *Da partes septem, necnon et octo.* In septenario perfectio hujus temporis, in octo autem perfectio æternitatis intelligitur. Et, Mich. V, 5 : *Suscitabimus super eum septem pastores,* id est, pastores eos per totum tempus hoc pascentes. Vel, septies ad litteram, quia septies per me cado in die, et per te septies resurgo : unde in emendam septies tibi sacrificium laudis offero. Proverb. XXIV, 16 : *Septies* in die *cadet justus, et resurget.* Josue, VI, et seq., septeno circuitu muri Jericho corruerunt, laude scilicet septies repetita omnis defectus corruit, et destruitur.

« *Super judicia* » non perversa, sed « *justitiæ*, » non hominum, sed « *tuæ*, » quia vera sunt. Daniel. III, 28 : *Judicia vera fecisti juxta omnia quæ induxisti super nos*. Psal. XVIII, 10 : *Judicia Domini vera*, et justa. Apocal. XIX, 1 et 2 : *Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est : quia vera et justa judicia sunt ejus*, quamvis sint nobis imperscrutabilia, secundum illud Apostoli, ad Roman. XI, 33 : *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!*

165 « *Pax multa diligentibus.* » Hic tertium totius octonarii, in quo subjungit utilitatem et fructum sic vacandi Deo, et intendendi legi ejus : et tangitur duplex, pacis multitudo in præsenti, et salutaris exspectatio in futuro, ibi, ỷ. 166 : « *Exspectabam.* »

In prima duo. Primo, pacis multitudo a seipsis. Secundo, ab aliis, ut etiam ab aliis scandalizari non possit, ibi, « *Et non est illis.* »

Dicit ergo : Sic legem dilexi, et septies laudem dixi, et iterato : quia jam cum ipso est « *pax multa*, » in illo qui dicit, Joan. XVI, 33 : *Hæc locutus sum vobis ut pacem habeatis.* Et illa pax de qua Apostolus, ad Philip. IV, 7 : *Et pax, quæ exsuperat omnem sensum.* Imo ipsemet, quia idem Paulus, ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* « *Diligentibus legem tuam*, » bonis et boni amatoribus. Luc. II, 14 : *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, non impiis. Quia, Isa. LVII, 21, dicitur : *Non est pax impiis, dicit Dominus.*

Sed contra : Nonne dicitur bonis, Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum?* Quomodo autem ovis pacem multam habere potest inter lupos? II ad Timoth. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Respondeo. Pax multa est illis quantum ad animam, sed non quantum ad corpus : quantum enim ad ipsum dicitur, Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.*

« *Et non est illis.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic illis est pax, in se, et a Deo : « *et non est illis scandalum*, » ab alio, quantumcumque enim alii qui mali sunt sæviant, ipse non scandalizatur. Et est argumentum, quod loquitur de perfectis. I Joan. II, 10 : *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.* Nec etiam est illis scandalum in lege Dei : intelligunt enim totum justi, et non offendunt, sicut illi, de quibus dicitur, Isa. VIII, 14 : *Et erit... in lapidem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel*, si forte aliquid non intelligunt, sed secundum quod dicitur, Exod. XII, 10 : *Si quid residuum fuerit*, quod non possint intelligere, *igni comburetis*, Spiritui sancto committetis.

« *Exspectabam salutare.* » Hic secundus fructus, sive utilitas secunda, scilicet salutaris exspectatio, quantum ad præcedentes patres ad adventum primum, quantum ad modernos ad secundum : et tanguntur duo. Primo, salutaris exspectatio. Secundo, virtus et efficacia hujusmodi exspectationis, vel bonorum ex hac exspectatione causatorum enumeratio, ibi, statim, « *Et mandata tua.* » 166

Dicit ergo : Sic pacem habui, et etiam « *exspectabam salutare tuum, Domine*, » a te nobis datum in primo adventu, et dandum in secundo. Ad primum adventum, qui dicebat, Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.* Et, Job, XVII, 15 : *Ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat?* tu es, Domine Deus meus. Ad secundum exspectant proprie, de quibus dicitur, Proverb. X, 28 : *Exspectatio justorum lætitia.* Ad utrosque illud quod dicitur, Thren. III, 26 : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.*

« *Et mandata tua.* » Hic secundum, enumeratio bonorum ex hac exspectatione sequentium : et dicuntur duo. Primo, enumerat illa bona. Secundo, probat quod vere habet illa, ibi, in medio ỳ. 168 : « *Quia omnes viæ.* »

In prima tria. Primo, charitas et amor mandatorum. Secundo, patientia, ibi, ỳ. 167 : « *Custodivit anima mea.* » Tertio, exercitium in operatione bona, ibi, ỳ. 168 : « *Servavi mandata.* »

Dicit ergo : Sic salutare exspectabam, sed quia exspectatio vana est quæ non surgit ex bono opere, « *et dilexi mandata,* » quæ ducunt ad ipsum salutare, et salutaris fructum. Joan. vi, 69 : *Verba vitæ æternæ*, ad vitam scilicet æternam ducentia, *habes*. Et propter hoc dicitur, Proverb. viii, 10 : *Doctrinam magis quam aurum eligite.*

Qui non possunt exspectare salutem?

Nota, quod non possunt exspectare salutem formidolosi, sed statim tradunt se diabolo, signati per Sobnam, qui statim tradidit civitatem[1]. Nahum, iii, 12: *Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* Deuter. xx, 8 : *Quis est homo formidolosus, et corde pavido? vadat, et revertatur in domum suam.* Infirmi donec transierit accessio, sed statim volunt bibere. Jerem. li, 39 : *In calore eorum ponam potus eorum, et inebriabo eos ut sopiantur.* In Psal. ciii, 11 : *Exspectabunt onagri in siti sua.* Dominus cum sitiret in cruce, non statim voluit bibere [2]. Pueri donec fructus sint maturi, sed immaturos comedunt, et nocivos. I Reg. ii, 12 et seq., de filiis Heli, qui non poterant exspectare donec carnes coquerentur. Isa. xxviii, 4 : *Quasi temporaneum ante maturitatem autumni, quod, cum adspexerit videns, statim ut manu tenuerit, devorabit illud.* Nota de Esau [3]. Cupidi qui volunt modis omnibus ditari in præsenti. Proverb. xiii, 11 : *Substantia festinata minuetur, et quæ paulatim manu colligitur, multiplicabitur.* Et, xxviii, 20 : *Qui festinat ditari, non erit innocens.*

« *Custodivit anima mea.* » Hic secundum, scilicet patientia : et tanguntur duo. Primo, patientia. Secundo, quod informata, aliter parum valet, ibi, « *Et dilexit ea.* » 167

Dicit ergo : Sic dilexi mandata habens charitatem, et etiam « *custodivit anima mea* » (in hoc notatur affectio) « *testimonia tua,* » martyria : ecce fortitudo, et patientia in confitendo audacter, et testimonium perhibendo. II ad Timoth. i, 8 : *Noli erubescere testimonium Dei.* Sed ne ita videar custodisse sicut hæretici, addo : « *Et dilexit ea vehementer,* » ex dilectione et charitate quæ in me erat : in quo excludit hæreticorum martyria. Aliter enim non valerent, si non esset ibi charitas. I ad Corinth. xiii, 3 : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Dilectio autem facit fortiter sustinere, Cantic. viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Imo, lætanter, Act. v, 41, dicitur de repletis charitate : *Ibant gaudentes,* Apostoli scilicet, *a conspectu concilii,* etc.

« *Servavi mandata.* » Hic tertium, scilicet exercitatio in justitia. 168

Ait enim : Sic charitatem habui, et amorem ad mandata, quia exspectabam, et fortem habui patientiam : et etiam « *servavi,* » exercendo me in opere, « *mandata tua,* » de agendis, « *et testimonia tua,* » de cavendis. Matth. xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Eccli. xv, 16 : *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Sapient. vi, 19 : *Custoditio legum consummatio incorruptionis est.*

[1] Cf. Isa. xxii, 15 et seq.
[2] Cf. Matth. xxvii, 34.
[3] Cf. Genes. xxv, 29 et seq.

« *Quia omnes viæ meæ.* » Ecce secundum, in quo probat quod vere charitatem habuit, et patientiam, et bonorum operum exercitationem.

Ait enim : Sic dilexi, fortis et patiens fui, et vehementer dilexi : quod patet, « *quia omnes viæ meæ,* » sunt « *in conspectu tuo,* » id est, a te illuminatæ, qui dignaris illas intueri oculo misericordiæ, et sic in bonum dirigere. Sapient. IV, 15 : *Et respectus*, gratia scilicet Dei, *in electos illius*. Non enim mea contemplatio facit illas bonas, sed tua magis intuitio, quæ est emplastrum in medicina vulnerum omnium peccatorum.

Cupide anhelabat Matthæus lucris temporalibus, sed tu vidisti sedentem in telonio, et statim est curatus [1]. Vulnere triplicato trinæ negationis sauciatus erat ad mortem Petrus, sed tu respexisti eum, et statim est curatus [2]. Ecce littera præposita Hebræa, scilicet SIN (ש), quod interpretatur *super vulnus*. Ac si diceret titulus : Vide quomodo in hoc octonario, in principio dixit tribulatum seipsum, et timidum, et rogasse septies, et exspectasse salutare, et tandem conspectum Dei, in omnibus sic sanatum, ut charitatem haberet, et patientiam, et operum justitiæ exercitationem, ipso intuitu Dei, tamquam emplastro super vulnus posito.

THAU (ת)

169. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine : juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170. Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.

171. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.

172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.

174. Concupivi salutare tuum, Domine, et lex tua meditatio mea est.

175. Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me.

176. Erravi sicut ovis quæ periit : quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

THAU (ת)

« *Appropinquet deprecatio.* » Hic secundum quod superius dictum est. Et subjungitur de merito perfectorum in statu contemplationis, in quantum elevantur ferventi desiderio ad æterna. Sed quoniam quanto plus fervet in Deum anima, tanto plus humiliatur, et seipsam despicit, secundum illud Psal. XXX, 23 : *Ego dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Et, Job, XLII, 6 : *Ecce oculus meus vidit te, idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Propter hoc duo dicuntur in hoc octonario. Primo, petit ardenter. Secundo, confitetur propriam miseriam humiliter, ibi, ỳ. 176 : « *Erravi sicut ovis.* »

In prima autem secundum tria quæ petit, sunt tres partes. Primo, petit intellectus illuminationem. Secundo, malorum amotionem ab affectu, ibi, ỳ. 170 : « *Intret postulatio.* » Tertio, salutarem vitam, et perpetuam, ibi, ỳ. 173 : « *Fiat manus.* »

[1] Cf. Matth. IX, 9 et seq.

[2] Cf. Luc. 55 et seq.

In prima duo. Primo, petit in generali a Deo exaudiri. Secundo, specificat in quo velit exaudiri, ibi, « *Juxta eloquium tuum.* »

169 Dicit ergo : Sic servavi mandata, non mea virtute, sed magistri, et ob hoc peto ulterius : O « *Domine, appropinquet deprecatio tua :* » ego enim in propria persona non possum, gravatus corporis pondere. Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Elongatus sum a te primorum parentum, et superadditorum a me peccatorum multitudine. Isa. LIX, 2 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Desidero enim magis si fieri posset in propria persona appropinquare. Job, XXIII, 3 : *Quis mihi tribuat ut cognoscam et inveniam illum, et veniam usque ad solium ejus ?* Sed cum non possim, « *appropinquet deprecatio mea,* » per humilitatem. Eccli. XXXV, 22 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* « *In conspectu tuo,* » supple, facta. Daniel. III, 40 : *Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi.*

« *Juxta eloquium tuum.* » Hic secundum specificat. Quasi diceret : Sic peto, quod oratio appropinquet, sive deprecatio hæc scilicet, « *Da mihi intellectum,* » et hoc, « *juxta eloquium tuum,* » id est, sicut in tuo promittis eloquio. In Psal. XXXI, 8 : *Intellectum tibi dabo, et instruam te.* Et, Isa. LIV, 13 : *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.* Vel, *juxta eloquium tuum*, ut meus scilicet intellectus tuis reguletur eloquiis. II ad Corinth. X, 5 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Vel melius : loquitur enim hic perfectus, qui et intelligit quid credendum, quid agendum, et intellectum subjicit divinis eloquiis. « *Da mihi intellectum juxta eloquium tuum,* » id est, profundum et subtilem, sicut profunda sunt, et subtilia valde eloquia tua. Supra, in eodem Psalmo CXVIII, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Job, XXXVI, 8 : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*, de profundis Scripturarum. Eccli. XV, 5 : *Adimplebit illum*, Dominus scilicet, *spiritu sapientiæ et intellectus.*

Intret postulatio. » Hic secundum, in quo petit malorum amotionem ab affectu. Scit enim quoniam aliter habere non poterit intellectus limpiditatem. Duo ergo dicuntur. Primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, ℣. 171 : *Eructabunt labia.* » 170

In prima duo. Primo, petit quasi in generali mali amotionem. Secundo, magis declarat petitionem, ibi, « *Secundum eloquium.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, petii quod appropinquet deprecatio, quæ est proprie loquendo de bonis adipiscendis : et etiam « *postulatio mea,* » de malis amovendis, « *in conspectu tuo,* » supple, facta, non tantum appropinquet, sed etiam « *intret.* » In Psal. XXXVII, 33, supra : *Intret oratio mea in conspectu tuo, inclina aurem tuam ad precem meam.* Postulatio autem est de malis amovendis proprie : aliquando tamen est etiam de bonis adipiscendis, Jacob. I, 5 et 6 : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo... Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Intrat autem postulatio duplici pede ad Deum. Dextro pede, quando fit cum desiderio quodam æternorum. Sinistro, quando fit cum contemptu temporalium. Sicut e contrario filius prodigus hoc pede duplici a pio patre se elongavit.

« *Secundum eloquium tuum,* » in quo promittis hoc per Prophetas. Baruch, IV, 21 : *Clamate ad Dominum, et liberabit vos.* Dicit enim Glossa, quod « grave est luctari tam diu contra carnem, et dæmonem. » Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus*

carnem aut sanguinem tantum, *sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Nota Glossam : « Supra petit intellectum se-« cundum eloquium, etc. »

171 « *Eructabunt labia.* » Hic secundum hujus partis, scilicet persuasio ad efficacius impetrandum quod petitum est : persuadet autem per promissionem. Duo autem promittit. Primo, Dei laudem, et lætitiam in illa laude, cum dederit petita. Secundo, veritatis prædicationem, ibi, ỳ. 172 : « *Pronuntiabit lingua.* »

Dicit ergo : Sic intellectum da, et purifica mala removendo, ut magis intelligam, et « *labia mea eructabunt,* » ex abundanti cordis lætitia, « *hymnum,* » divinam laudem cum lætitia et cantu prolatam. Isa. LIV, 1 : *Decanta laudem, hinni, quæ non pariebas.* Ad Ephes. V, 19 : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus.* « *Cum docueris me justificationes tuas,* » fidei articulos, in quos animas justificas. Ad Roman. V, 1 : *Justificati ergo ex fide pacem habeamus.* Et operationes bonas : Dominus enim quos docuerit, non tantum in credendis illuminat, sed ad bona facienda excitat. Joan. VI, 45 : *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Venire autem ad Christum est bona facere, non tantum cognoscere. Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Eructat autem plenus, Eccli. XV, 5 : *Adimplebit illum Dominus,* etc. Sic plenus qui dicebat supra, Psal. XLIV, 2 : *Eructavit cor meum.*

172 « *Pronuntiabit lingua mea.* » Hic secundum, in quo dicuntur duo. Primo enim promittit veritatis prædicationem. Secundo, addit causam, ibi, « *Quia omnia.* »

Dicit ergo : Sic labia mea hymnum eructabunt, et etiam « *lingua mea pronuntiabit,* » aliis prædicando, « *eloquium tuum.* » Eccli. XXXVII, 26 : *Vir sapiens,* qui a Deo edoctus fuerit, *plebem suam erudit, et fructus sensus illius laudabilis,* supple, est. Et, XXXIX, 9 : *Tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* In Psal. XXXIX, 6, supra, dicebat instructus a Deo : *Annuntiavi et locutus sum.* Non ero sicut servus piger, qui abscondit talentum domini sui, et damnatus est [1].

« *Quia omnia mandata.* » Hic secundum hujus particulæ. Lingua mea pronuntiabit eloquium tuum, quod justum est pronuntiari, et publicari, « *quia omnia mandata tua æquitas,* » æquitate plena. II Esdr. IX, 13 : *Dedisti eis judicia recta,* etc. Ad Roman. VII, 12 : *Mandatum sanctum, justum, et bonum.* Ecce ergo, quomodo promittit enarrare ad gloriam Dei, si ei dederit scientiam, et vitam. Eccli. LI, 23 : *Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.*

« *Fiat manus tua.* » Hic tertium primæ partis, in quo tendens ad æterna, et intendens in illa, petit salutarem vitam, et æternam : et dicuntur duo. Primo, petit medium ad salvandum. Secundo, ostendit fructum, ibi, ỳ. 175 : « *Vivet anima mea.* » 173

In prima duo. Primo, petit divinum adjutorium ad salvandum generaliter. Secundo, ostendit desiderium ad adjutorium illud, ibi, ỳ. 174 : « *Concupivi salutare.* »

In prima duo. Primo, petit adjutorium. Secundo, addit causam quare debeat exaudiri, ibi, « *Quoniam mandata.* »

Dicit ergo : Sic da intellectum, et purifica affectum, et etiam « *fiat manus tua,* » potentia et adjutorium tuum, « *ut salvet me,* » ab omni miseria præsenti : hoc enim potest tua manus. Isa. LIX, 1 : *Ecce non est abbreviata manus*

[1] Cf. Matth. XXV, 24 et seq.

Domini ut salvare nequeat. Vel, salutare me protegendo ut nihil timeam, sed secure pronuntiare audeam ut promisi. Isa. XLIX, 2 : *In umbra manus suæ protexit me.* Vel, manum appellat Filium. Quasi diceret : Filius tuus, qui manus tua dicitur, Eccli. XXXVI, 7 : *Glorifica manum, et brachium dextrum : « Fiat, »* incarnetur. Joan. I, 14 : *Verbum caro factum est.* Et hoc, « *ut salvet me,* » et debet sic fieri : « *quoniam mandata tua,* » quidquid alii faciant, « *elegi :* » quippe ipsa sunt vita in præsenti. Deuter. XXX, 19 et 20 : *Elige ergo vitam, ut et tu vivas :... et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus.* Josue, XXIV, 22 : *Testes vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis ei.* Elegi, inquam, mandata tua de humilitate. Psal. LXXXIII, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare,* etc. Ad Hebr. XI, 25 : *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.*

174 « *Concupivi salutare tuum.* » Hic ostendit affectum suum ad adjutorium petitum, secundum unam lecturam. Vel, magis ponit rationem secundam, quare debeat salvari, scilicet desiderium salutaris.

Ait enim : Sic elegi mandata, et etiam « *concupivi salutare tuum, Domine,* » quidquid alii concupiscant. *Salutare* appellat hic divinum eloquium, cujus desiderat scire veritatem, et cognoscere quam sit salubre. Eccli. VI, 37 : *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei,... et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.* Et, Sapient. VI, 21 : *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum perpetuum.* Vel, salutare dicit Christum, qui non est tantum adjutorium salutis, sed etiam actor, et verum salutare. Isa. XXV, 9 : *Exsultabimus, et lætabimur in salutari ejus.* Genes. XLIX, 18 : *Salutare tuum exspectabo, Domine.*

« *Et lex tua.* » Hic ratio tertia, legis scilicet meditatio post mandatorum electionem, et salutaris concupiscentiam.

Ait enim : Sic mandata elegi, et salutare concupivi, propter quod debeo salvari : « *Et* » etiam « *lex tua est meditatio mea.* » Deuter. VI, 7 : *Meditaberis in eis in domo tua sedens, et in via ambulans.* I ad Timoth. IV, 15, dicit Paulus Timotheo : *Hæc meditare : in his esto.* Eccli. XIV, 22 : *Beatus vir qui in sapientia commorabitur, et in justitia sua meditabitur.*

« *Vivet anima mea.* » Hic secundum, 175
in quo subjungit salutaris fructum, quem tangit duplicem, vitam, et laudem, ibi, « *Et laudabit te.* »

Ait enim : Sic petii, ut manus tua fiat ad salvandum me : quod si fecerit manus tua, « *anima mea vivet,* » conjuncta vitæ suæ quæ Deus est. Deuter. XXX, 20 : *Ipse est vita tua.* Osee, VI, 3 : *Vivemus in conspectu ejus.* Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Ad Colos. III, 3 : *Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

« *Et laudabit te.* » Hic tangit secundum, scilicet laudem. Et primo, tangit laudem. Secundo, quoddam excitativum ad laudem, ibi, « *Et judicia tua.* »

Dicit ergo : Sic vivet anima, et laudabit te, aliter non posset, nisi viva. Isa. XXXVIII, 18 : *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Et, paulo post, ℣. 19 : *Vivens vivens ipse confitebitur tibi.* Eccli. XVII, 26 : *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.* Sed vivens vita gloriæ, ille laudabit. Isa. LXV, 14 : *Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos præ contritione spiritus ululabitis.* Job, XXXIII, 26 : *Videbit faciem ejus in jubilo.* Isa. XXX, 29 : *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis.*

« *Et judicia tua.* » Ecce secundum, scilicet excitativum ad laudem.

Ait enim : Sic anima mea vivens laudabit te : et ad vivendum fortius et vehementius « *adjuvabunt me judicia tua,* » quibus in futuro judicabis. Quis enim videns rectitudinem Dei in puniendo malos, et remunerando bonos, non prorumpet in laudem mirabilem Dei, et justitiæ ejus, et dicet : *Domine Deus omnipotens, justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum*[1]. Judicia etiam, quibus flagellas, et judicas me in præsenti, adjuvabunt me ad vivendum vita æterna, et laudandum, quia et carnalia desideria reprimunt, et spiritum ferventiorem reddunt. Gregorius : « Mala quæ nos hic « premunt, ad Deum nos ire compel« lunt. » Propter hoc dicitur, Ezech. IX, 6 : *A sanctuario meo incipite.* Et, I Petr. IV, 17 : *Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei.* Judicia autem tua, quibus reprimis malos, ne sæviant quantum volunt, adjuvabunt me, in præsenti ut multiplicer magis, dicit de Ecclesia. Per flagella enim magis est dilatata. Psal. IV, 2 : *In tribulatione dilatasti mihi.* Judicia etiam tua, quibus judicatus es, adjuvabunt me. Cogitant enim sancti, quomodo Christus pro ipsis judicatus est. Proverb. XII, 5 : *Cogitationes justorum judicia,* et sic libenter sustinent mala, et armantur patientia. Ad Hebr. XII, 3 : *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.* I Petr. IV, 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.*

176 « *Erravi sicut ovis quæ periit.* » Hic secunda pars totius octonarii, in qua postquam oravit ardenter, sciens humilitatem esse scalam ad ascendendum, orat hic humiliter, et propriam confitetur miseriam. Tria ergo dicuntur hic. Proprii erroris humilis et simplex confessio. Secundo, devota petitio, ibi, « *Require.* » Tertio, allegatio meriti proprii, ne videretur omnino præsumere, ibi, « *Quia mandata.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, da intelligentiam, da affectionis puritatem, et veram confer vitam, quia, o Domine, confiteor, et dico : « *Erravi,* » et periculose, quia « *sicut ovis quæ periit.* » Isa. LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus : unusquisque in viam suam declinavit.* Erravimus omnes in illa prima ove, quæ condita fuit in innocentia, Adam scilicet. Ad Roman. V, 12 : *In quo omnes peccaverunt.* I Petr. II, 25 : *Eratis sicut oves errantes,* imo periclitatæ. Thren. III, 54 : *Inundaverunt aquæ super caput meum : dixi : Perii.* Luc. XV, 24 : *Filius meus mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.*

« *Quære servum tuum,* » id est, require : unde Glossa legit, « Require : » sic enim promisisti per prophetam, Ezech. XXXIV, 16 : *Quod perierat, requiram.* Luc. XV, 4 : *Quis ex vobis homo qui habet centem oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto,* cœlo scilicet, *et vadit ad illam quæ perierat.*

« *Quia mandata tua non sum oblitus,* » sed teneo illa memoria : etsi per me proficere non valeo, nec opere adimplere. Proverb. III, 1 : *Fili, ne obliviscaris legis meæ, et mandata mea cor tuum custodiat :* tu enim inscripsisti ea in meo. Jerem. XXXI, 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum superscribam eam.* Quod ergo memoriter impressisti in meo corde, fac exterius exercere in opere.

Vides quanto desiderio hic desiderat oratione appropinquare Deo, ad ipsum intrare, et tandem vita vivificari æterna : et hæc omnia non per se, sed reducentem se ad vitam salvatorem posse : et in hoc consummatio est, nec est jam ulterius quid quærere debeam. Eccli.

[1] Apocal. XV, 3.

xliii, 29: *Consummatio sermonum ipse est in omnibus*. Propter hoc hic littera Hebræa thau (ת), quæ interpretatur *consummatio*, bene præponitur. In Filio enim Dei hominem assumente, plena est et integra universi consummatio.

PSALMUS CXIX.

Vitæ miserias luget, ab his liberari efflagitat.

1. Canticum graduum.
Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me.
2. Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa.
3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?
4. Sagittæ potentis acutæ, cum carnibus desolatoriis.
5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar:
6. Multum incola fuit anima mea.
7. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

IN PSALMUM CXIX

COMMENTARIUS.

Canticum graduum[1].

« *Ad Dominum cum tribularer.* » Hic est Psalmus decimus nonus in tertia quinquagena, quæ est tertia pars totius hujus libri: et est primus inter quosdam Psalmos, quorum quilibet « *Canticum graduum* » intitulatur.

Cum enim in antecedenti Psalmo loquens Ecclesia diversa merita tetigerit filiorum, incipientium, proficientium, et perfectorum, ut inde laudetur Deus, et glorificetur, hic consequenter ne credatur unicum membrum Ecclesiæ ab infimo peccati usque ad summum non posse

[1] Avec ce psaume commence la série des Cantiques המעלות, *hammahaloth*, des montées. L'explication la plus accréditée suppose que les *hammahaloth* ne sont autre chose que les ascensions ou montées des pélerins à Jérusalem. La ville est en effet située sur l'un des points culminants de la Palestine, et l'on disait toujours « monter à Jérusalem. » Matth. xx, 18; Marc. x, 32; Luc. ii, 42; Joan. ii, 13. La loi commandait aux Juifs de faire à certaines époques le pélerinage de la ville sainte, Deuter. xvi, 16, et l'épisode évangélique de Jésus au temple, Luc. ii, 41, nous apprend que le voyage se faisait ordinairement en grand cortège. La pensée de Jéhova ne pouvait certainement être absente d'un pélerinage entrepris en son honneur, et les *psaumes graduels* étaient destinés à entretenir cette pensée le long de la route. Leur contenu, d'ailleurs, convenait parfaitement à la circonstance. Plusieurs de ces cantiques rappellent les épreuves et le retour des captifs; or les épreuves se renouvellent souvent pour le serviteur de Dieu sur le chemin de la vie, et il est bon de se souvenir que pour arriver à la « vision de paix, » il faut souffrir. Le psaume CXX assure aux pélerins que Jévoha veille sur eux; au psaume CXXI, ils se réjouissent d'arriver à Jérusalem; au psaume CXXIII, ils remercient Dieu des périls auxquels ils ont échappé en

ascendere, ostendit quindecim gradus ascendentis ad Deum animæ, ipso Deo eam promovente : unde et ipse mirabiliter et magnifice laudandus : et hoc in his quindecim Psalmis, qui hic per ordinem supponuntur, qui eodem modo intitulantur. Et loquitur in omnibus his vir perfectus, ostendens per quos gradus usque ad summum perfectionis ascenderit, Omnipotentis manu adjuvanti. Quoniam autem hic ascensus cum lætitia mentis recolitur, et spirituali exsultatione, recte *Canticum graduum*, Psalmus quilibet intitulatur : Canticum enim est mentis exsultatio pro æternis.

Ordo autem Psalmorum in ipsa lectione clarius exponitur, hoc tantummodo prænotato, quod quinque primi pertinere videntur ad recessum a malo, sequentes vero quinque ad profectum in bono, et quinque ultimi ad perfectionem in bono.

Petit Prophetæ a malis sæculi liberari.

Et quia primus omnium gradus ascendendi cum recedit quis a malo, est suspirare, et sui liberationem petere a Deo, in hoc Psalmo, in quo agitur de primo gradu, agitur de petitione et clamore existentis in peccato pro liberatione.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. In prima petitio et clamor ad Dominum, ut a miseria liberetur. Secundo, specificatio quorumdam impedimentorum impedientium liberationem, ibi, ℣. 5 : « *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est !* »

In prima tria. Primo, petitio ut a malo liberetur, et fructuosa. Secundo, petentis deliberatio, secundum unam lecturam, quomodo possit impleri sua petitio, vel Domini interrogatio facta ipsi petenti, ibi, ℣. 3 : « *Quid detur tibi ?* » Tertio, solutio ipsius post deliberationem, vel responsio Domini, ibi, ℣. 4 : « *Sagittæ potentis.* »

In prima duo. Primo, fructuosa petitio pro liberatione sui a malo generaliter. Secundo, specificat a quo velit potissime liberari, et specialiter, ibi, ℣. 2 : « *Domine, libera animam meam.* »

1 Prima pars Psalmi.

In prima tanguntur quatuor. Primo, innuit orationem suam fuisse rectam, ibi, « *Ad Dominum.* » Secundo, necessariam, ibi, « *Cum tribularer :* » tunc enim potissime tempus est clamandi. Osee, VI, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Tempus exaudiendi, quia, Eccli. XXXV, 26 : *Speciosa miseri-*

route, périls sérieux, surtout pour ceux qui avaient à traverser le pays des Samaritains ; le psaume CXXVII rappelle les bénédictions réservées au serviteur de Jéhova ; le psaume CXXIX est un acte de contrition, le psaume CXXX, un acte d'humilité, le psaume CXXXII, un acte de charité fraternelle, sentiments exigés de celui qui veut approcher du Seigneur. Dans le psaume CXXXI sont résumés les titres de Sion à la vénération des pèlerins ; enfin le psaume CXXXIII est une invitation aux lévites du temple, pour qu'ils ne cessent de bénir Dieu. Ces cantiques seraient donc vraiment adaptés à leur rôle de « chants des montées. » Aquila, Symmaque et Theodotion les ont probablement compris de la sorte, car ils les appellent : ᾆσμα τῶν ἀναβάσεων ou εἰς τὰς ἀναβάσεις. Il est possible aussi à la rigueur, que ces chants aient été composés et chantés pour la première fois par les Juifs qui revenaient de Babylone sous la conduite de Zorobabel ou d'Esdras ; mais alors il faudrait prendre les mots « in domum Domini ibimus » du psaume CXXI dans un sens asez large.

Cet *hammahaloth* (Psaume CXIX) est postérieur à la captivité, mais d'un auteur totalement inconnu. Il y est parlé de langues perfides, qui ont attiré sur le psalmiste toutes sortes de maux, et de gens grossiers au milieu desquels il lui faut vivre : dans ces tristes occurrences, le secours de Dieu ne lui fait point défaut. La plupart des commentateurs pensent que les plaintes du psalmiste font allusion à la perfidie des Samaritains et à l'hostilité des peuplades qui entouraient les Juifs, après leur retour de Babylone.

Au sens spirituel, c'est une prière de l'âme chrétienne qui demande à être délivrée de l'exil de ce monde.

H. Lesêtre.

cordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. « *Clamavi,* » sicut Jonas, Jon. II, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum.* « *Et exaudivit me.* » Isa. LXV, 24 : *Et erit antequam clament, ego exaudiam : adhuc illis clamantibus, ego audiam.*

2 « *Domine libera.* » Hic secundum, in quo specificat a quo malo proprie petat liberari. Et primo, quia a malo linguæ aperte mala suggerentis. Secundo, a malo linguæ occulte mala suadentis, ibi, « *Et a lingua dolosa.* »

Dicit enim : Sic clamavi ad Dominum, nec infructuose. Et quid petivisti? Clamavi dicens : O « *Domine, libera animam meam,* » non dico corpus, et terram meam, quia scio illud Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.* A quo? « *A labiis iniquis,* » malum mihi suadentibus. Eccli. XII, 15 : *In labiis suis indulcat inimicus, et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.* Talia enim labia disperdis. Supra, in Psal. XI, 4 : *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam.*

« *Et a lingua dolosa,* » mala occulte machinante. Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans,* quæ percutit latenter, *lingua eorum : dolum locuta est.* Job, V, 21 : *A flagello linguæ absconderis.* Debemus autem petere ut liberemur a lingua, et labiis malis. Primo, avaritiæ, quæ non loquitur nisi de terrenis. Isa. XXIX, 4 : *De terra loqueris, et de humo eloquium tuum mussitabit.* Joan. III, 31, secundum communem litteram : *Qui de terra est, de terra loquitur.* Luxuriæ, de qua, Eccli. IX, 11 : *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans.* Detractionis, de qua, in Psal. LVI, 5 : *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus.* Adulationis, Proverb. VII, 21 : *Irretivit eum multis sermonibus, et blanditiis labiorum pertraxit eum.* Proverb. XI, 9 : *Simulator ore decipit amicum suum.* Susurri, Eccli. XXVIII, 15 : *Susurro, et bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes.* Hæreticæ pravitatis, II ad Timoth. II, 16 et 17 : *Profana et vaniloquia devita :... sermo enim eorum ut cancer serpit.* Psal. XIII, 3 : *Venenum aspidum,* etc.

« *Quid detur tibi.* » Hic secundum, in quo subjungitur petentis deliberatio, et sibi colloquentis, quid remedii contra hoc poterit apponi. 3

Ait ergo : Sic petii a labiis iniquis liberari animam, et a lingua dolosa, sed o tu, anima mea, ut ipse qui petit deliberando loquatur secum Vel, ut sit vox Dei, o tu quem labia iniqua affligunt, et dolosa lingua, « *quid detur tibi,* » primo, « *aut quid apponatur tibi,* » postquam fuerit datum, « *ad,* » id est contra, « *linguam dolosam?* » Quasi diceret : Difficile est invenire : et si inventum fuerit, difficile est uti : Dominus tamen, qui medicus summus est, ipse invenit medicinam. Eccli. LI, 3 : *Liberasti corpus meum a perditione.* Et subdit, ibidem : *A laqueo linguæ iniquæ, et a labiis operantium mendacium.* Una autem medicina est, ut aures obstruantur. Eccli. XXVIII, 28 : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam :* aliter vix evadere poteris. Indomabilis enim est lingua. Jacob. III, 8 : *Linguam nullus hominum domare potest : etenim lingua est inquietum malum, plena veneno mortifero.*

« *Sagittæ potentis.* » Hic tertium, scilicet solutio post deliberationem : vel, ipsius Domini responsio, post factam a seipso quæstionem. Et duo docet apponenda vel danda remedia. Sacræ Scripturæ verba primo. Secundo, sanctorum exempla, ibi, « *Cum carbonibus.* » 4 **Remedium contra labia iniqua et linguam dolosam.**

Dicit ergo : Sic delibero, quid dabi-

tur tibi, o anima mea, contra prædicta mala. Vel sic : Quæro a te, dicit Dominus, et respondeo : « *Sagittæ potentis* » sermonis Dei, scilicet sacræ Scripturæ auctoritates, « *acutæ,* » penetrabiles. Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Istæ sunt sagittæ de quibus, Isa. XIII, 18 : *Sagittis parvulos interficient.* Jerem. LI, 11 : *Acuite sagittas, implete pharetras.*

« *Cum carbonibus.* » Sanctorum scilicet exemplis, « *desolatoriis,* » carnalium cogitationum : unde alia littera habet, « Vastatoriis : » qui enim bene considerat Sanctorum exempla, quantum sustinuerunt, non solum a labiis et linguis iniquis, sed etiam persecutoribus crudelissimis, omni ira et impatientia contra detractores, et ad malum trahentes desolatur, et vastatur. Ezechiel. x, 2 : *Imple manum tuam prunis ignis,* scilicet carbonibus, *quæ sunt inter Cherubim,* plus est enim facere quam scire, *et effunde super civitatem,* id est, Ecclesiam, ut ad bonum inflammetur. Tob. VI, 8 : *Cordis ejus particulam,* cujuslibet piscis, et curiosi discurrentis per mundum, *si super carbones ponas,* id est, super exempla Sanctorum, *fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.*

5 Secunda pars Psalmi. « *Heu mihi, quia incolatus meus!* » Hic secunda pars Psalmi, in qua postquam ostendit se orasse, cum esset in miseriis pro sua liberatione, specificat impedimenta detinentia, ut non posset exire : et dicuntur duo. Primo, impedimenta enumerat, et tangit. Secundo, ostendit qualiter se habuerit, quantum ad aliquid illorum, ibi, ℣. 7 : « *Cum his qui oderunt.* »

In prima tria, secundum tria impedimenta quæ tangit. Primum, exsilii prolongatio. Secundum, cum malis habitatio, ibi, « *Habitavi cum habitantibus.* » Tertium, mentis evagatio, ibi, ℣. 6 : « *Multum incola.* »

Dicit ergo : Sic clamavi, deliberavi, et inveni : vel Dominus interrogavit, et ipsemet solvit : et etiam clamando, et suspirando dixi : « *Heu mihi!* » væ et miseria est mihi, et est impedimentum ad bonum, « *quia incolatus meus,* » in his miseriis, « *prolongatus est.* » Job, x, 1 : *Tædet animam meam vitæ meæ.* Sapient. II, 1 : *Cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Sic gemebat Apostolus, qui dicebat, ad Roman. VII, 24 : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

« *Habitavi cum habitantibus Cedar.* » Ecce secundum. Heu est mihi, quia incolatus meus est prolongatus! sed si cum bonis esset habitatio, hoc aliquid esset : sed « *habitavi cum habitantibus Cedar.* » Cedar fuit malus, fuit enim de filiis Ismael : sed secundum hoc melior alia translatio quæ habet, « cum tabernaculis Cedar, » hoc est, cum tabernaculis malorum, qui per Cedar sunt intelligendi. Si autem est, *Habitavi cum habitantibus Cedar,* ibi *Cedar* sumitur pro interpretatione sua : interpretatur enim *tenebræ :* et est sensus : Habitavi cum habitantibus tenebras, cum malis scilicet, qui habitant tenebras peccatorum per amorem. Joan. III, 19 : *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Job, XXX, 29 : *Frater fui draconum, et socius struthionum.* Ezechiel. II, 6 : *Fili hominis,... increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Thren. I, 3 : *Habitavit inter Gentes, nec invenit requiem.*

« *Multum incola.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic incolatus meus prolongatus est, inter malos scilicet, inter quos et « *anima mea,* » quæ deberet divinis intendere, « *fuit multum incola,* » id est, in multos incola, et vagando, et discurrendo per multa. Vel, *multum incola,* multum his terrenis infixa. Isa. LII, 4 : *In Ægyptum descendit populus meus, ut colonus esset* 6

ibi, peregrinus a Deo et patria sua propria. II ad Corinth. v, 6 : *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.*

« *Cum his qui oderunt.* » Hic secundum, in quo ostendit qualiter se habuerit cum illis malis, cum quibus habitavit, quia patienter. Unde primo, ostendit patientiam. Secundo, patientiæ vehementiam, ibi, « *Cum loquebar illis.* »

Ait ergo : Sic habitavi cum habitantibus Cedar, et tamen « *cum his*, etc. » Vel : Sic longus fuit incolatus, nec modicum gravis, quia « *cum his qui oderunt pacem*, » cum schismaticis, et discordibus, « *eram pacificus*, » attendens illud Apostoli, ad Ephes. iv, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Et illud ejusdem, ad Hebr. xii, 14 : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Ad Roman. xii, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes :* quia, Matth. v, 9 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

Nec tantum pacem habui ad verba, sed etiam ad facta : quia et ipsi « *impugnabant me gratis*, » omnino sine causa, « *cum loquebar illis*, » illos volens corripere de male gestis. Isa. lii, 4 : *In Ægyptum descendit populus meus,... et Assur absque ulla causa calumniatus est eum*, non nisi quia eum corripiebat. Proverb. ix, 7 : *Qui arguit impium, sibi maculam generat.* Et, xv, 12 : *Non amat pestilens eum qui se corripit.* Proverb. xiii, 1 : *Qui illusor est, non audit, cum arguitur.* Amos, v, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.*

PSALMUS CXX.

Securus qui se Deo committit.

Canticum graduum.

1. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi [1].
2. Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.
3. Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.
4. Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.
5. Dominus custodit te, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.
6. Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.
7. Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.
8. Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

[1] II Paralip. xx, 17.

IN PSALMUM CXX

COMMENTARIUS.

Canticum graduum[1].

Confidit Propheta auxilio Dei et sanctorum.

« *Levavi oculos meos.* » Hic secundus gradus. Postquam enim ostendit se orasse cum esset in miseriis pro liberatione, hic ostendit confidentiam se habuisse in oratione, et consolationem.

Consolationem autem ostendit in duobus. In confidenti oratione, et animæ propriæ allocutione, ibi, ℣. 3 : « *Non det in commotionem.* »

In prima duo. Primo, ostendit in quibus habeat fiduciam secundario. Secundo, in quo principaliter, et primo, ibi, ℣. 2 : « *Auxilium meum.* »

In prima duo. Primo, erectio cordis ad sanctos. Secundo, exspectatio subventionis ab illis, ibi, « *Unde veniet ?* »

I

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic clamavi existens in miseriis. Quasi diceret : Inclinatus adhuc in primo gradu, et paululum surgens ad secundum, « *levavi oculos meos,* » interiores et mentales, non corporales, quorum erectio signum superbiæ est. Proverb. xxx, 13 : *Generatio cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ in alta surrectæ.* Et, Eccli. xxiii, 5, rogat : *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Sed mentalium bona elevatio. Genes. xviii, 2 : *Cumque elevasset oculos suos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Sed quo levasti ? « *In montes,* » Sanctos scilicet vita, et scientia, et charitate ad Deum sursum elevatos. Job, ix, 8 : *Circumspicit montes pascuæ suæ, et virentia quæque perquirit.*

Isti sunt montes a Deo librati, et distincti. Isa. xl, 12 : *Montes libravit in pondere, et colles in statera.* Montes, quos ille sol æternus illuminat. In Psal. lxxv, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Quos calore charitatis inflammat. Eccli. xliii, 4 : *Sol tripliciter exurens montes.* Exurit, ut omnem malitiam in illis consumat. Exurit, ut ardenter bonum appetere faciat. Exurit, ut tamquam flammam bonum opus emittant. Ad hos montes oculi sunt levandi. Primo, ut visa eorum rectitudine, nostram deviationem et tortitudinem agnoscamus. Job, xxxiii, 27 : *Respiciet homines, et dicet : Peccavi, et vere deliqui.* Ut visa eorum munditia, de nostra immunditia confundamur. Ezechiel. xliii, 10 : *Fili hominis, ostende domui Israel templum, et confundantur ab iniquitatibus suis,* bona scilicet confusione. Ut in ipsis tamquam in libris a Deo scriptis quid agendum sit legamus. Job, xxxi, 35 : *Librum scribat ipse qui judicat.* II ad Corinth. vii, 2, dicit unus liber : *Capite nos,* id est, quæ in nobis sunt : *neminem læsimus, neminem corrupimus.* Ut bonum propositum concipiamus. Genes. xxx, 37 et seq., Oves Laban ad virgarum intuitum concipiebant, sed decorticatarum, id est, paupe-

Oculi in sanctos intendendi.

[1] Au lieu d'être intitulé comme les autres psaumes de la série, *shir hammahaloth*, celui-ci à un titre légèrement différent : *shir lammahaloth*, Symm. : ᾠδὴ εἰς τὰς ἀναβάσεις, cantique pour les montées. C'est un acte de confiance absolue en la puissante protection de Dieu durant le voyage. Les mots *shomer*, gardien, et *shamar*, garder, y sont chacun répétés trois fois en parlant de Dieu. Herder suppose ce psaume chanté par un vieillard en faveur de son fils qui part pour la ville sainte ; s'il convient bien à une pareille situation, il n'est pas moins propre à ranimer le courage et la confiance du voyageur pendant la route.

Cette protection, que chante le psalmiste, est assurée aussi au chrétien qui accomplit le pélerinage de cette vie, en tenant les yeux levés vers les montagnes éternelles.

H. Lesêtre

rum. Ut eorum exemplo mala mundi conculcemus. Jerem. XLV, 4 et 5 : *Ecce quos ædificavi*, virtutibus scilicet, *ego destruo*, quantum ad corpus : *et quos*, in divitiis, *plantavi, ego evello*, ab illis scilicet, *et universam terram hanc : et tu quæris tibi grandia ?* Ut ex his bonis quæ illis contulerit Deus, gratias Deo agamus. Apocal. IV, 11 : *Dignus es accipere gloriam, et honorem, et virtutem :* quia tunc casta omnia, et propter voluntatem tuam erant. Ultimo, ut ab iis auxilium exspectemus, sicut hic dicitur :

« *Unde,* » id est, a quibus montibus, « *auxilium veniet mihi.* » Sancti enim suis nos adjuvant orationibus. Apocal. V, 8 : *Habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* II Machab. XV, 14, dicitur de sancto Jeremia : *Hic est fratrum amator, et populi Israel : hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate.* IV Reg. VI, 17 : *Aperuit Dominus oculos pueri,* Elisei scilicet, *et vidit, et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisei.*

2 « *Auxilium meum a Domino.* » Hic secundum : ostenso enim in quibus habeat confidentiam secundario, hic in quo principaliter. Et primo, confitetur in Deo auxiliandi auctoritatem. Secundo, potestatem, ibi, « *Qui fecit.* »

Dicit ergo : Sic confidens levavi oculos meos ad Sanctos, per eos auxilia impetrando, sed « *auxilium meum,* » præcipue et primo, « *a Domino.* » Isa. L, 7 : *Dominus Deus auxiliator meus.* Osee, XIII, 9 : *Perditio tua, Israel,* ex te scilicet : *tantummodo in me auxilium tuum,* tamquam ex principali auctore. Deuter. XXXIII, 26 : *Ascensor cœli auxiliator tuus.* Et potest bene, « *qui fecit,* » id est, quia ille fecit, « *cœlum,* » omnem supremam naturam, « *et terram,* » omnem scilicet infimam. Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Isa. XLV, 12 : *Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego : manus meæ extenderunt cœlos.* Ad Coloss. I, 16 : *In ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra.*

« *Non det in commotionem.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in quo monstratur confidentia per animæ propriæ allocutionem. Alloquitur autem eam primo pro ea supplicando, ut in gradu in quo est, conservetur a Domino. Secundo, ut conservata confirmetur in bono majori, et perfecto, ibi, in medio ỳ. 7 : « *Custodiat animam.* » 3 Secunda pars Psalmi.

In prima tria. Primo, petit. Secundo, ostendit promptitudinem Domini, ad hoc quod petit, ibi, ỳ. 4 : « *Ecce non dormitabit.* » Tertio, tamquam certus, completum esse asserit quod petit, ibi, ỳ. 5 : « *Dominus custodit te.* »

In prima duo, secundum duo quæ pertinent ad conservationem in bono in quo est. Primo, ne recidat in culpam præteritam. Secundo, ne torpeat, quod est quædam præparatio ad ruinam, ibi, « *Neque dormitet.* »

Dicit ergo : Sic, anima mea, auxilium meum a Domino, et propter hoc ipsum rogo, « *non det pedem tuum,* » affectum tuum, » *in commotionem,* » ne recidat per culpam, sicut supra timebat, in Psal. LXXII, 2 : *Mei autem pene moti sunt pedes, pene,* etc. Ex pede enim sic moto lætatur diabolus, et irridet. In Psal. XXXVII, 17, supra : *Dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.* Qui autem pedem fortiter fixerit, et direxerit ad bonum, nihil timebit. Proverb. IV, 26 : *Dirige semitas pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur.* Hoc autem solus potest Dominus. Proverb. III, 26 : *Dominus erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum ne capiaris.* Propter hoc dicitur, Proverb. XII, 3 : *Radix justorum,* affectus qui est radix omnis boni, *non commovebitur.*

« *Neque dormitet,* » non in se, Deus enim in se numquam dormitat, sed in te per pigritiam, « *qui custodit te,* » sicut et omnium custos est. Job, VII, 20 : *Quid faciam tibi, o custos hominum?* Et, Isa. XXI, 12, dixit custos : *Si quæritis, quærite: convertimini, venite.* Ipse est Samaritanus, qui interpretatur *custos,* qui vulneratum suscipit [1]. Et quantum in se est semper vigilat custos iste. Jerem. I, 11 : *Virgam vigilantem ego video.* Quippe, Sapient. VI, 8 : *Cura est illi de omnibus.* Aliquando tamen dormit in cordibus pigritantium, quod significatum fuit, Matth. VIII, 24, ubi legitur, quod in navi dormiebat [2].

4 « *Ecce non dormitabit.* » Hic secundum hujus partis, in quo ostendit, quod ad dandum petitum promptus sit, et ad utrumque petitorum : unde duobus præmissis, scilicet *non det, neque dormitet,* respondet duo quæ dicit : « *Non dormitabit neque dormiet.* »

Ait enim : Sic peto, o anima, et tamen scio, quod ille « *qui custodit Israel,* » unde et te custodiet, si volueris esse Israel, videns scilicet Deum : custodit, inquam, per gratiam. Job, x, 12 : *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Et per Prælatorum et Angelorum diligentiam. Isa. LXII, 6 : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.* « *Non dormitabit,* » sicut petitum est : *Non det in commotionem, neque,* etc. Isa. v, 27 : *Ecce non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus.* Jerem. XXXI, 28 : *Vigilabo super eos ut ædificem et plantem,* eos scilicet, et custodiam ædificatos et plantatos sicut vineam, Isa. XXVII, 3 : *Nocte et die servo eam.* Significatus per Jacob, qui dicebat : *Die noctuque æstu urebar, et gelu,* etc.[3].

« *Dominus custodit te.* » Hic tertium in quo certus asserit se jam habere quod petebat, alloquens animam suam. Et primo, ostendit quod custodit animam potenter. Secundo, quod diligenter, ibi, ỳ. 6 : « *Per diem sol.* » Tertio, quod generaliter, ibi, ỳ. 7 : « *Dominus custodit te ab omni malo.* » 5

Dicit ergo : Sic petii ut te custodiat, promptum esse ipsum ostendi : et sic jam reputo impetratum, quia « *Dominus custodit te,* » in bono quod habes : « *Dominus protectio tua,* » a malo, ne in illud recidives. Proverb. II, 7 : *Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter.* Eccli. LI, 2 : *Adjutor et protector factus es mihi.*

Et hoc, « *super manum dexteram tuam,* » id est, fortius, et potentius, quam posset te custodire et protegere dextera tua. Isa. XLIX, 2 : *In umbra manus suæ protexit me,* melius quam ego possem me protegere. Eccli. VI, 14 : *Amicus fidelis protectio fortis.* Iterum, manus sinistra est in nobis potestas a Deo nobis data ad regendum et conservandum temporalia. Per sinistram enim temporalia intelliguntur, secundum illud Cantic. II, 6 : *Læva ejus sub capite meo,* id est, temporalia a Deo mihi data sub mente sunt : *et dextera,* æterna bona, secundum illud idem, *et dextera illius amplexabitur me.* Per manum autem potestas intelligitur, Eccli. XVIII, 21 : *Mors et vita in manu linguæ.* Sensus est ergo : Dominus custodit te, et protegit existens super potestatem ab ipso tibi datam, ad bona æterna acquirenda. Dedit quidem tibi potestatem ad æterna bona. Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sed nec per illam potestatem attinges ad illa, nisi per ipsum custodientem et protegentem illa, et quasi etiam manu tenentem, et regentem, secundum illud Isa. XLI, 13 : *Ego Domi-*

[1] Cf. Luc. x, 33 et seq.

[2] Matth. VIII, 24 : *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus : ipse vero dormiebat.*

[3] Genes. XXXI, 40.

nus apprehendens manum tuam, Et, xlv, 1 : *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes.*

6 « *Per diem sol.* » Hic secundum, quod custodit scilicet diligenter. Et primo, quia custodit in prosperitatis die. Secundo, quod in adversitatis nocte, ibi, « *Neque luna.* »

Dicit ergo : Sic custodit fortiter, et etiam ipso protegente, et custodiente, « *sol,* » malæ concupiscentiæ, « *non uret te,* » bonum gratiæ desiccando, ad peccatum inflammando, sicut illi, de quibus, Matth. xiii, 6 : *Sole autem orto,* concupiscentiæ carnalis, *æstuaverunt.* Et hoc « *per diem,* » temporalis prosperitatis : de quo, Eccli. xi, 27 : *In die bonorum ne immemor sis malorum.*

« *Neque luna,* » timor malo humilians, et instabilem animum reddens. Eccli. xxvii, 12 : *Stultus sicut luna mutatur.* « *Per noctem,* » adversitatis, de qua, Proverb, xxxi, 18 : *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.*

Vel, sol appellatur divinitas, quæ est lux, imo finis totius luminis, et lucis. I Joan. i, 5 : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Dies hujus solis est sapientia. Job, i, 4 : *Ibant filii ejus,* scilicet Job, *et faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo.* Sensus ergo est : Christi divinitas non te opprimet in die sapientiæ, cum divinam inquires sapientiam, sicut illos, de quibus dicitur, Proverb. xxv, 27 : *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Luna etiam, Christi caro. Cantic. vi, 9 : *Pulchra ut luna, electa ut sol.* Pulchra ut luna, in nativitate : electa ut sol, in resurrectione. Nox autem cognitio imperfecta. Supra, in Psal. xviii, 3 : *Nox nocti indicat scientiam.* Sensus ergo est : « *Neque luna,* » id est, Christi caro, « *uret te,* » errare te faciet per noctem cognitionis ænigmaticæ et obscuræ. I ad Corinth. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate :* et non erramus, sed magis promovemur. II ad Corinth. iii, 18 : *Transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

« *Dominus custodiat introitum* [1]. » Hic secundum, in quo specificat quomodo petit custodiri, quia consummate, et perfecte : quia primo petit ipsum custodiri in initio, et in fine cujusque operis : ut « bonis principiis, sicut dicit Glossa, boni exitus adjungantur. » Secundo, perpetuo, ibi, « *Ex hoc nunc.* » 8

Ait ergo : Sic petii, ut custodiat animam, sed sic custodiat, ut « *Dominus custodiat introitum tuum,* » in opus bonum, « *et exitum tuum,* » ab illo opere. I Reg. xxix, 6 : *Exitus et introitus tuus mecum est.* Joan. x, 9 : *Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur,* ad operationem bonam : *et egredietur,* terminando ipsam : *et pascua inveniet,* in omnibus delectationem, et spiritualem refectionem. Apocal. i. 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.*

Et hoc faciat « *ex hoc nunc et usque in sæculum,* » id est, semper sic te conservet, ut impleat illud Matth. xxviii, 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quod nobis concedat, etc.

[1] Deest in editione Lugdunensi et in mss. quæ ad manum habuimus commentarius in ℣. 7. Cf. Comment. in ℣. 5.

PSALMUS CXXI.

Ecclesiæ concordia, pietas et dotes celebrantur.

1. Canticum graduum.
Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus.
2. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.
3. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.
4. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.
5. Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.
6. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, et abundantia diligentibus te.
7. Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.
8. Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem de te.
9. Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

IN PSALMUM CXXI

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

« *Lætatus sunt in his quæ dicta sunt mihi* [1]. » Hic est Psalmus vigesimus primus in tertia parte libri, in toto libro centesimus vicesimus primus, in ordine vero graduum tertius.

Postquam enim ostendit se ad hoc pervenisse, ut in Sanctis, et Sanctorum conditore Deo fiduciam haberet, ostendit etiam ulterius se ascendisse, ut de tali confidentia lætaretur et exsultaret. Primo enim anima volens a malo recedere, gemit pro miseriis in quibus versatur. Secundo, confidit in Sanctorum meritis,

[1] Le texte hébreu, dit M. l'abbé Lesêtre, porte en titre le nom de David, qu'on ne trouve point dans les versions. Il est possible que le psaume ait été composé par le saint roi à l'usage des Israélites qui avaient à se rendre à Jérusalem ; il aurait été inséré postérieurement dans le recueil destiné aux pèlerins. La « maison de Jéhova » serait alors pour David le sanctuaire de Sion, appelé « maison » dans bien des psaumes certainement antérieurs à la construction du temple, et la « maison de David » serait cette descendance promise formellement au saint roi, III Reg. vii, 16, et à aquelle il voudrait attacher inviolablement le peuple d'Israël. Un certain nombre d'auteurs anciens et modernes admettent l'authenticité du titre hébreu, et sont à même de la défendre par des raisons assez plausibles. Beaucoup d'autres cependant sont d'un avis différent; le silence des versions est tout d'abord une forte présomption en faveur de leur sentiment ; on peut remarquer ensuite avec Perowne que le ỳ. 4 suppose un usage déjà établi d'assez longue date, et que le suivant s'entend beaucoup plus naturellement d'une époque postérieure à David. Aussi trouvons-nous plus probable l'avis de M. le Hir qui voit dans ce chant un psaume fait à l'imitation de ceux de David. Il

et in Deo, et oculos extollit ad illos. Tertio, concepta spe salutis, et perveniendi ad vitam, lætatur, et erigit oculos ad æterna bona. Et de gradu hoc tertio agitur in hoc Psalmo, nec mutatur titulus, nec in verbis, nec in verborum substantia, nisi quod magis hic competit quod dicitur « *Canticum,* » quia aperte agitur de lætitia spirituali.

Gaudet Propheta ex spe ad supernam Jerusalem perveniendi.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, affirmat se lætari de spe perveniendi ad cœlestem Jerusalem. Secundo, converso sermone ad majores, optat civibus pacis abundantiam, et hoc ex charitate, ibi, ỳ. 6 : « *Rogate quæ ad pacem.* »

In prima tria. Primo, affirmat cordis proprii lætitiam. Secundo, tangit lætitiæ rationem, ibi, « *In his quæ dicta sunt mihi.* » Tertio rationis certitudinem, ibi, ỳ. 4 : « *Illuc enim ascenderunt.* »

1 Dicit ergo : Sic levavi oculos ad montes, et auxilium meum in Domino totum posui : et tunc « *lætatus sum,* » corde. I Reg. II, 1 : *Exsultavit cor meum in Domino.* Spei enim est gaudium generare in corde, et lætitiam. Ad Roman. XII, 12 : *Spe gaudentes.*

Prima pars Psalmi.

« *In his quæ dicta sunt mihi.* » Hic secundum, in quo subjungitur lætitiæ ratio duplex. Magnitudo auditorum primo : et efficacia, sive virtus secundo, ibi, ỳ. 2 : « *Stantes erant.* »

Et in prima duo. Primo, assignat pro ratione generali ea quæ audivit. Secundo, specificat quæ, vel quid audierit, ibi, « *In domum.* »

Dicit ergo : Sic dixi me lætatum : et ecce in quo : « *In his quæ dicta sunt mihi,* » a Prophetis, et Doctoribus omnibus, sacris Apostolis, et aliis exterius in aure corporis, ut sic crederem. Ad Roman. x, 17 : *Fides ex auditu.* Matth. XIII, 9 : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Non enim sum de illis, de quibus conqueritur Isaias, Isa. LIII, 1 : *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?*

« *In domum Domini.* » Ecce specificat quid audierit, quia hoc, « *in domum Domini,* » latam, et spatiosissimam, Baruch, III, 24 : *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus.* Securam et pacificam, Isa. XXXV, 9 : *Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Opulentam, et omni bono refertam : unde, ibidem, in Isaia, sequitur : *In tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* « *Ibimus,* » non passibus pedum corporalium, sed affectionum sanctarum, et spiritualium. Infra, in Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant, et flebant.* Sic ibant illa animalia sancta, de quibus, Ezechiel. I, 14 : *Ibant et revertebantur.* Sic monet Paulus non tantum ire, sed etiam currere, I ad Corinth. IX, 24 : *Sic currite, ut comprehendatis.*

Domus De ampla et omni bono refecta.

« *Stantes erant.* » Hic secundum, scilicet fructus et efficacia auditorum. Hi autem fructus, hæc efficacia, quia affectum elevat ad æterna infimis derelictis. Duo ergo dicuntur. Primo, affectuum ad æternam Jerusalem elevatio. Secundo, ipsius Jerusalem, ut magis exprimatur 2

serait alors contemporain des autres psaumes graduels, sans qu'on puisse en déterminer rigoureusement la date.

Le pélerin, arrivé aux portes de la ville sainte, se rappelle toutes ses gloires, se félicite d'y être arrivé et prie pour sa prospérité. Jérusalem est l'image de la Jérusalem spirituelle, qui est l'Eglise, et de la Jérusalem céleste. « Qui spe cœlestis desiderii destinetur, dit S. Hilaire, nil obscuritatis in psalmo habe« bit. » Et S. Prosper ajoute : « In illa cœlesti « Jerusalem quæ est sanctorum omnium ma« ter, filii ipsius se stare lætantur. Qui licet in « via sint, et adhuc illo tendant, ita tamen « quasi pervenerint gaudent, quia de adipi« scendis fides firma non dubitat. »

ratio gaudii, descriptio, ibi, ỳ. 3 : « *Jerusalem quæ ædificatur.* »

In prima duo. Primo, affectuum ad æterna elevatio. Secundo, elevatorum stabilitas, et erectio, ibi, « *Stantes erant.* »

Dicit ergo : Sic divisus sum in auditis, et dum dicerentur ista præ gaudio, « *pedes mei,* » interiores affectus, de quibus, Jerem. II, 25 : *Prohibe pedem tuum a nuditate.* Ezechiel. I, 7 : *Pedes eorum* (dicitur de animalibus sanctis) *pedes recti.* « *Erant in atriis tuis,* » non proprie hic accipit *atria,* quæ sunt pars exterior domus, sed pro interioribus, et penetralibus domus, ut erant pedes illius, qui dicebat, ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et illius, qui similiter dicebat, Job, VII, 15 : *Elegit suspendium anima mea.* Et hic, « *stantes,* » erecti fortiter, et stabiliti ne cadant. I ad Corinth. X, 12 : *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ut parate et prompte tibi deserviant : servientis enim est stare, III Reg. XVII, 1 : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* Ut fortiter pugnent contra adversarios, mundum, carnem, diabolum. Psal. XXXIX, 3 : *Qui statuit super petram pedes meos.* Et alibi, Psal. XXX, 9 : *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Ut alios, si opus sit, adjuvent : adjuvantium enim est stare, Act. VII, 55, Stephanus vidit Jesum stantem [1], tanquam adjuvare paratum. Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate.* Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.*

3 « *Jerusalem quæ ædificatur.* » Hic secundum, in quo ad majoris gaudii expressionem, subjungitur illius Jerusalem descriptio, in qua stabant pedes. Describitur autem a duobus. A civium inhabitantium unione, quemadmodum in materiali civitate. A possessionis identitate : idem enim omnes ibi participant, ibi, « *Cujus participatio.* »

Dicit ergo : Tantæ efficaciæ sunt audita, ut in atriis Jerusalem stare faciant pedes meos : illius, inquam, Jerusalem, non quæ in terris est, sed « *Jerusalem quæ* » in cœlis « *ædificatur* » ex vivis lapidibus, « *ut civitas,* » ut sit in illa civium unitas sub iisdem legibus, et Rege uno, et eodem. Hæc unitas de qua, supra, in Psal. LXXXVI, 3 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Et, Apocal. XXI, 10 : *Ostendit mihi civitatem novam Jerusalem.* Hæc civitas quæ ædificata est et fundata in sapphiris, cœlestibus scilicet viris. Isa. LIV, 11 : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris :* habens portas ex sapphiris, et smaragdis. Ad ipsam enim est introitus per Apostolos, qui cœlestes fuerunt, et fideles, et fidei promulgatores. Tob. XIII, 21 : *Portæ Jerusalem ex sapphiro et smaragdo ædificabuntur* [2].

« *Cujus participatio.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic ædificatur ut civitas, « *cujus* » etiam « *participatio ejus* » est, non in diversum, sicut in aliis civitatibus, unus unum possidet, et alius aliud, sed « *in idipsum* », ut unum et idem, quod semper est idipsum immutabile et invariabile, sit ab omnibus participatum. Si enim idem participatur in Ecclesia militanti adhuc, secundum illud Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una,* unum scilicet nosse, et unum velle, quanto magis in illa triumphante ? Hoc est unum de quo, in Psal. XXVI, 4, supra : *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Et de quo, Luc. X, 42 : *Porro unum est necessarium.* Hoc idipsum, quod semper idem est, et vere est, quod dicit, Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum.* In quem non cadit non esse, nec alio modo esse. Jacob. I, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Bonum cœlestis Jerusalem totum et immutabiliter participatur ab omnibus et singulis civibus.

[1] Act. VII, 55 : *Et ait,* Stephanus scilicet : *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.*

[2] Cf. Apocal. XXI, 19.

4 « *Illuc enim ascenderunt.* » Hic tertium, in quo subjungitur rationis certitudo, quæ tangitur duplex. Primo, minorum justorum ascensio ad illam civitatem. Secundo, quod etiam fortius est, majorum dispositio in illa, ibi, ỳ. 5 : « *Quia illic sederunt.* »

In prima duo. Primo, minorum justorum ascensio. Secundo, finis et ratio ascensus illorum, ibi, « *Ad confitendum.* »

Ascendentium justorum etiam minorum tangitur duplex conditio necessaria ad ascensum. Interior justitia coram Deo, et exterior ostensa etiam proximo, et manifestata, ibi, « *Testimonium.* »

Dicit ergo : Sic dixi me lætatum, quia in illam supernam Jerusalem ibimus : et unde hoc scis ? unde certus existis ? Ecce : « *Enim,* » quia « *illuc ascenderunt tribus,* » non quæcumque, sed « *tribus Domini :* » coram Domino justæ et sanctæ. Et in hoc quod dicit, *tribus,* notantur minores. Job, III, 19 : *Parvus et magnus ibi sunt.* Hæ sunt tribus quæ mutuo se invitant, Isa. II, 3 : *Venite, ascendamus ad montem Domini.* Zachar. XIV, 16 : *Ascendent ab anno in annum,* quolibet anno scilicet, *ut adorent Regem, Dominum exercituum.*

« *Testimonium Israel.* » Hoc secundum. Quasi diceret : Sic ascenderunt tribus Domini, quæ sunt « *testimonium,* » per opera sua bona, « *Israel,* » id est, quæ sunt in Israel, vel seipsas esse verum Israel. Matth. VII, 16 : *A fructibus eorum cognoscetis eos,* id est, ab operibus. Omnis enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Joan. X, 25 : *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Vel, « *testimonium* » perhibentes « *Israel :* » dativi casus, de bonitate Dei per opera sua bona, secundum illud Matth. V, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

« *Ad confitendum.* » Ecce ad quid ascenderunt, « *ad confitendum,* » confessione laudis, « *nomini Domini,* » illius civitatis. Isa. LI, 11 : *Venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum.* Augustinus : « Videbimus, « amabimus, laudabimus. » Hæc confessio, de qua supra, Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis, et confessionis,* etc.

« *Quia illic sederunt.* » Hic secundum, 5
in quo probatur et ostenditur certitudo, ex dispositione majorum in illa. Et tangitur illorum dispositio, comparatione ad Deum, cum in judicio assidebunt. Secundo, comparatione ad populum judicandum, super quem dispositi erunt, ibi, « *Sedes super domum.* »

Dicit ergo : Sic sunt ibi majores, et etiam certus sum de præmissis : quia « *illic,* » in illa Jerusalem, « *sederunt in judicio,* » tamquam cum Christo judicantes. Matth. XIX, 28 : *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos,* etc. Daniel. VII, 9 : *Throni positi sunt, et antiquus dierum sedit.* « *Sedes,* » sancti majores, in quibus Deus sedet, et per quos judicat. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum mea sedes,* supple, est. Sapient. X, 16, dicitur de sapientia : *Intravit in animam servi Dei.*

« *Sedes super domum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic cum Deo positi erunt in judicio sancti, qui sunt ejus sedes, « *sedes,* » inquam, existentes « *super domum David,* » super bonos etiam, sed imperfectos. Sicut enim super illos fuerunt dispositi in præsenti, primo ut eos custodiant, Matth. XXIV, 46 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram ?* sic ibi disponentur ut majorem gloriam habeant. Ibidem, ỳ. 47 : *Super omnia bona sua constituet eum* [1].

[1] Cf. Luc. XII, 42 et seq.

G

Secunda pars Psalmi.

« *Rogate quæ ad pacem sunt.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua promissa lætitia et causa lætitiæ, quia audivit se iturum in domum Domini, et certus fuit, verba convertendo ad judices, orat ut ad illam æternam pacem, et abundantiam veniatur. Primo ergo monet judices, ut quod in se est faciant. Secundo, orat, ibi, ỳ. 7 : « *Fiat pax in virtute.* » Tertio, causam sic orandi assignat, ibi, ỳ. 8 : « *Propter fratres meos.* »

In prima duo. Primo, monet diligenter judices, quæ pertinent ad pacem inquirere, et ad illam ductiva. Secundo, quæ ad abundantiam, ibi, « *Et abundantia.* »

Dicit ergo : Sic majores sedebunt judices, ut reddant secundum merita ; ergo, o vos qui sic sessuri estis, « *rogate,* » interrogate diligenter, et inquirite, « *quæ ad pacem sunt Jerusalem,* » illius supernæ ducentia, ut sciatis consequenter, qui sunt illi pro quibus judicandum, vel contra quos judicandum. I ad Corinth. II, 15 : *Spiritualis judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.* Sancti enim qui judicaturi sunt, habebunt quasi interrogandi officium, sicut judices : unde de Domino dicitur, in Psal. x, 6, supra : *Dominus interrogat justum et impium,* Sic legit Glossa. Aliter potest legi, ut sit ad omnes sermo. Quasi diceret : Sic perveniemus ad illam supernam Jerusalem, si fuerimus de infima Jerusalem, et pacifici in illa, et propter hoc, o vos omnes, « *rogate,* » id est, a Deo petite, « *quæ ad pacem sunt Jerusalem,* » adhuc militantis valentia. Jerem. XXIX, 7 : *Quærite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea Dominum.* Tob. XIII, 18 : *Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua.* I Esdræ, IX, 8 : *Facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, ut... daretur nobis pax illius* [1] *in loco sancto ejus.*

« *Et abundantia.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic interrogate, per quæ venitur ad pacem, et per quæ quæritur pax. Interrogate etiam vos judices per quæ est « *abundantia* » æterna, non omnibus, sed, « *diligentibus te,* » supple, o Domine. Et hæc sunt opera misericordiæ : per illa enim venitur ad pacem, et ad æternam abundantiam. Matth. v, 7 : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Quam pacem scilicet et abundantiam innuit, Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ,* ecce pax : *et in requie opulenta,* ecce abundantia. Isa. LX, 5, de abundantia : *Tunc videbis, et affluces.*

H

« *Fiat pax in virtute.* » Hic secundum, in quo orat : et primo, orando petit charitate mediante ad pacem venire, et ipsam in nobis fieri. Secundo, ad abundantiam, ibi, « *Et abundantia.* »

Dicit ergo : Sic rogate vos, judices, vel orando, vel interrogando : et ego ipse rogo, o Domine, « *fiat pax,* » et in præsenti, et in futuro, de qua duplici pace, Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Gregorins : « Hic relinquo, illic do. » Et hoc « *in virtute tua,* » id est, per virtutem tuam, scilicet charitatem : charitas enim generat pacem. Ad Galat. v, 22 : *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax,* etc. Præmisit *charitatem,* ut tamquam generata ab ea supponeret gaudium et pacem. Et, ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unitatem spiritus* dixit charitatem, ex qua sequitur vinculum pacis.

« *Et abundantia.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic rogo, quod pax fiat per eamdem virtutem, scilicet charitatem : « *et,* » per pacem etiam, « *in turribu stuis,* » in majoribus et sublimioribus qui sunt in cœlis, tanta scilicet « *abundantia,* » ut influant aliis. Deuter. XXXIII, 23 : *Nephtali abundantia perfructur.* Nephtali interpretatur, *dilatavit me,* et signat

[1] Vulg. habet *paxillus* et non *pax illius.*

perfectiores in charitate dilatatos. Hi etiam sunt turres. Cantic. VII, 4 : *Collum tuum sicut turris eburnea.* Isa. V, 2 : *Plantavit vineam, et ædificavit turrim in medio ejus.* Et hanc abundantiam in alios merendo transfundunt, a quibus bona temporalia receperunt, sicut dicit Glossa.

8 « *Propter fratres meos.* » Hic tertium, scilicet ratio sic orandi, vel ita prædicandi bona illius supernæ Jerusalem : et dicuntur duo. Primo, propter quid, et quæ fuerit ratio petendi, vel prædicandi pacem ejus. Secundo, petendi, vel prædicandi abundantiam, ibi, ℣. 9 : « *Propter domum Domini.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, sed prædicavi pacem supernæ Jerusalem, et, o tu Jerusalem, « *loquebar,* » vel orando, vel aliis prædicando, « *pacem* » prædicavi « *de te :* » et hoc, « *propter fratres meos,* » mihi sanguine et cognatione conjunctos, « *et proximos,* » affines scilicet in civitate. Vel, *fratres* dicit conjunctos fide, *proximos,* conjunctos charitate, ut ad illam pacem illos oratione attraherem, prædicatione allicerem, quod multum placet Deo. Isa. LII, 7 : *Quam pulchri sunt super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem !* hoc enim ipsemet fecit. Ad Ephes. II, 17 : *Veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe,* etc. Et maxime quando fit propter fratres : tunc enim ex charitate fit, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum, I ad Corinth. XIII, 5 : *Charitas... non quærit quæ sua sunt :* quam vult nos habere præ omnibus, et super omnia. Ad Coloss. III, 14 : *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.*

« *Propter domum Domini.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic propter alios quæsivi pacem, et etiam, o tu Jerusalem, « *quæsivi* » orando, prædicando, non propter me, sed « *propter domum Domini Dei nostri,* » charitativa inquisitio, « *bona tibi,* » id est, bona quæ in te sunt : illuminatio intellectus et splendor, Baruch, V, 3 : *Deus ostendet splendorem suum in te.* Consolatio affectus, Isa. LXVI, 13 et 14 : *In Jerusalem consolabimini : videbitis, et gaudebit cor vestrum.* Benedictio utriusque, intellectus et affectus, Tob. XIII, 16 et 17 : *Benedicti erunt qui ædificaverint te. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum,* ipsum bonitatis fontem, Deum scilicet. Amos, V, 14 : *Quærite bonum, et non malum, ut vivatis.* Et quærite me, et invenietis, ad quem nos perducat, etc. 9

PSALMUS CXXII.

Actus fiduciæ in Deum tempore tribulationis.

Canticum graduum.

1. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.
2. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ : ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
3. Miserere nostri, Domine, miserere

nostri, quia multum repleti sumus despectione :
4. Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

IN PSALMUM CXXII

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

Confugit Propheta ad Deum, et supplex poscit ut a præsentibus ærumnis liberetur.

« *Ad te levavi oculos meos*[1]. » Hic est Psalmus centesimus vicesimus secundus in toto libro, vicesimus secundus in tertia parte libri, et inter Psalmos Graduales quartus.

Cum enim in primo actum sit de clamore pro liberatione a miseria præsenti, in secundo de fiducia liberationis, in tertio vero de lætitia ex consideratione finis miseriæ et tribulationis, subjungitur hic de continuatione supplicationis pro liberatione a malo et præsentibus ærumnis. Titulus sicut superius expositus est, sic est exponendus.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. In prima, exprimit desiderii sui vehementiam. In secunda, subjungit petitionem, ibi, ỹ. 3 : « *Miserere nostri.* »

Vehementiam desiderii ostendit ex duobus. Ex intentionis rectitudine, et post ex continuatione, et sollicitudine intendendi, ibi, ỹ. 2 : « *Ecce sicut oculi.* »

Dicit ergo : Sic lætatus sum, finem laboris attendendo, et ulterius ascendens, o tu « *qui habitas in cœlis,* » materialibus per majorem tui manifestationem. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea,* supple, est, *et terra scabellum pedum meorum.* Supra, in Psal. CXIII, 16 : *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Et in spiritualibus, scilicet Angelis per fruitionem. Jerem. XXIII, 24 : *Cœlum,* angelicam scilicet creaturam, *et terram,* inferiorem scilicet, *ego impleo.* Et in hominibus sanctis, in quibus habitas per amorem. Psal. X, 5 : *Dominus in templo sancto suo : Dominus in cœlo sedes ejus.* Anima enim justi sedes est sapientiæ. Sapient. VII, 27 : *In animas sanctas se transfert.* Matth. VI, 9 : *Pater noster, qui es in cœlis.* « *Ad te levavi oculos meos,* » interiores scilicet, intentionem totam in te et ad te dirigendo, non ad opes terrenas quæ possideri non possunt. Proverb. XXIII, 5 : *Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere.* Proverb. XVII, 24 : *Oculi stultorum in finibus terræ.* Sed, Eccle. II, 14, dicitur : *Sapientis oculi in capite ejus.* Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* In cœlo, Daniel. IV, 31 : *Oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi.*

Levandi ad Deum oculi multipliciter.

Levandi autem sunt oculi ad ipsum, tamquam ad speculum, ut sordes nostras certius cognoscamus. Sapient. VII, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.* Tamquam ad librum, in quo quomodo sordes lavandæ sint legamus. Hic est liber scriptus intus in divinitate, ut ibi legat Angelus : et foris in humanitate, ut ibi legat homo[2]. Tam-

[1] La situation que suppose ce psaume est celle d'un peuple opprimé par des impies, et se tournant vers Jéhova, dont il se dit le serviteur, pour en obtenir miséricorde. Ce peuple est Israël, soit pendant la captivité, soit pendant les premières années du retour, quand d'orgueilleux voisins s'acharnaient contre lui, II Esdræ, II, 19.
Le chrétien en butte aux tentations et aux persécutions peut redire avec fruit cette courte prière.

H. LESÊTRE

[2] Cf. Ezechiel. II, 9.

quam ad exemplar, ut quid agendum fuerit post emundationem plenius cognoscamus. Exod. xxv, 40 : *Inspice, et fac*, omnia scilicet, *secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Tamquam adjutorem in omnibus his, ut totum ei tribuamus, Act. vii, 55, Stephanus ad ipsum stantem in cœlis oculos levavit, et erexit. Tamquam ad finem et amorem nostrum, ut ei hæreamus, quia ubi amor, ibi oculus. Matth. vi, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum*.

2 « *Ecce sicut oculi*. » Hic secundum, in quo ostendit vehementiam desiderii ex continuatione, et sollicitudine, et hoc exemplo duplici. Exemplo servi primo in Dominum intendentis, ut per ipsum a flagellis liberetur. Exemplo ancillæ exspectantis mercedem a domina, ut ab ea remuneretur, ibi, « *Sicut oculi ancillæ*.

Dicit ergo : Sic levavi oculos meos, intentionem dirigens in te, et non sine sollicitudine, quia « *ecce sicut oculi servorum*, flagellatorum, vel afflictorum, « *in manibus dominorum suorum*, » supple, intendunt diligenter et sollicite. Et, « *sicut oculi ancillæ*, » in officio humiliatæ, « *in manibus dominæ suæ*, » a qua remunerationem exspectat ex labore : « *ita oculi nostri*, » interiores, « *ad Dominum Deum nostrum*. »

Hic ergo advertendum, quoniam homo secundum corpus dici potest servus, et ancilla quantum ad animam. Sapient. ix, 4 : *Noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus ego sum*, quantum ad corporis miseriam. Proverb. xxxi, 15 : *Dedit prædam domesticis suis*, Angelis : *et cibaria ancillis suis*, animabus sanctis. Dei autem manus est ejus potentia. I Paralip. xxi, 13 : *Melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes ejus, quam in manus hominum*. Iterum, in eodem, xxix, 12 : *Tu dominaris omnium : in manu tua virtus et potentia : in manu tua magnitudo*. Oculus autem noster interior est intentio et voluntas : et est dexter et sinister. Matth. vi, 22 : *Si oculus tuus*, intentio et voluntas, *fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. Hi debent omnino in Deum dirigi. Psal. xxiv, 15, supra : *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet*, etc. II Paralip. xx, 12 : *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*.

Et hoc, « *donec misereatur nostri*, » non quod postea non sint ad Dominum oculi levandi, postquam fuerit misertus, sicut ibi : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos*, etc. [1]. Vel, notandum quod *donec* aliquando ponitur exclusive, sicut, Joan. xxi, 22 : *Sic eum volo manere, donec veniam* : ut cum venero, jam sic non maneat. Aliquando inclusive, sicut dicitur : Non pœnituit donec venit ad mortem : nec propter hoc intelligitur, quod in morte pœnituerit. Sic potest hic accipi. Aliquando accipitur pro *ut*, et specialiter hic, ut dicatur : *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*, id est, ut misereatur nostri. Ad hunc ergo oculi levandi, et ab ipso misericordia exspectanda. Joel, i, 20 : *Bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te*. Quia, Eccli. xxxv, 26, dicitur : *Speciosa est misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis*.

Donec sumitur multis modis.

« *Miserere nostri, Domine*. » Hic secunda pars Psalmi : præmissa enim desiderii vehementia, subjungitur petitio ex desiderio orta. Duo autem dicuntur. Primo, petitio. Secundo, necessitatem suæ petitionis ostendit, ibi, « *Quia multum repleti sumus despectione*. » 3

Secunda pars Psalmi.

[1] Psal. cx, 1

Dicit ergo : Sic ad te, Domine, oculos levavi, dicens : « *Miserere nostri, Domine,* » miserias corporis amovendo : « *miserere nostri,* » miserias animæ annullando. Eccli. XXXVI, 1 : *Miserere nostri, Deus omnium, et respice in nos.* Isa. XXXIII, 2 : *Domine, miserere nostri : te enim exspectavimus.* Isa. XXX, 19 : *Miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.*

« *Quia multum.* » Hic tangitur petendi necessitas. Et primo, ex parte miseriarum. Secundo, ex parte miserias infligentium, ibi, in medio ỳ. 4 : « *Opprobrium abundantibus.* »

In prima duo. Primo, miserias tangit generaliter. Secundo, animæ specialiter, ibi, ỳ. 4 : « *Quia multum repleta est anima.* »

Dicit ergo : Sic dico, Miserere nostri, et necesse habeo clamare, « *quia multum repleti sumus despectione,* » causis scilicet despectionis, multiplicibus scilicet miseriis et magnis. II Esdræ, IV, 4 : *Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui.* Job, XII, 21 : *Effundit despectionem super principes,* super sanctos et justos. Sed ad cumulum meriti illorum. Isa. LX, 15 : *Pro eo quod fuisti despecta*[1], *et odio habita,* etc. Et vere omni despectione pleni sumus. Bernardus : « In « sordibus generamur, in menstruis con« fovemur, in doloribus parturimur, ante « exitum miseras matres nostras onera« mus, in exitu more viperæ laceramus : « et mirum quod non ipsi pariter la« ceramur : nascimur plerumque leprosi, « surdi, muti, mutilati, deformes, mon« struosi. Concipit mulier cum immundi« tia et fœtore, parit cum tristitia et do« lore, nutrit cum angustia et labore, « custodit cum sollicitudine et timore. In« gressus in hanc vitam est miserabilis, « progressus culpabilis, egressus damna« bilis. »

Homo valde contemptibilis.

4 « *Quia multum repleta est.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic repleti sumus despectione, propter quod clamo, et etiam « *anima nostra multum repleta est* » miseriis, non solum corpus. Thren. I, 20 : *Subversum est cor meum,... quoniam amaritudine plena sum.* Et, in Psal. LXXXVII, 4, supra : *Repleta est malis anima mea.*

« *Opprobrium abundantibus.* » Hic ratio secunda, in qua a parte infligentium miserias monstrat clamandi necessitatem. Et construatur sic : Multum repleta est miseriis anima, anima, inquam, facta « *opprobrium abundantibus,* » divitibus scilicet hujus mundi, « *et* » facta « *despectio superbis.* » Job, XII, 4 et 5 : *Deridetur justi simplicitas : lampas contempta apud cogitationes divitum.* Proverb. XXIX, 27 : *Abominantur impii eos qui in recta sunt via.* I ad Corinth. IV, 13 : *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Michol despexit humilem David[2], et Herodes Christum[3]. Sed in caput illorum sua despectio convertetur. Isa. XXXIII, 1 : *Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris ?... cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* II Esdræ, IV, 4 : *Audi, Deus noster, quia facti sumus despectui : convertere opprobrium super caput eorum, et da eos in despectionem in terra captivitatis.*

[1] Vulg. habet *derelicta.*
[2] Cf. II Reg. VI, 20.
[3] Cf. Luc. XXIII, 11.

PSALMUS CXXIII.

Hortatio ad gratias agendum Deo, soli liberatori.

1. Canticum graduum.
Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel,
2. Nisi quia Dominus erat in nobis : cum exsurgerent homines in nos.
3. Forte vivos degluttissent nos :
Cum irasceretur furor eorum in nos,
4. Forsitan aqua absorbuisset nos.
5. Torrentem pertransivit anima nostra : forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.
6. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.
7. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus.
8. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.

IN PSALMUM CXXII

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

« *Nisi quia Dominus erat in nobis* [1]. » Hic est Psalmus centesimus vigesimus tertius in toto libro, in tertia parte libri vigesimus tertius, et in Gradualibus quintus, ultimus inter quinque primos, qui pertinent ad recessum a malo.

Postquam enim clamavit ad Dominum pro liberatione sui a malo, postmodum ascendit ad confidentiam de liberatione, et ulterius ad lætitiam pro liberationis fine, et adhuc plus ad orationis continuationem et fervorem, hic agitur de eo quod ultimum, scilicet de gratiarum

Propheta gratias agit Deo, quod ejus misericordia a malis sit ereptus.

[1] Dans le texte hébreu, dit M. l'abbé Lesêtre, ce psaume porte en titre le nom de David, comme le Psaume CXXI. L'auteur y reconnait qu'il a été en butte à une violente persécution à laquelle il eût succombé, si Dieu ne fût venu à son secours. Ces idées peuvent parfaitement convenir à David, soit après la persécution de Saül ou la révolte d'Absalon, soit après la guerre contre les Syriens et les Ammonites, et un certain nombre de commentateurs admettent qu'il est l'auteur du psaume. Nous ferons remarquer pourtant que dans les psaumes où il parle de ses épreuves au temps de Saül ou d'Absalon, David ne prie ordinairement ou ne remercie qu'en son nom personnel, II Reg. xxii, 2-7, etc., tandis qu'ici le psalmiste s'exprime au pluriel ; ensuite la guerre contre les ennemis du dehors n'offrit peut-être pas des dangers assez terribles pour justifier toutes les expressions de ce cantique. Le nom de David n'étant point dans les versions, il nous est permis de tirer de ce silence la même conclusion qu'au Psaume CXXI. L'auteur se serait contenté d'imiter David, auquel il emprunte plusieurs de ses idées. Les périls dont il parle sont ceux de la captivité, et les persécutions qui accueillirent les Juifs à leur retour de Babylone. Tel est le sentiment de Théodoret, de S. Jean Chrysostôme, de Bellarmin, et du plus grand nombre des modernes.

actione pro liberatione, præmisso titulo consueto, et consueto modo exponendo.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, invitatio omnium generaliter ereptorum a Deo a malis, ad gratiarum actionem. Secundo, solutio gratiarum pro omnibus, ibi, ℣. 6 : « *Benedictus Dominus.* »

In prima duo. Primo, monet gratias agere pro liberatione a persecutoribus. Secundo, pro liberatione a tentationibus, ibi, ℣. 5 : « *Torrentem.* »

In prima duo. Primo, invitat ad gratiarum actionem pro liberatione a persecutione majorum. Secundo, minorum, ibi, ℣. 4 : « *Cum irasceretur furor.* »

Numer. xvi, 33, Dathan, et Abiron *descenderunt vivi in infernum.* Hoc autem fit nisi Dominus sit in suis : sed quando est in ipsis, servat eos. Jerem. xiv, 9 : *Tu in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos.* Est autem in illis per naturæ conformitatem, et in omnibus hominibus. Isa. vii, 14 : *Vocabitur nomen ejus Emmanuel,* hoc est, *Nobiscum Deus*[1]. Baruch, iii, 38 : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Sed specialiter per gratiæ suæ infusionem. Zachar. ii, 10 : *Ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.* Ad Roman. v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Sed, in eodem, viii, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?*

Deus est in hominibus per naturæ conformitatem et gratiæ infusionem.

1, 2 et 3 Trium versuum qui sunt in prima parte pendet constructio, ut dicatur sic : « *Israel,* » populus scilicet videns Deum, « *dicat nunc,* » gratias referendo : « *Cum homines,* » potentes, et in superficie rationabiles, « *exsurgerent in nos,* » id est, contra nos, verbis, et factis nos persequendo, « *forte degluttissent nos,* » in malum scilicet induxissent, et hoc « *vivos,* » scientes, et prudentes, et malum certissime cognoscentes, « *nisi quia Dominus erat in nobis,* » dans virtutem superandi.

Prima pars Psalmi.

Nota ergo, quod diabolus per suos qui mala suggerunt, aliquando bonos degluttit, et incorporat sibi. Sic e contrario Deus per prædicatores suos, malos. Act. x, 13, dictum est Petro : *Occide, et manduca,* omnia scilicet genera reptilium, et serpentium. Hic autem est ordo. Primo, ponit quasi in ore suo, per mali suggestionem : secundo, masticat per deliberationem, sed degluttit per consensum, et vivum, quando mali quod facit habet cognitionem. Proverb. i, 12 : *Degluttiamus eum, sicut infernus viventem.* Jonæ, ii, 1 : *Præparavit Dominus piscem grandem, ut degluttiret Jonam.*

« *Cum irasceretur.* » Hic secundum, 4
et construe sic : Et etiam Israel dicat nunc, quoniam, « *aqua,* » populus scilicet labilis, et fluxibilis. Apocal. xvii, 15 : *Aquæ ubi meretrix sedet, populi sunt, et linguæ.* Vel, *aqua,* tribulatio a populis immissa in abundantia sicut aqua. Exod. xv, 10 : *Submersi sunt,* Ægyptii scilicet, *quasi plumbum in aquis vehementibus.* Psal. lxviii, 2 : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* « *Absorbuisset nos.* » Jerem. li, 34 : *Absorbuit me quasi draco.* Isa. xlix, 19 : *Longe fugabuntur qui absorbebant te.* Et hoc « *forsitan,* » nota est liberi arbitrii. « *Cum furor eorum,* » ipsi furibundi, « *irasceretur in nos.* » Proverb. xxvii, 4 : *Ira non habet misericordiam nec erumpens furor, et impetum concitati spiritus ferre quis poterit ?* Mali enim sine misericordia tamquam bestiæ ferocissimæ insurgunt contra bonos. Job, xvi, 10 : *Collegit furorem suum in me, et comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis.* Psal. cxi, 10 : *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet.*

[1] Cf Matth. i. 23.

5 « *Torrentem pertransivit.* » Hic secundum, in quo monet ad gratiarum actionem pro liberatione a tentatione. Et primo, a tentatione quæ ab hoste. Secundo, a tentatione quæ a carne, ibi, « *Forsitan pertransisset.* »

Dicit ergo : Sic dicat Israel præcedentia, et etiam dicat : « *Anima nostra pertransiit,* » perfecte transiit, « *torrentem,* » tribulationem cito transitoriam, sicut torrens cito transit, quæ infertur ab hostibus. Hic torrens quo caput nostrum abundantissime est potatum, Psal. CVII, 7 : *De torrente in via bibet.* Isa. XLIII, 16 : *Dominus dedit in mari viam, et in aquis torrentibus,* in tribulationibus scilicet transitoriis, *semitam.* Jerem. XXXI, 9 : *Adducam eos per torrentes aquarum in via recta,* etc.

« *Forsitan.* » Ecce secundum : et sicut vult Glossa, *forsitan* sumitur pro *putasne?*

Et est sensus : Sic autem pertransiit torrentem, et putasne « *anima nostra pertransisset,* » perfecte transisset, nisi quia Dominus erat in nobis, « *aquam intolerabilem?* » Quasi diceret : Nullo modo. *Aquam* autem *intolerabilem* appellat tentationem, seu tribulationem a carne. Isa. XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero.* Et, LI, 10 : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati.* Aquæ autem istæ aliquando quasi intolerabiles, quando fortes carnis ingruunt tribulationes, Dei permissione. Isa. VIII, 7 : *Ecce Dominus adducet super eos,* id est, adduci permittet, *aquas fluminis,* fluentis et instabilis carnis, *multas et magnas.* Sed Dominus aliquando temperat, et sustinere facit. I ad Corinth. X, 13 : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis,* etc.

« *Benedictus Dominus, qui non dedit.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua postquam præcessit invitatio ad gratiarum actionem, subjungitur gratiarum actio : ut sicut invitavit verbo, sic etiam invitet exemplo. Duo ergo dicuntur. Primo, gratias agit. Secundo, supponit beneficia, propter quæ sunt agenda, ibi, « *Qui non dedit nos.* » 6 **Secunda pars Psalmi.**

Dicit ergo : Sic monui Israel ad agendum gratias, et ipse dico primus : « *Benedictus Dominus.* » Supra, in Psal. CII, 1 : *Benedic, anima mea, Domino.* II ad Corinth. I, 3 : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi.*

« *Qui non dedit nos.* » Hic supponit beneficia propter quæ sunt agenda : et sunt duo. Primum, liberatio ab aperta persecutione, quæ significatur in dentibus. Secundum, ab occulta, quæ in laqueo designatur, ibi, ℣. 7 : « *Anima nostra.* »

Dicit ergo : Sic dico, quod benedictus est Deus, « *qui,* » id est, quia ille « *non dedit nos,* » id est, dari permisit, « *in captionem dentibus eorum,* » imo magis eripuit, sicut in persona ejus dicitur, Job, XXIX, 17 : *Conterebam molam iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Dentes dæmonum, aperti persecutores. Joel, I, 6 : *Dentes ejus ut dentes leonis.* Daniel. VII, 5, De ore ursi apparebant tres ordines dentium [1]. Nocent enim, et devorant blanditiis, minis, et tandem morsibus, factis scilicet, et violentia. Sed Dominus suos eripit. Isa. XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?* Equidem tolletur a forti præda, et quod captum a robusto fuerat, salvabitur. **Dentes dæmonum, aperti persecutores.**

« *Anima nostra sicut passer.* » Hic secundum beneficium, in quo tanguntur 7

[1] Daniel. VII, 5 : *Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit : et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus.*

duo. Primo, ereptio plena et liberatio a tentatione occulta. Secundo, per quem facta est liberatio, ibi, ℣. 8 : « *Adjutorium.* »

In prima duo. Primo, beneficium ereptionis a tentatione occulta. Secundo, plenæ et perfectæ liberationis, ibi, » *Laqueus contritus est.* »

In prima tria. Primo, secundum quid sunt erepti, quia secundum animam, non secundum corpus. Secundo, quomodo sunt erepti, quia « *sicut passer.* » Tertio a quo sunt erepti, ibi, « *De laqueo.* »

Dicit ergo : Sic non dedit nos in captionem dentibus, et etiam « *anima nostra,* » quidquid sit de corpore. Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.* Job, II, 6 : *Verumtamen animam illius serva.* « *Erepta est sicut passer* » eripitur, qui etsi relinquat plumam, tamen avolat aliquando. Sic sancti amittunt res, relinquunt corpora, et avolat anima. Levit. XIV, 4 et seq., Pro leprosi emundatione, unus passer, caro scilicet, immolabatur, et alius sinebatur avolare. « *De laqueo venantium,* » de tentatione occulta dæmonum. Hic est laqueus, de quo, Isa. XXIV, 17 : *Formido, et fovea, et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Super habitatores terræ dicitur esse. Thren. III, 52 : *Venatione ceperunt me quasi avem.* Non super sanctos volantes in aere : quia, Proverb. I, 17, dicitur : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Jerem. V, 26 : *Inventi sunt in populo meo viri impii laqueos ponentes, et pedicas ad capiendos viros.* Sapient. XIV, 11, dicitur : *Factæ sunt... in muscipulam pedibus insipientium.*

« *Laqueus contritus est.* » Hic monstratur plena et perfecta ereptio in duobus. In laquei contritione primo. Secundo, in ereptorum libertate, ibi, « *Et nos.* »

Dicit ergo : Sic dico, quod anima nostra erepta est sicut passer, et perfecte et plene, quia « *laqueus* » etiam « *contritus est,* » divitiarum, honorum, et deliciarum : totum enim transit, et annihilatur. I Joan. II, 17 : *Mundus transit, et concupiscentia ejus.* Isa. X, 27 : *Computrescet jugum a facie olei.* Jerem. XXX, 8 : *Conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam.* Diabolus enim hominem illaqueat, cum dejicit in culpam, sed quando inducit in consuetudinem, quasi in carcerem claudit : sed Dominus laqueum conterit, et carcerem frangit. Isa. XLV, 2 : *Portas æreas conteram ante eum, et vectes ferreos confringam.*

« *Et nos liberati sumus.* » I Machab. II, 60 : *Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.*

« *Adjutorium nostrum.* » Hic secun- 8
dum, scilicet liberatoris descriptio : in quo tangitur primo quis sit, quia Dominus dominio singulari. Secundo, qualis, quia potens potentia universali super omnem superiorem et inferiorem creaturam, ibi, « *Qui fecit cœlum.* »

Dicit ergo : Sic sumus liberati, sed a quo ? Ecce : « *Adjutorium nostrum,* » non a nobis, nec in nobis fuit, « *sed in nomine,* » id est, in invocatione, « *Domini,* » contra quem nullus potest prævalere omnino. Proverb. XXI, 30 : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Ad Roman. VIII, 31 : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Job, XLI, 1 : *Quis resistere potest vultui meo ?*

« *Qui fecit cœlum.* » Quasi diceret : Sic in nomine singularis Domini sumus adjuti, et potentis, « *qui,* » id est, quia ille « *fecit cœlum,* » omnem scilicet superiorem creaturam, « *et terram,* » scilicet inferiorem. Genes. I, 1 : *In principio creavit,* etc. Esther, XIII, 9 : *Domine,... in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere tuæ voluntati.*

Liberantur a Deo qui passeris habent proprietates.

Nota ergo, quod a Deo liberantur qui sunt passeres, scilicet illi qui sunt modici per humilitatem, Marc. X, 14 : *Sinite parvulos venire ad me.* Leves per

temporalium abrenuntiationem, Jerem. II, 23 : *Cursor levis explicans vias suas.* Agiles per charitatem, Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti qui ut nubes volant ?* Habitantes in foraminibus petrarum, per jugem passionis Christi meditationem, Isa. II, 10 : *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo.* Cantic. II, 14 : *In foraminibus petræ, in caverna maceriæ.*

PSALMUS CXXIV.

Fidelium Deus est tutela : impii peribunt.

1. Canticum graduum.
Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum, qui habitat
2. In Jerusalem.
Montes in circuitu ejus : et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.
3. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.
4. Benefac, Domine, bonis, et rectis corde.
5. Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. Pax super Israel !

IN PSALMUM CXXIV

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum*[1]. »

« *Qui confidunt in Domino.* » Hic est Psalmus centesimus vicesimus quartus in toto libro, in parte vero tertia vicemus quartus, et est sextus in Psalmis Gradualibus, et primus inter illos qui pertinent ad operationem boni, sive ad perfectionem in bono. Primus enim gradus est firmitas propositi perseverandi in bono, ex confidentia habita in Deo, et adjutorio gratiæ, et consideratione pœnæ deviantium a bono.

Argumentum Psalmi : Confidentia in Deo firmitas et perseverantia in bono.

Præposito ergo titulo consueto, primo tangitur firmitas propositi, ex confidentia habita in Deo. Secundo, petitio gratiæ divinæ, sine qua firmitas non potest stare, ibi, ℣. 4 : « *Benefac, Domine.* » Tertio, expressio pœnæ deviantium a bono inchoato, ibi, ℣. 5 : *Declinantes autem.* »

In prima duo. Primo, notatur confidentium in Deo firmitas. Secundo, firmitatis perpetuitas, ibi, « *Non commovebitur.* »

[1] La situation est la même qu'au Psaume CXXII. Israel, en butte à la persécution pendant la captivité et au retour, fait profession d'une parfaite confiance en la bonté, la puissance et la justice de Dieu. Ce psaume est très propre à soutenir le courage du chétien dans le temps des tentations.

H. Lesêtre.

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : « *Qui confidunt in Domino,* » non in mundo, supple, sunt firmi et stabiles, « *sicut mons Sion.* » Jerem. XVII, 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino.* Propter quod dicitur, Eccli. XI, 22 : *Confide in Deo, et mane in loco tuo.* Eccli. XXXII, 28 : *Qui confidit in eo,* scilicet in Domino, *non minorabitur,* sed stabit firmus.

« *Non commovebitur.* » Hic secundum. Quasi diceret : Qui confidit, stabilis erit : et « *qui habitat in Jerusalem* » illa superna per spem et confidentiam, « *non commovebitur in æternum.* » Proverb. XII, 3 : *Radix justorum non commovebitur.* II Machab. II, 61 : *Omnes qui sperant in eum,* scilicet in Dominum, *non infirmantur.* Proverb. X, 25 : *Justus quasi fundamentum sempiternum.* Sed opponitur : Quia multi habuerunt confidentiam, et in æternis spem, qui tamen postea moti sunt. Si dicatur, quod conjunctim intelligendum, hoc nihil est, quia non esset hoc magnum : dum enim confidit, certum est quod non cadet. Propter hoc dicendum, quod hoc dicitur propter charitatem, quæ sufficiens est omni tentationi resistere. Aliter autem exponitur in Glossa, dupliciter secundum duplicem litteram. Una habet utrumque verbum in plurali, *confidunt,* et *commovebuntur.* Alia habet in singulari utrumque, « confidit, » et « commovebitur. »

2 « *Montes in circuitu ejus.* » Hic est secundum, in quo monstratur firmitas in patiendis. Et primo, tangitur firmitatis oratio, protectio scilicet a Deo, et a sanctis. Secundo, a quo sit illa protectio, ibi, ℣. 3 : « *Quia non relinquet.* »

In prima duo secundum duplicem rationem protegendi. Primo, sanctorum custodia, vel hominum, vel Angelorum. Secundo, ipsius Dei, in quo est potestas prima protegendi, ibi, « *Et Dominus in circuitu.* »

Dicit ergo : Sic firmatus est qui confidit in Domino, ut faciat bonum, et etiam « *montes,* » sancti scilicet vita eminentiores, « *in circuitu ejus,* » ad quos oculos superius levavit, supra, Psal. CXX, 1 : *Levavi oculos meos in montes.* Zachar. IX, 8 : *Circumdabo domum meam ex his qui militant mihi.* Judith, VII, 8 : *Filii Israel non in lancea nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos.*

« *Et Dominus.* » Hic secundum, scilicet protectio ab ipso Domino. Et tangitur primo protectio. Secundo, protectionis duratio, ibi, « *Ex hoc nunc.* »

Dicit ergo : Sic sancti existentes in circuitu eos protegunt, « *et* » etiam « *Dominus* » est « *in circuitu populi sui.* » Zachar. II, 5 : *Ego ero eis murus ignis in circuitu.* Isa. XXVI, 1 : *Urbs fortitudinis nostræ Sion : salvator ponetur in ea murus et antemurale.* Necesse est enim Dominum custodire suos, et eos circuire : quia, I Petr. V, 8, dicitur : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit,* etc. Et membra, scilicet diaboli circumeunt. Psal. XI, 9, supra : *In circuitu,* supple, justorum, *impii ambulant,* ad subversionem illorum.

« *Ex hoc nunc et usque in sæculum* » futurum post istud. Hæc est duratio, hoc est quod promittit, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

« *Quia non relinquet.* » Hic secundum, in quo ostenditur a quo protegantur a Deo et a Sanctis. Primo, quia a pœna malis inflicta. Secundo, quia a culpa, ne cadant per impatientiam, vel alio modo in illa, ibi, « *Ut non extendant.* » 3

Dicit ergo : Sic dixi, quod Dominus est in circuitu suorum : quod patet, « *quia non relinquet Dominus,* » qui auferre potest, « *super sortem justorum,* » id est, super sanctos, qui sunt ejus sors, vel de sorte ejus. Ad Coloss. I, 12 : *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* « *Virgam peccatorum,* » id est, potestativam afflictionem : Dominus

enim aliquando super suos potestatem malorum dimittit, ut ab illis tamquam a quadam virga corrigantur. Isa. x, 5: *Væ Assur! virga furoris mei et baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea.* Sed hanc virgam Dominus non relinquit diu super suos, sed amovet illam. Isa. xiv, 5: *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium.* Nahum, i, 13: *Conteram virgam ejus de dorso tuo.* Isa. xxx, 32: *Erit transitus virgæ fundatus.*

« *Ut non extendant.* » Hic protectio a culpa.

Quasi diceret: Sic virgam non relinquet, « *ut* » justi « *non extendant manus suas ad iniquitatem.* » Ad iniquitatem manus suas justus extendit, quando in persecutionibus per impatientiam cadit: sed non extendit, quando sustinet, et attendit quod utilis sit illa tribulatio, considerans illud Apostoli, II ad Corinth. iv, 17: *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et illud ejusdem, ad Hebr. xii, 11: *Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Et illud Nahum, i, 9: *Non consurget duplex tribulatio.* Ad iniquitatem etiam manum non extendunt, sed fugiunt tamquam a serpente venenoso. Eccli. xxi, 2: *Quasi a facie colubri fuge peccata.*

4 Secunda pars Psalmi. « *Benefac, Domine.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in qua subjungitur supplicatio pro gratia impetranda, ad hoc ut prædicta firmitas teneatur. Duo ergo petit. Primo, quod Dominus benefaciat bonis in opere. Secundo, quod etiam rectis in intelligentia.

Ait enim: Sic qui confidunt, firmi sunt, et ad bonum faciendum, et ad malum sustinendum: sed quia non possunt hoc ex se, o « *Domine,* » rogo, « *benefac,* » gratiam infundendo, vel infusam augmentando, « *bonis,* » in operatione. II Machab. i, 2, similis est oratio: *Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui quod locutus est ad Abraham, Isaac, et Jacob.* Sicut etiam facit, Zachar. viii, 15: *Conversus cogitavi, in diebus istis, ut benefaciam domui Juda.* « *Et rectis corde,* » interiori scilicet intentione: recta enim intentio ad hoc exigitur, ut meritoria sit operatio. Proverb. xxi, 29: *Qui rectus est, corrigit viam suam.* Cantic. i, 3: *Recti diligunt te.* Benefacit eis Deus in præsenti gratiam augmentando, benefaciet in futuro pro intentione recta, in anima: pro bono opere, in corpore glorificando. Sapient. x, 17: *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum.* Et, pro utroque, Isa. lxi, 7: *In terra sua duplicia possidebunt.*

« *Declinantes autem.* » Hic tertium, 5 Tertia pars Psalmi. in quo insinuatur de præmio bonorum et malorum: per hoc enim non modicum confirmantur Sancti. Tangitur ergo primo malorum punitio. Secundo, bonorum remuneratio, ibi, « *Pax super Israel!* »

In prima autem tangitur malorum punitio peccantium peccato omissionis. Secundo, peccantium peccato commissionis, ibi, « *Cum operantibus.* »

Dicit ergo: Sic Sancti confidentes in Deo erunt stabiles, et rogo, ut illis, Domine, des gratiam persistendi: et bonum est stare, quia « *Dominus adducet declinantes in obligationes,* » id est, qui ab iis declinant ad quæ se obligaverunt, et sic peccato omissionis peccant. Psal. xxvi, 2: *Ipsi obligati sunt*[1], *et ceciderunt.* Propter hoc monet Eliu, Job, xxxvi, 21: *Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti tenere post miseriam.* Jerem. v, 25: *Iniquitates vestræ declina-*

[1] Vulg. habet *infirmati sunt.*

verunt hæc, et peccata vestra prohibuerunt bonum a vobis. « *Cum operantibus iniquitatem,* » ut simul cum illis puniantur. Operantes enim iniquitatem puniet pro suis iniquitatibus. Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Isa. xxxi, 2 : *Consurget contra domum pessimorum, et contra auxilium operantium iniquitatem.* Proverb. v, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium.*

Sed « *pax,* » supple, erit « *super Israel,* » super populum scilicet fide formata videntem Deum. Isa. iii, 1 : *Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionem suarum comedet.* Ad Galat. vi, 16 : *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Isa. xxxii, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Ad Philip. iv, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum,* etc.

PSALMUS CXXV.

Gratulatio de fine captivitatis : oratio ut perficiatur liberatio.

1. Canticum graduum.
   In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.
2. Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua exsultatione.
   Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere eum eis.
3. Magnificavit Dominus facere nobiscum : facti sumus lætantes.
4. Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.
5. Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent.
6. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.
   Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.

IN PSALMUM CXXV

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

« *In convertendo Dominus* [1]. » Hic est Psalmus centesimus vicesimus quintus, in gradualibus Psalmus septimus, et secundus in illis qui pertinent ad profectum in bono.

Argumentum Psalmi: Lætitia et devotio ex liberatione a miseria et captivitate. Post firmitatem propositi de perseverando in bono, sequitur gradus secundus, et necessarius ad hoc ut proficiat aliquis, scilicet devotio in operando bonum.

Præmisso ergo titulo eodem, sicut supra, in hoc Psalmo agitur de devotione proficientis in opere bono. Duo ergo di-

[1] Le psalmiste met sous nos yeux un double tableau : d'une part, celui des bienfaits déjà accordés, de l'autre celui des faveurs qu'il reste encore à demander à Dieu. Israel est revenu de la captivité, mais combien de ses enfants sont encore retenus loin de la mère patrie ! « Rogantibus pro reliquiis captivorum, « respondet Spiritus propheticus et ait : Si « fleverint pro iis qui in Babylone supersunt, « reditus illis concedetur. » S. Athan. La date

cuntur. Primo ergo exprimit affectum devotionis. Secundo, profectum bonæ operationis, ibi, ỷ. 5 : « *Qui seminant.* »

In prima duo. Primo, exprimit affectum devotionis et fervoris quem habet. Secundo, petit majorem fervorem sibi dari, et ab omni tempore solvi, ibi, ỷ. 4 : « *Converte, Domine.* »

In prima duo secundum causam duplicem quam tangit, lætitiæ et consolationis. Prima est liberatio animæ a captivitate culpæ. Secunda, magnificatio liberatæ, ibi, in medio ỷ. 2 : « *Tunc dicent.* »

In prima tria. Primo, tangitur causa consolationis. Secundo, ipsa consolatio, ibi, « *Facti sumus.* » Tertio, modus, ibi, ỷ. 2 : « *Tunc repletum est.* »

1 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic facti ascendunt ad sextum gradum, qui est firmitas boni propositi, et in agendis, et in patiendis : et etiam « *Dominus in convertendo,* » id est, cum converterit, « *captivitatem Sion,* » animæ ad contemplandum Deum et speculandum natæ. Et quod sic exponendum, patet per aliam litteram quæ sic habet aperte : « Cum converterit Dominus. » Nec hoc dicit Propheta intendens liberationem illam litteralem a captivitate Babylonica, de qua, Jerem. XXXI, 23 : *Adhuc dicent verbum istud in terra Juda et in urbibus ejus, cum convertero captivitatem eorum : Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ.* Et, XXVIII, 3 et 4 : *Ego referri faciam,* scilicet reducam,...*omnem transmigrationem Juda, qui ingressi sunt in Babylonem.* Sed intendens in ea conversionem animæ a captivitate peccati. Amos, IX, 14 : *Convertam captivitatem populi mei Israel.* Et, Jerem. XXXI, 8 : *Ecce ego adducam eos de terra Aquilonis, et congregabo eos ab extremis terræ.* Terra Aquilonis seu venti frigidi, conversatio peccatoris, extremum terræ cupiditas in summo, et quasi in extremitate. Quo autem convertantur, dicitur, Jerem. XVI, 15 : *Reducam eos ad terram suam,* ad Ecclesiæ summitatem, *quam dedi patribus eorum.*

« *Facti sumus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Cum sic Dominus converterit Dominus Sion, tunc « *facti sumus sicut consolati,* » id est, vere consolati. *Sicut* enim non est nota similitudinis, sed expressivum veritatis. Isa. XII, 1 : *Conversus est furor tuus, et consolatus es me.* Supra, in Psal. LII, 7 : *Cum converterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.* Matth. V, 5 : *Beati qui lugent,* ecce eorum conversio a peccato : *quoniam ipsi consolabuntur,* eo ipso. Nec mirum si gaudet homo et consolatur in propria vel alterius hominis conversione, quia ipse Angelus gaudet, Luc. XV, 7 : *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo,* Angelis scilicet Dei, *super uno peccatore pœnitentiam agente,* etc. Gaudet etiam Deus : unde, in eodem Luc. XV, 32, dicit paterfamilias : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, et revixit : perierat, et inventus est.*

2

« *Tunc repletum est.* » Hic tertium, in quo subjungitur consolationis modus in duobus. In interiori gaudio in affectu, et in exteriori in effectu, ibi, « *Et lingua nostra.* »

Dicit ergo : Sic dico, quod consolati sumus ex illa conversione, et « *tunc repletum est gaudio os nostrum,* » inte-

du psaume est donc facile à assigner ; il a été composé après le retour de Zorobabel en Palestine, et avant celui d'Esdras et de Néhémie.

Au sens spirituel ce cantique est « ex captivitate vitiorum in libertatem cognitionis Dei « redeuntis animæ gratulatio. » S Hil. Il prend une signification plus belle encore, si on le place sur les lèvres des saints, qui sont, dans le ciel, « de sua salute securi, de nostra sol- « liciti. »

H. Lesêtre.

rius scilicet os cordis, hoc est, affectus qui saporat res. Matth. xv, 20, de hoc ore : *Quæ de ore exeunt, hæc sunt quæ coinquinant hominem.*

« *Et lingua nostra.* » Ad litteram lingua carnis, « *exultatione* » exteriori, quasi quodam jubilo. Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Job, viii, 20 et 21 : *Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo.* Ecce magna consolatio. Notandum enim, quod est consolatio mundi, quæ est vana, Luc. vi, 24 : *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Et est consolatio spei, quæ est vera, et certa, Psal. cxviii, 50 : *Hæc me consolata est in humilitate mea.* Et est consolatio Dei quæ est plena et perfecta, de qua, Matth. v, 5 : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

« *Tunc dicent inter Gentes.* » Hic secundum, in quo secunda causa consolationis et lætitiæ tangitur, scilicet magnificatio liberatæ animæ, quam ostendit ex duplici confessione. Primo, ex aliena. Secundo, ex propria, ibi, ℣. 3 : « *Magnificavit Dominus.* »

Dicit ergo : Sic sumus lætati, et consolati ex conversione animæ a captivitate, nec nos solum, imo, conversione completa, « *tunc dicent inter Gentes,* » id est, aliquid de Gentilibus, et non omnes : *Magnificavit Dominus facere cum eis,* » hoc est, cum eis magna facere voluit, id est, magnam gratiam, et ad magna operandum gratiam infudit. Ad Roman. viii, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Judith, xiii, 31 : *In omni gente quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel,* id est, magnus prædicabitur. Isa. xii, 5 : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit.* Luc. i, 58 : *Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.*

3 « *Magnificavit Dominus.* » Hic secundum primæ partis, scilicet propria confessio : et tanguntur duo. Primo, confessio gratiæ ex magnitudine. Secundo, generata ex hoc exsultatio, ibi, « *Facti sumus.* »

Dicit ergo : Sic dicent Gentes, et etiam nos dicemus : « *Dominus magnificavit facere nobiscum,* » hoc est, nobis magna facere ex sua gratia voluit. Judith, xiii, 13 : *Nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel.* Tob. xiii, 7 : *Ego in terra captivitatis meæ confitebor illi.* Quare? *Quoniam ostendit majestatem suam.* Malach. i, 5 : *Magnificetur Dominus super terminum Israel.*

« *Facti sumus,* » et hoc, « *lætantes.* » Joel, ii, 21 : *Exsulta, et lætare, quoniam magnificavit Dominus ut faceret.* Isa. xii, 6 : *Exsulta, et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Et, lviii, 14 : *Delectaberis super Domino,* ecce lætitia : et subditur causa : *Sustollam te super altitudinem terræ,*etc.

4 « *Converte, Domine.* » Hic secundum primæ partis, in quo ostensa lætitia et devotione ex liberatione a miseria et captivitate, subdit petitionem pro perfecta liberatione. Duo ergo dicuntur. Primo, petit absolvi a captivitate. Secundo, addit modum quo liberari quærit, ibi, « *Sicut torrens.* »

Dicit ergo : Sic lætati et consolati sumus de nostra liberatione, et magnifica gratiæ collatione : tamen quia semper insurgunt pugnæ, o « *Domine,* » qui potes solus, « *converte,* » plenius, et perfectius, « *captivitatem nostram,* » id est, nos captivos, emphatice captivitatem dictos, sicut supra, in Psal. lxvii, 19 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem* [1]. Thren. v, 21 : *Converte nos, Do-*

[1] Ad Ephes. iv, 8 : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem.*

mine, ad te, convertemur. Sophon. III, 20 : *Dabo vos in nomem, et in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram.* Jerem. XXXI, 18 : *Converte me, Domine, et convertar.*

« *Sicut torrens in austro.* » Hic adjungit modum.

Dicit ergo : Sic converte ut simus fluentes lacrymis, « *sicut torrens in austro* » fluit, qui Aquilone flanti congelatur : hoc est, sic convertamur adveniente flatu Spiritus sancti calido, ut toti in lacrymas resolvamur. In Psalmo CXLVII, 18, infra : *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Spiritus, inquam, sanctus, ille ventus australis. Cantic. IV, 16 : *Surge, Aquilo,* ventus frigidus, diabole, recede, *et veni, Auster.* Ab hoc austro venit Deus, Habacuc, III, 3 : *Deus ab austro veniet.* Job, XXXVII, 17: *Numquid vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro?*

5 *Qui seminant in lacrymis.* Hic est secunda pars Psalmi, in qua subjungit de profectu operationis, per similitudinem seminantis. Et potest referre quidquid dicitur hic ad opus prædicationis, vel etiam pietatis : et dicuntur tria. Primo, tangit actum seminationis, et fructum. Secundo, modum seminandi magis declarat, ibi, ℣. 6 : « *Euntes ibant.* » Tertio, modum recipiendi et colligendi fructum, ibi, « *Venientes autem.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, tangit actum seminationis, qui est vel prædicare, vel eleemosynas dare ex compassione. Secundo, fructum, ibi, « *In exsultatione.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, rogo ut des gratiam lacrymarum in abundantia : quia « *qui seminant in lacrymis,* » id est, qui prædicant ex compassione cordis, lacrymas effundendo, vel opera misericordiæ faciendo.

Varii varia seminant.

Sciendum enim, quod seminat Deus gratias, et virtutes, Matth. XIII, 27 : *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo ?* Et seminat homo Christus exemplum bonum, Isa. I, 9 : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus* [1]. Seminat Prælatus semen verbi Dei, et doctrinæ, Luc. VIII, 5 : *Exiit qui seminat seminare semen suum.* Homo justus opera misericordiæ et justitiæ, Proverb. XI, 18 : *Seminanti justitiam merces fidelis.* Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua.* Homo malus opera carnis, ad Galat. VI, 8 : *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.* Diabolus vitia, hæreses, et schismata, Matth. XIII, 25 : *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici.*

Qui ergo verbum prædicationis, vel opera pietatis seminant, lacrymis irrigando quod seminant, « *metent in exsultatione.* » Proverb. X, 28 : *Exspectatio justorum lætitia.* Et, XXXI, 25 : *Et ridebit in die novissimo :* quippe vitam metet æternam ex tam modico semine. II ad Corinth. IX, 6 : *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* Quid ? Vitam æternam. Ad Galat. VI, 8 : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet.*

Euntes ibant. » Hic secundum, in quo tacto actu seminationis, et fructu satis breviter, et utroque cum modo suo, tangit seminationis modum diffusius : et tanguntur quatuor. Primo, recessus a peccato. Secundo, accessus ad bonum, ibi, « *Ibant.* » Tertio, compassio, ibi, « *Et flebant.* » Quarto, seminatio vel verborum in prædicatione, vel operum misericordiæ in eleemosynarum largitione, ibi, « *Mittentes.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod sancti seminant in lacrymis : et verum dixi, quia sancti viri antiquitus « *euntes,* » a malo recedendo, « *ibant* » de bono in melius pro-

[1] Cf. Ad Roman. IX, 29.

cedendo. Vel, « *euntes,* » a contemplationis quiete descendentes, « *ibant,* » actioni insudantes. Matth. x, 8 et 16 : *Euntes... Ecce ego mitto vos.* Joan. xv, 16 : *Elegi vos, et posui vos ut eatis.*

Prædicatori enim eundum est, non quiescendum, et omni similiter homini. Matth. xx, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi ?* Proverb. iv, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens, proficit et crescit usque ad perfectam diem.* « *Et flebant,* » exterius oculis corporalibus. Job, xxx, 25 : *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et anima mea compatiebatur pauperi.* Et interius suspiriis, et gemitibus. Ad Roman. viii, 23 : *Et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus.* « *Mittentes semina sua,* » prædicationis, et eleemosynarum. Isa. xxxii, 20 : *Beati qui seminatis super omnes aquas. Aquæ* autem proprie sunt pauperes, circa terram defluentes. Eccle. xi, 1 : *Mitte panem tuum,* scilicet misericordiam, *super omnes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Isa. lviii, 7 : *Frange esurienti,* etc.

« *Venientes autem venient.* » Hic tertium hujus partis, in quo subjungit de modo colligendi, et recipiendi præmium : et tanguntur tria. Primo, exitus a præsenti miseria. Secundo, adventus lætus ad æterna bona, ibi, « *Venient cum exsultatione.* » Tertio, quasi ratio et causa, scilicet præsentatio bonorum meritorum aperta, ibi, « *Portantes.* »

Dicit ergo : Sic ibant semina mittentes, et post « *venientes* » ab instanti et præsenti miseria. Baruch, v, 5 : *Vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem*[1]. « *Venient cum exsultatione,* » ad æternam lætitiam. Isa. xxxv, 10 : *Venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super caput eorum.* Et, lxvi, 18 et 19 : *Et venient, et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum,* cum dicetur eis illud Matth. xxv, 34 : *Venite, benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum,* etc.

« *Portantes manipulas suos,* » bonorum operum collectiones, pro quibus erit eis merces. Apocal. xiv, 13 : *Opera illorum sequuntur illos.* Eccli. xxxv, 6 : *Non apparebis vacuus ante conspectum Domini*[2]. Proverb. xxxi, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum.* Ad Galat. vi, 8 : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet.* Levit. xxiii, 10 : *Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, et messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ,* etc. Baruch, iv, 23 : *Reducet vos mihi Dominus cum gaudio ac jucunditate,* cum gaudio de bene gestis, ac cum jucunditate de adeptis. Ad quæ nos perducere dignetur, qui est benedictus, etc.

PSALMUS CXXVI.

Vani hominum labores quibus non opitulatur Dominus.

1. Canticum graduum Salomonis.
Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.
Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.
2. Vanum est vobis ante lucem sur-

[1] Cf. Baruch, iv, 37.

[2] Cf. Exod. xxiii, 15 et xxxix, 20.

gere. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum,

3. Ecce hæreditas Domini, filii : merces, fructus ventris.

4. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.

5. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis : non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

IN PSALMUM CXXVI

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum Salomonis.* »

« *Nisi Dominus ædificaverit*[1]. » Hic est Psalmus centesimus vicesimus sextus in toto libro, in tertia vero parte vicesimus sextus, in Psalmis gradualibus octavus, tertius vero in illis gradualibus Psalmis, qui pertinent ad profectum in bono.

Argumentum Psalmi: recta intentio ad consequendum præmium necessaria.

Proficienti enim post firmitatem in bono proposito, post lætitiam in agendo quod bonum est, necessaria est illi in omnibus recta intentio, ut totum ad Deum referatur, de qua relatione, sive intentione agitur in hoc Psalmo.

Ergo titulo consueto, additur « *Salomonis,* » quia de ædificatione spirituali agitur hic figurata in illa materiali quam fecit Salomon.

Psalmus dividitur in duas partes. Primo enim confitetur et profectum, et per-

[1] Si l'on s'en rapporte au titre que nous lisons en hébreu, dit M. l'abbé Lesêtre, ce psaume a Salomon pour auteur. Les commentateurs reconnaissent une certaine analogie entre les idées et les expressions du psaume, et celles des Proverbes ; nous pouvons signaler aussi une différence assez sensible entre les autres psaumes graduels et celui-ci, où le rythme de gradation, en particulier, se réduit aux répétitions ordinaires du parallélisme. Le psalmiste développe cette pensée que la prospérité vient de Dieu, soit dans la cité, soit dans la famille, et que les efforts personnels de l'homme sont insuffisants à la produire ; or, cette idée convient très bien au roi sage et pacifique, qui reçut en si grande abondance les dons de Dieu, et eut personnellement si peu de peine à atteindre le faîte des grandeurs humaines. De graves auteurs, Hengstenberg, Schegg, Thalhofer, etc., admettent comme authentique le titre hébreu. Beaucoup d'autres pourtant sont d'un avis différent. Perowne pense que le nom de Salomon est dû à quelque collecteur subséquent, qui se sera cru autorisé à ajouter cette mention en voyant la structure proverbiale du psaume, sa communauté d'idées avec les Proverbes, le mot *iadid*, ŷ. 2, rappelant le nom de *iedidiah* donné à Salomon, et l'allusion possible à la construction du temple, ŷ. 1. De fait, le nom de Salomon manque dans le plus grand nombre des manuscrits grecs et latins. La version syriaque a le titre suivant : « Des « psaumes des montées, dit par David au sujet de Salomon, dit aussi d'Aggée et de Zacharie, qui pressaient la construction du « temple. » Les anciens commentateurs ne tiennent guère compte du titre hébreu, que la plupart d'entre eux du reste ne connaissaient pas. Pour S. Hilaire et S. Jean Chrysostôme, il s'agit ici « de statu rerum qui fuit post reditum. » Théodoret dit que le Salomon nommé en hébreu n'est autre que Zorobabel : « Hunc « opinor Salomonem nominari, et tamquam ex « Salomone genus ducentem, et tamquam opus « Salomonis instaurantem. » Ajoutons que les différences entre ce psaume et les autres de la série, assez sensibles pour frapper les uns, sont insuffisantes aux yeux des autres pour rendre certaine sa composition à une époque reculée. Nous ne pouvons donc pas maintenir le nom de Salomon en tête du psaume avec plus d'assurance que nous n'en avons eu au Psaume CXXI pour le nom de David.

Si l'Israélite devait tout attendre de la main de Dieu, le chrétien ne doit pas s'abandonner avec moins de confiance au bon plaisir de la divine Providence.

severantiam in bono esse a Deo. Secundo, ab eodem præmium exspectandum in futuro, ibi, ℣. 2: « *Vanum est vobis.* »

In prima duo. Primo, sub typo loquens, ostendit omnem profectum in bono esse a Deo. Secundo, omnem perseverantiam in illo, ibi, « *Nisi Dominus custodierit.*

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo: Sic firmati sumus in bono proposito, et in bono lætati, sed totum ad Deum referendum, quia « *nisi Dominus,* » qui solus scit et potest, « *ædificaverit domum,* » Ecclesiam, et quamcumque animam, ad hoc ut sit sua habitatio, « *in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* » Proverb. IX, 1: *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit,* in illa scilicet, *columnas septem.* Et, XXIV, 3: *Sapientia ædificabitur domus, et prudentia roborabitur.* Zachar. VI, 12: *Ecce vir Oriens nomen ejus, et subter eum orietur, et ædificabit templum Domino.* Propter hoc dicitur, Amos, VII, 7, quod videbat eum super murum litum, et in manu sua trullam cæmentarii [1]. Propter quod etiam dicit Paulus, I ad Corinth. III, 9: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Ad Ephes. II, 20: *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Tamen adjutores vult in hoc ædificio: quilibet enim debet eum adjuvare pro seipso. Sed quidam qui volunt quod totum faciat Deus, dicentes: Orate pro me, tamen nec digitum movere volunt, de quibus, Eccli. XXI, 9: *Qui ædificat domum suam stipendiis alienis, quasi qui colligit lapides in hieme.* Lapides in hieme collecti, ad ædificium sunt inepti. Adjutores autem ad hoc ædificium Dei, debent esse Prælati. I ad Corinth. III, 9: *Dei sumus adjutores.* Sed magis sunt destructores. Isa. XLIX, 17: *Venerunt structores tui, destruentes te:* quippe ædificant in sanguine, et in carne. Mich. III, 10: *Ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate.* Qui ergo sine Deo ædificant, in vanum laborant, sicut ædificantes turrim Babel [2]. Act. V, 38 et 39: *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.*

« *Nisi Dominus custodierit.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod ex Deo sit in bono perseverantia per simile.

Ait enim: Nisi ædificaverit, nihil valet: et etiam « *nisi Dominus custodierit civitatem,* » ut in bono perseveret, « *frustra vigilat qui custodit eam.* » Ipse enim custos est, de quo, Isa. XXI, 11: *Custos, quid de nocte?* qui habet custodes sub se, scilicet Angelos et Prælatos. Isa. LXII, 6: *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.* Cantic. VIII, 11: *Vinea fuit pacifico,... tradidit eam custodibus.*

Et nota, quod ad custodiam civitatis perfectam necesse est ista concurrere. Ad custodiam civitatis necessaria. Primo, ut sint ibi vigiles, de quibus, Cantic. III, 3: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Et vigilia etiam est necessaria: quid enim agerent vigiles sine vigilia? Marc. XIII, 37: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Portarum custodia, Nahum, II, 6 et 7: *Portæ fluviorum apertæ sunt, et templum ad solum dirutum: et miles captivus abductus est.* Propter hoc Job suas portas claudebat, XXXI, 1: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Arma, Ad Ephes. VI, 11: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Civium concordia et unitas, Matth. XII, 25: *Omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit.* Ad Ephes. IV, 3: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Sed hæc omnia non valent, nisi su-

[1] Amos, VII, 7: *Ecce Dominus stans super murum litum, et in manu ejus trulla cæmentarii.*

[2] Cf. Genes. XI, 8.

per omnia sit regnantis auctoritas. Proverb. XXIX, 14 : *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.*

2 Secunda pars Psalmi: « *Vanum est vobis.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua ostendit a Deo præmium exspectandum in futuro, non in præsenti : unde dicuntur duo. Primo, infructuositas hic quærentium præmium. Secundo, quando, et quo ordine sit quærendum, ibi, « *Surgite postquam.* »

Dicit ergo : Sic a Deo est præmium, et perseverantia in bono merito : et etiam « *vobis* » qui festinatis, « *est vanum surgere,* » ad gloriam, et exsultationem, et hoc, « *ante lucem,* » antequam veniat lux vera, quæ Christus est, ad judicium, et illuminandum corda : Christus enim lux est. Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi.* Et, I, 9 : *Erat lux vera.* Hæc lux surget in judicio, et illuminabit omnia. I ad Corinth. IV, 5 : *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Tunc surgendum erit per gloriæ appetitum, nunc autem non, sed jacendum humiliter. Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Vel, « *nolite surgere ante lucem,* » id est, ante Christum, ut velitis ante Christum exaltari, et illi præponi : quia, Proverb. XXIX, 23, dicitur : *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria.*

« *Surgite postquam sederitis.* » Hic secundum, in quo ostendit quo ordine, et quando præmium sit quærendum, et a quibus. Primo, multas conditiones ad hoc concurrentes determinat. Secundo, beatificat sic pervenientes, ibi, ỷ. 5 : « *Beatus vir qui implevit.* »

In prima ergo primo ostendit quo ordine ad præmium pervenitur. Secundo, quo merito, et a quibus, ibi, « *Qui manducatis.* » Tertio quando, ibi, « *Cum dederit.* » Quarto, quale, et quod sit præmium, ibi, ỷ. 3 : « *Ecce hæreditas.* » Quinto, per quos secundum unam lecturam, vel qualiter secundum aliam, ibi, ỷ. 4 : « *Sicut sagittæ.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod vanum est festinare, sed « *postquam sederitis,* » id est, humiliati fueritis, sessio enim hic appellatur humiliatio, « *surgite,* » id est, surgetis ad participationem gloriæ. Luc. XIV, 11 : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Mich. VII, 8 : *Consurgam cum sedero in tenebris : Dominus lux mea est.* In Psal. CXXXVIII, 2, infra : *Tu cognovisti sessionem meam,* id est, humilitatem, *et resurrectionem meam,* quam operatus es. « *Qui manducatis,* » delectabiliter sustinendo, ac si vos reficeretis, « *panem doloris,* » afflictionem scilicet et miseriam. Ecce quibus, et qualibus, quia in tribulatione gaudentibus. Hic panis de quo supra, in Psal. LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum.* Hic cibus quo reficiebatur Job, III, 24 : *Antequam comedam, suspiro.* Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.*

« *Cum dederit dilectis.* » Hic tangitur tempus. Quasi diceret : Sic dixi, quod primo sedeatis, quia cum Dominus « *dederit somnum,* » supple, mortis, « *dilectis suis.* » Mors ergo sanctorum dicitur *somnus*, quia multum dulcis est illis. Jerem. XXXI, 26 : *Somnus meus dulcis mihi,* supple, est. Eccle. V, 11 : *Dulcis est somnus operanti.* Requies etiam est illis, Apocal. XIV, 13 : *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Et securitas, Job, XI, 18 et 19 : *Et defossus securus dormies. Requiesces, et non erit qui te exterreat.* Hoc somno Stephanus obdormivit in Domino [1]. — Cur mors sanctorum dicitur somnus?

« *Ecce hæreditas.* » Hic quartum, quod et quale præmium, quia perpetuum : erit 3

[1] Cf. Act. VII, 59 : *Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.*

enim hæreditas : quia condignum, quia merces.

Et construe sic : Cum dederit dilectis somnum, « *ecce,* » tunc « *hæreditas filii,* » justi scilicet, qui est filius Dei : et ecce « *merces,* » retributio, « *fructus ventris,* » id est, justi, qui est fructus ventris Ecclesiæ. Mali enim, etsi nascantur aliquando de Ecclesia, non sunt fructus, sed tantum boni, et justi, qui in bono perseverant. Hi sunt filii renati, secundum illud Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto.* Sed aliqui postea sunt mali, qui non sunt dicendi fructus. Genes. IV, 1 et seq., Eva, quæ fuit formata de latere Adæ dormientis[1], generavit Cain pessimum, et Abel justum. Sed veris filiis, qui sunt fructus, datur hæreditas. Genes. XXV, 5 et 6 : *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac,* scilicet filio suo : *filiis autem concubinarum largitus est munera.* Ad Galat. IV, 30 : *Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* His ergo datur hæreditas Christi. Ad Roman. VIII, 17 : *Quod si filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Vel sic potest legi : « *Cum dederit dilectis suis somnum,* » tunc, hoc est, « *ecce hæreditas Domini, filii,* » venient ad præmium æternum, scilicet justi : quæ, inquam, hæreditas, id est, qui sunt justi, sunt « *merces fructus ventris,* » id est, Christi hominis, qui fuit fructus ventris virginalis. Psal. II, 8 : *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.*

4 « *Sicut sagittæ.* » Hic quintum, et ultimum, in quo ostendit per quos secundum unam lecturam Glossæ venietur ad illam retributionem : et tanguntur quasi duo media. Primo, Apostoli. Secundo, Apostolorum spirituales filii, ibi, « *Ita filii excussorum.*

Ait enim : Sic dico, quod dabitur post somnum hæreditas, et merces. Et unde hoc ? Quia « *sicut sagittæ,* » id est, acuti et penetrabiles Apostoli, « *in manu,* » id est, a manu « *potentis,* » id est, Christi, supple, sunt excussæ, id est, per mundum ad prædicandum missæ. Istæ sunt sagittæ de quibus, Habacuc, III, 11 : *In luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Et excussæ sunt et missæ, Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et, Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos.* Psal. XVII, 15 : *Misit sagittas suas, et dissipavit eos.*

« *Ita filii excussorum,* » id est, Apostolorum, supple, sunt excussi, et missi per mundum universum, Dionysius, et Quintinus, et Firminus, et Prædicatores alii. Psal. XLIV, 17 : *Pro patribus tuis,* Apostolis scilicet, *nati sunt tibi filii,* successores alii.

Sic etiam posset legi : « *Sicut sagittæ in manu potentis,* » fortiter emittuntur, « *ita filii excussorum,* » id est, Apostolorum, qui excussi sunt et dispersi, et de civitate in civitatem dejecti, supple, emittunt fortiter sagittas Scripturarum. Scriptura enim est sagitta : in sagitta enim tria sunt : ferrum, quod est constantia voluntatis : hasta, operatio bona : pennulæ, cognitio et intentio quæ totum dirigunt. Vel sic melius forte totum posset intelligi, ut monstraret modum veniendi ad præmium. Quasi diceret : Sic dixi, quod dabitur merces post somnum : et numquid erit mora longa ? Non, imo sicut sagitta in manu, id est, a manu potentis fortiter et valde cito et quasi imperceptibiliter transit, ita filii excussorum valde cito pertransibunt ad præmium.

« *Beatus vir qui implevit.* » Hic secundum, in quo beatificat sic pervenientes ad præmium, sicut dictum est. Beatos autem eos prædicat, et pronuntiat a duobus. Primo, ab adeptione boni. Secun- 5

[1] Cf. Genes. II, 21 et seq.

do, a remotione mali, ibi, « *Non confundetur.* »

Dicit ergo : Sic dabitur hæreditas post somnum satis velociter, et tunc « *beatus vir,* » cui hæc hæreditas dabitur, « *qui,* » id est, quia ille « *implevit desiderium suum,* » et hoc, « *ex ipsis,* » id est, per ipsos Prædicatores. Vel, « *ex ipsis,* » bonis a Prædicatoribus nuntiatis, qui sunt sagittæ. Psal. cii, 5, supra : *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Eccli. i, 20 : *Plenitudo a fructibus illius.* Per hoc enim quod audiunt ab ipsis, et ex ipsis hauriunt, sunt beati, quoniam illud est sapientia, de qua dicitur, Proverb. iii, 13 : *Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia.* Et, viii, 34, ipsa dicit sapientia : *Beatus homo qui audit me.*

« *Non confundetur.* » Hic secundum. Quasi diceret : Beatus est, quia implevit desiderium, et etiam « *cum loquetur inimicis,* » et hoc « *in porta,* » id est, in Christo, qui porta est sive ostium. Sapient. vi, 11 : *Qui didicerint ista,* scilicet justa vel justitiam, *invenient quid respondeant.* Eccli. v, 15 : *Honor et gloria in sermone sensati.* Datur enim intellectus, et sic potentia satisfaciendi omnibus. Eccli. v, 14 : *Si est tibi intellectus, responde proximo,* scilicet tuo : *sin autem, sit manus tua super os tuum.*

Vel certe, « *non confundetur,* » in fine, « *cum loquetur inimicis suis,* » dæmonibus scilicet accusantibus, « *in porta,* » in judicio scilicet : judicia enim solebant in portis fieri [1]. Proverb. xxxi, 31 : *Laudent eam in portis opera ejus.* Isa. xlv, 17 : *Non confundemini, et non erubescetis usque in sæculum sæculi.* Isa. xlix, 23 : *Ego Dominus, super quo non confundentur qui exspectant eum.* Jerem. xvii, 18 : *Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego.* Ecce beatitudo, ad quam nos perducat, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSLAMUS CXXVII.

Benedictiones temporales piis promissæ.

1. Canticum graduum.
Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.
2. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.
3. Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.
Filii tui, sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.
4. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.
5. Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
6. Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

[1] Cf. Deuteron. xvii, 8.

IN PSALMUM CXXVII

COMMENTARIUS.

« *Canticuum graduum.* »

« *Beati omnes* [1]. » Hic est Psalmus centesimus vicesimus septimus, in tertia parte libri vicesimus septimus, nonus in Psalmis gradualibus, in illis qui pertinent ad profectum boni, quartus.

Argumentum Psalmi, Timor Dei ex quo diligentia in operando.

Cum enim actum sit de firmitate in bono proposito, de devotione in operatione, de recta intentione, subjungitur de quarto, scilicet de diligentia bene operandi, quæ est in timore Domini, qui facit diligentem, secundum illud Job, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Eccle. VII, 19 : *Qui timet Deum, nihil negligit.* Ait ergo hic de divino timore, et bonis, quæ facit in anima, tamquam de eo per quæ est diligentia in operatione bona, præmittendo titulum a principio Graduum expositum.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, beatificat timentes Deum, assignans beatitudinem generalem. Secundo, assignat beneficia ex timore Domini provenientia in spirituali, ibi, ℣. 2 : « *Labores manuum.* »

In prima duo. Primo, timentes Deum beatificat. Secundo, assignat causam quare, ibi, « *Qui ambulant.* »

Dicit ergo : Sic ad Dominum totum est referendum, ab ipso tale præmium post mortem exspectandum, ad quæ non pervenitur nisi in operando magna diligentia adhibeatur, quod facit timor : unde « *beati* » sunt « *qui timent Dominum.* » Supra, in Psal. CXI, 1 : *Beatus vir qui timet Dominum.* Proverb. XXVIII, 14 : *Beatus homo qui semper est pavidus.* Eccle. VIII, 12 : *Ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.* Et, Eccli. XL, 28 : *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* Causa autem una in promptu est : quia « beatus est, sicut dicit Augustinus, cui omnia optata « succedunt. » Sed, in Psal. XXXIII, 10, dicitur, quod timentibus Deum nihil deest [2].

1 Prima pars Psalmi.

« *Qui ambulant.* » Hic causa supponitur. « *Qui,* » id est, quia illi, « *ambulant in viis ejus,* » Domini scilicet. Nec mirum, quia ad ambulandum in via Domini, pertinet primo a malo recedere, quia, Eccli. I, 27 : *Timor Domini expellit peccatum.* Et bona postea facere, In eodem, XV, 1 : *Qui timet Deum, faciet bona.* Eccli. XXIII, 37 : *Nihil melius est quam timor Dei, et nihil dulcius quam respicere in mandatis Domini.* Quid est ergo nisi paradisus? Et hoc facit timor. Et hoc notatur in ambulatione, quæ est velox motus, et suavis. Potest enim timor dicere illud Proverb. IV, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offendiculum.*

[1] Ce psaume continue l'idée exprimée dans la seconde partie du précédent : Dieu ménage les joies de la famille à celui qui lui est fidèle. Ce cantique peut servir d'épithalame aux époux chrétiens.

Au sens spirituel, il célèbre la merveilleuse fécondité de l'Eglise. « Multus huic virgini partus, » dit S. Pacien sur le ℣. 3, « et proles « innumera, qua totus orbis impletur, qua cir« cumfluis semper alvearibus populosum fer« vet examen. » Epist. ad Sympron., III, 4.

H. Lesêtre.

[2] Psal. XXXIII, 10 : *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.*

2 Secunda pars psalmi

« *Labores manuum.* » Hic tanguntur causæ in speciali. Primo, quantum ad merita. Secundo, quantum ad præmia, ibi, ℣. 5 : « *Benedicat tibi.* »

In prima duo. Primo, tangit illorum merita. Secundo, ostendit esse causam beatitudinis illam, in spe tamen, ibi, ℣. 5 : « *Ecce sic benedicetur.* »

In prima dicuntur tria. Primo, tangit meritum eorum ex parte rationis. Secundo, ex parte sensualitatis quæ debet subjici rationi, ibi, ℣. 3 : « *Uxor tua.* » Tertio, ex parte operationis, ibi, « *Filii tui.* »

In prima duo. Beatificatio delectans secundum rationem in bono opere. Beatificatio, inquam, spei, et viæ. Secundo, rei in futuro, et patriæ, ibi, « *Et bene tibi erit.* »

Dicit ergo : Sic beati sunt qui timent, quia sic ambulant, et o tu qui times Deum, « *quia manducabis,* » interius te pascendo, secundum passionem delectando, « *labores manuum tuarum,* » vel « fructuum » secundum aliam litteram, « *beatus es,* » jam in præsenti per spem : anima enim quæ bonis operibus delectatur, et in illis reficitur, jam certa spe tenet æterna. Propter hoc dicebat Paulus, II ad Timoth. II, 6 : *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* II ad Timoth. II, 3 : *Labora sicut bonus miles Christi Jesu.* Et Dominus, Joan. VI, 27 : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam,* ut inde reficiamini, quia, Isa. III, 10, dicitur : *Dicite justo quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Propter hoc dicitur, Sapient. III, 15 : *Bonorum laborum gloriosus est,* non tantum erit, *fructus.* Quis autem, tangitur, Proverb. XV, 15 : *Secura mens,* quæ relinquitur ex bonis laboribus, *quasi juge convivium.*

De labore etiam corporali potest non inconvenienter intelligi. Beatus enim qui laborat propriis manibus ut pascatur. I ad Thessal. IV, 11 : *Ut... operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis.* Et ipse dicebat de seipso, Act. XX, 34 : *Mihi... et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Sic enim malum inopiæ a se repellit ac fugat. Proverb. XII, 11 : *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus.*

« *Et bene tibi erit,* » in futuro, scilicet æterna remuneratio. Eccli. VI, 20 : *In opere ipsius exiguum laborabis, et cito,* scilicet post hanc vitam, quæ nihil durat, *edes de generationibus illius.* Sapient. X, 17 : *Reddidit* Deus *justis mercedem laborum suorum.* Quæ autem sit illa merces, dicitur, Matth. XIX, 29 : *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.*

« *Uxor tua.* » Hic tangitur meritum ex parte sensualitatis. Nec hoc dico, quia meritum sit in sensualitate, sed in ratione comparatione ad illam, quando ratio ipsam facit in suis operibus ordinatis abundare. 3

Ait enim : Sic beatus eris, qui in bono opere delectaberis secundum rationem, nec erunt pauca opera, imo, « *uxor tua,* » sensualitas quæ debet subjici rationi, « *sicut vitis abundans,* » per multiplicationem bonorum operum, « *vitis,* » inquam, existens « *in lateribus domus tuæ,* » per promptitudinem. Et vere talis beatus, Eccli. XXVI, 1 : *Mulieris bonæ beatus vir.* Bona autem est mulier cum bene viro fuerit subjecta, secundum illud Genes. III, 16 : *Sub viri potestate eris.* Zachar. VIII, 12 : *Vinea,* anima scilicet pro illa parte quæ inclinatur ad terrena, *dabit fructum suum.* Et abundanter, I ad Corinth. XV, 58 : *Itaque, fratres mei dilecti, estote... abundantes in opere Domini semper.* I ad Thessal. IV, 1 : *Sic ambuletis ut abundetis magis.* Vel, hæc uxor potest intelligi sapientia, quæ uxor est viri justi, et in ipso viro modo fructificat, tamquam fertilissima vinea. Sapient. VIII, 2 : *Quæsivi sponsam mihi eam assume-*

Uxor est sensualitas vel sapientia.

re, et amator factus sum formæ illius. Hæc fructificat ut vinea in justis, ut dicat illud Eccli. xxiv, 23 : *Ego quasi vitis fructificavi,* etc.

« *Filii tui sicut novellæ.* » Hic tangitur meritum exterioris operationis. Et tangitur primo bonorum operum in fide et charitate factorum multiplicatio. Secundo, refectio causata ex talibus, sicut supra tactum est in ipsa ratione, ibi « *In circuitu.* »

Dicit ergo : Sic beatus cum times, quia interius delectatur ratio, et sensualitas abundat in bono, et etiam « *filii tui,* » opera scilicet exteriora, ex ratione sensualitatem movente genita, sunt « *sicut novellæ olivarum,* » fide scilicet virentia, et charitate unctuosa, quæ duo sunt in oliva : aliter enim non placerent. Sine fide non placent, quia, ad Hebr. xi, 6, dicitur : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Non item sine charitate, quia dicitur, I ad Corinth. xiii, 3 : *Si distribuero omnes facultatas meas in cibos pauperum,... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Proverb. xi, 28 : *Justi quasi virens folium germinabunt.* Jerem. xi, 16 : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Et hoc « *in circuitu mensæ tuæ,* » hoc est, ut sint tibi mensa rotunda, et circularis, ut ex illis pascaris, sicut superius satis expositum est.

Vel, « *filii,* » fideles et justi dicuntur, qui generati sunt de matrimonio Christi, et Ecclesiæ, et sunt sicut novellæ olivarum pacifici : signum enim pacis oliva. Genes. viii, 11, Columba ramum olivæ apportavit ad arcam in signum reconciliationis. Et hoc « *in circuitu mensæ tuæ,* » mensæ quidem altaris, cujus efficiuntur participes, et mensæ corporalis : et refertur lectura ad caput. Est enim mensa corporalis refectionis, quæ a Deo suis datur, etsi simul malis etiam concedatur, de qua, II Reg. ix, 11 : *Miphiboseth,* filius domini tui, *comedet,* panem scilicet, *super mensam meam, quasi unus de filiis regis.* Eccli. vi, 10 : *Est amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis.* Sacræ Scripturæ, Psal. xxii, 5 : *Parasti in conspectu meo mensam.* Proverb. ix, 2 : *Proposuit mensam,* dicitur de sapientia, *vinum miscuit,* Eucharistiæ scilicet. I ad Corinth. x, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Verum est rem sacramenti participando, etsi participes, participando sacramentum. Et veræ refectionis, Luc. xxii, 29 et 30 : *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

Multiplex mensa.

« *Ecce sic benedicetur.* » Hic secundum, in quo ostendit præmissa benedictionis esse causam et beatitudinis in timente Deum, et hoc in spe.

Ait enim : Sic labores manducabis, uxor abundabit ut vitis, filii ut novellæ olivarum. « *Ecce* » ergo « *sic benedicetur,* » hic in spe, « *qui timet Dominum,* » in quo præcedentia ex timore Domini sunt. Eccli. i, 13 : *Timenti Dominum bene erit in extremis, et in diebus defunctionis benedicetur.* Et, xxv, 15 : *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Domini.*

« *Benedicat tibi Dominus.* » Hic secundum secundæ partis Psalmi, in qua subjungitur de præmio timentium sub desiderio, et optatione : et dicuntur duo. Primo, optat timenti tali qualem descripsit, præmium æternum, quantum ad adeptionem omnis boni. Secundo, quantum ad remotionem omnis mali, ibi, in fine ℣. 6 : « *Pacem super Israel.* » 5

In prima duo. Primo, optat ei boni præsentiam absolute. Secundo, comparatione ad alios, vel bonum in aliis, ibi, ℣. 6 : « *Et videas filios.* »

In prima duo. Primo, optat ei beatitudinem quantum ad affectum. Secundo,

quantum ad intellectum, ibi, « *Et videas bona.* »

Dicit ergo : Sic erunt hæc merito timenti in præsenti, et o tu timens rogo, et opto, « *Benedicat tibi Dominus,* » et hoc, « *ex Sion,* id est, benedictione ex Sion, scilicet ex cœlestibus. Hæc benedictio de qua, Proverb. x, 22 : *Benedictio Domini divites facit.* Et, Matth. xxv, 34 : *Venite, benedicti Patris mei.*

Vel sic : « *Benedicat tibi Dominus,* » qui venit « *ex Sion,* » qui natus est scilicet ex Judæis. Psal. XLIX, 2 : *Ex Sion species decoris ejus.* Tob. IX, 9 : *Benedicat te Deus Israel.* Deuter. XXXIII, 16 : *Benedictio illius qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph.* Proverb. III, 33 : *Habitacula justorum benedicentur.*

« *Et videas.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic benedictionem infundat in affectus, « *et* » etiam « *videas,* » quantum ad intellectum, « *bona Jerusalem,* » illius supernæ, « *omnibus diebus vitæ tuæ,* » jugiter scilicet et continue, quod non posset dici de bonis præsentis vitæ : transeunt enim incessanter. Et sic replebitur intellectus, Isa. LX, 5 : *Tunc videbis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum.* Hæc visio est vita æterna, Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te.* Ipse enim est omnia bona, Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt oculi ejus.*

6

« *Et videas filios.* » Hic secundum, in quo optat ei gloriam de aliis, et in aliis.

Ait enim : Sic te Dominus benedicat, consolationem in affectus infundendo, sic cognitione intellectum illustrando, « *et* » etiam « *videas filios* » spirituales, vel etiam terræ carnales, « *filiorum tuorum,* » in cœlo glorificatos. Tob. IX, 11 : *Et videatis filios vestros, et filios filiorum vestrorum, usque in tertiam et quartam generationem.* Magna enim gloria est videre ibi filios carnaliter genitos, ad litteram : sed multo major, spiritualiter. I ad Thessal. II, 19 : *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus ?* Secundum utramque acceptionem corona senum filii filiorum. Fructus etiam bonorum operum sunt filii filiorum quos optat videri. Proverb. XXXI, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum.*

« *Pacem super Israel.* » Ecce secundum, in quo optat amotionem omnis mali. Pax enim vera amovet et expellit omnia mala et aspera.

Dicit ergo : Sic videas filios, ut in illis glorieris, et videas « *pacem* » veram, omne scilicet malum excludentem, « *super Israel* » existentem. Pacem quam superius petebat, Psal. CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua.*

Et nota, quod est pax reconciliationis, quæ est pax *inter* Israel, quam facit Deus inter Angelos et homines, inter homines et homines in fide et ritu diversos. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Et est pax pectoris, quæ est pax *in* Israel. Luc. II, 14 : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Constat, quod de pace pectoris loquitur : multam enim habet frequenter exterius turbationem. Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis.* Et est pax æternitatis, pro qua petit hic, quæ est pax *super* Israel. Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis.* Ad Galat. VI, 16 : *Pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Hæc est illa, de qua Apostolus, ad Philip. IV, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras.* Ad quam nos perducat, qua nos perfundat, qui est benedictus, etc.

Pax reconciliationis, pectoris, et æternitatis.

PSALMUS CXXVIII.

Funestus impiorum exitus.

1. Canticum graduum.
Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israel :
2. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : etenim non potuerunt mihi.
3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores : prolongaverunt iniquitatem suam.
4. Dominus justus concidit cervices peccatorum.
5. Confundantur, et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.
6. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit :
7. De quo non implevit manum suam qui metit, et sinum suum qui manipulos colligit.
8. Et non dixerunt qui præteribant : Benedictio Domini super vos. Benediximus vobis in nomine Domini.

IN PSALMUM CXXVIII

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

« *Sæpe expugnaverunt me*[1]. » Hic est Psalmus centesimus vicesimus octavus, in Psalmis Gradualibus decimus, in illis qui pertinent ad profectum in bono, quintus et ultimus. Sicut enim necessaria est volenti proficere, primo, propositi firmitas, postmodum, lætitia, tertio, spes et confidentia : sic ultimum et consummativum exigitur, scilicet in adversis patientia fortis. Jacob. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet.*

Argumentum Psalmi: Patientia in adversis.

Præmisso ergo titulo, supponitur Psalmus in duas partes dividendus. Primo quidem ostendit mala quæ ab adversariis per tribulationum frequentiam perveniunt. Secundo, fraudulentiam expugnantium, ibi, ℣. 3 : « *Supra dorsum.* » Tertio, tribulationum intensionem, ibi, « *Prolongaverunt.* »

In prima duo. Primo, exprimit tribulationum frequentiam, quia ab initio Ecclesiæ semper justus a malo tribulationem patitur. Secundo, frustrationem sic persequentium, ibi, in medio ℣. 2 : « *Etenim non potuerunt.* »

In prima duo. Primo, tangit frequen-

[1] Les idées exprimées dans ce chant supposent Israel en butte aux vexations et aux persécutions de ses ennemis. On peut donc le rapporter au temps qui suivit la captivité.

Israel qui a confiance en Dieu au milieu de ses épreuves, et qui annonce le châtiment de ses ennemis, est l'image de l'Eglise militante, dont le triomphe doit être acheté au prix des souffrances.

H. Lesêtre.

tiam impugnationum, in auferendo bona. Secundo, in infligendo mala, ibi, ỳ. 2 : « *Sæpe expugnaverunt.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic necessarium est quod Deus ædificet, quod Deus conservet, aliter stare non possumus : tamen nemo desperet in me, imo « *dicat nunc,* » hic in præsenti, in futuro enim non erit necesse dicere, « *Israel,* » populus Deum videns formata fide : « *Expugnaverunt me,* » diabolus, Apocal. XII, 3 et seq., Draco pugnabat contra mulierem masculum parituram. I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus... circuit, quærens quem devoret.* Hæreticus, Genes. XIX, 4 et seq., Domus Loth, scilicet Christi ad nos declinantis (Loth enim interpretatur *declinans*) obsessa est a Sodomitis. Hæretici Sodomitæ sunt, contra naturam peccant, vel divinam, vel humanam in Christo. Tyrannus, Job, I, 17 : *Chaldæi* (qui interpretantur *feroces*) *fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos,* humiles scilicet et obedientes, *et tulerunt eos.* Frater falsus, Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

Et hoc « *sæpe,* » scilicet « *a juventute mea :* » ex quo enim cœpit Ecclesia, ab iis quatuor impugnatur. Quando adhuc juvenis erat, scilicet in Abel, Job, XXIV, 14 : *Mane primo consurgit homicida.* Postmodum legitur, quod Ismael persecutus est Isaac [1], et Esau, Jacob [2]. Filii quoque Israel persecutionem ab Ægyptiis passi sunt, in tantum ut ad amaritudinem animas eorum provocarent [3]. Propter hoc dicitur, Eccli. II, 1 : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.*

2 « *Sæpe expugnaverunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic expugnaverunt bona auferendo, et etiam « *sæpe expugnaverunt me,* » infligendo mala. Apocal. XII, 3 et seq., Postquam mulier peperit masculum, statim cum incipit aliquis in actum producere bonum propositum, cœpit eam draco impugnare. A principio dictum est, Genes. III, 15 : *Inimicitias ponam inter te et mulierem.* Eccli. XL, 1 : *Jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Job, VII, 1 : *Militia est vita hominis super terram.*

« *Etenim non potuerunt mihi.* Præmissa impugnatione, sequitur impugnantium frustratio.

Ait enim : Sic impugnaverunt, « *etenim,* » sed « *non potuerunt mihi,* » Deo me conservante. Eccli. IV, 33 : *Usque ad mortem certa pro justitia, et Dominus expugnabit inimicos suos.* Cantic. VIII, 7 : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem.* Ad Roman. VIII, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi?* Nihil, si volumus. Propter hoc dicit Joannes quibusdam, I Canonic. II, 13 : *Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum.* Et, paulo post, ỳ. 14 : *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis,... et vicistis malignum.* Ad Hebr. XI, 30 : *Qui,* scilicet sancti, *per fidem vicerunt regna.* Imo magis augmentantur, et multiplicantur. Matth. XVI, 18 : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

« *Supra dorsum.* » Hic secundum, in quo subjungit de fraudulentia impugnantium. 3

Ait enim : Sic impugnaverunt me frequenter, impugnaverunt et fraudulenter, quia « *peccatores fabricaverunt,* » non ab ante, sed « *supra dorsum,* » tamquam a posteriori, et latenter me

[1] Cf. Genes. XXI, 9.
[2] Ibidem, XXVII, 41 et seq.
[3] Exod. II, 23 et seq.

persequentes. Fabricatores ergo sunt persecutores. Eccli. xi, 35 : *Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala*, verum est, pœnas supra dorsum tuum. Ezechiel. xxi, 31 : *Dabo te in manus insipientium et fabricantium interitum*. Fabricant etiam malum culpæ, falsitates et mendacia. Job, xiii, 4 : *Vos ostendens fabricatores mendacii*. Et præter intentionem ex eorum fabricatione surgunt sancti in vasa gloriosissima, et dilatata. Supra, in Psal. iv, 3 : *In tribulatione dilatasti mihi*. Ad Roman. v, 3 et 4 : *Tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem*[1]. Isa. liv, 16 : *Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum*.

« *Prolongaverunt*. » Hic tertium, in quo subjungit de intentione tribulationum.

Ait enim : Sic iniqui fabricaverunt super dorsum meum, et « *prolongaverunt*, » longam ipsam facientes, « *iniquitatem suam*. » Isa. v, 18 : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis!* Vel, « *prolongaverunt*, » id est, longe a me, dicit justorum congregatio, fecerunt « *iniquitatem suam*. » Magna enim iniquitas longe est a justis. Jerem. ii, 5 : *Elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt*.

4 Secunda pars Psalmi. « *Dominus justus concidet*. » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in qua præmissa constantia in persecutionibus a malis, subjungit de pœna quæ retribuetur eis a justo judice Deo : et tangitur triplex. Prima, eorum humiliatio in morte. Secunda, confusio in judicio, ibi, ℣. 5 : « *Confundantur*. » Tertia, æterna damnatio in gehenna, ibi, ℣ 6. : « *Fiant sicut fœnum*. »

Dicit ergo : Sic persecuti sunt ab initio, nec prævaluerunt, nec semper persequentur, quoniam « *Dominus justus*. » Jerem. xii, 1 : *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum*. Et ad instruendum diligens, Psal. lx, 8 : *Justus Dominus, et justitias dilexit*. Juste omnia ordinans et disponens, Sapient. xii, 15 : *Cum sis justus, Domine, juste omnia disponis*. « *Concidit*, » id est, humiliat, « *cervices*, » id est, cervicositates, « *peccatorum*, » superborum scilicet nos persequentium. In cervice enim superbia intelligitur. Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus eum*, scilicet Deum, *erecto collo, et pingui cervice armatus est*. Et Gregorius dicit : « Nihil tam displicet Deo quam cervix erecta post peccatum. » Sed Dominus hanc confringit et humiliat. Job, xiii, 12 : *Redigentur in lutum cervices vestræ*, quantumcumque fuerint exaltatæ. Et, xx, 6 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur*. Et optime dicit, *concidit* : superbi enim flecti non possunt, et propter hoc necesse est illos concidi vel succidi. Isa. x, 33 : *Excelsi statura succidentur*.

« *Confundantur*. » Hic secundum, scilicet eorum confusio in judicio. Et tangitur primo confusio per modum deprecationis. Secundo, ratio, ibi, « *Et convertantur*. » 5

Dicit enim : Sic in morte cervices concidentur, et etiam in judicio generali « *confundantur*, » id est, confundentur. Osee, x, 6 : *Confusio Ephraim capiet, et confundetur Israel in voluntate sua*. Jerem. xvii, 18 : *Confundantur qui me persequuntur*.

« *Et convertantur*. » Hic ratio confusionis, cognitio sui defectus, et impotentiæ, qui prius potentes videbantur.

Ait enim : Sic confundantur : « *Et*, »

[1] Cf. Jacob. i, 3 et 4 : *Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet*.

id est, quia « *convertantur retrorsum,* » ut inefficaces, hoc est, impotentes appareant, dicit Glossa, qui prius aliquid videbantur. « *Omnes qui oderunt Sion,* » Ecclesiam scilicet, et justorum congregationem. In Psal. xxxix, 15, supra : *Convertantur retrorsum qui volunt mihi mala.* Jerem. vii, 24 : *Facti sunt retrorsum, et non ante.*

6 « *Fiant sicut fœnum.* » Hic tertium, scilicet æterna damnatio, in quo tanguntur duo, scilicet causa, et ratio damnationis, scilicet prosperitas transitoria. Secundo, damnatio, ibi, ỳ. 7 : « *De quo non implevit.* »

Dicit ergo : Sic concidatur cervix in morte, confusio sit eis in judicii discussione, et etiam « *fiant* » in hac vita, « *sicut fœnum,* » virentes scilicet et gloriosi in exteriorum prosperitate, et apparentia. Isa. xl, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni.* « *Fœnum,* » inquam, « *tectorum,* » id est, super tecta crescens : et loquitur ad modum Palæstinæ, ubi tecta plana sunt, et crescunt in illa planitie sæpe fœna. « *Quod,* » inquam, fœnum, « *exaruit* » frequenter, « *priusquam evellatur,* » id est, antequam ad evulsionum commoditatem perducatur. Isa. xxviii, 1 : *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, et flori decidenti!* Psal. xxxvi, 2 : *Tamquam fœnum velociter arescent, et quemadmodum olera herbarum cito decident.* Jacob. i, 10 : *Sicut flos fœni transibit.* Eccli. x, 11 : *Omnis potentatus,* ecce fœnum tectorum, *brevis vita,* ecce quam cito arescet.

7 « *De quo non implevit.* » Hic secundum, æterna damnatio sequens ex transitoria prosperitate illa. Et primo, tangitur illorum exclusio e vita æterna. Secundo, etiam a præsenti gratia, ibi, ỳ. 8 : « *Et non dixerunt.* »

In prima duo. Primo, innuit privandos deductione ad gloriam, seu portatione, quæ fit per Angelos sanctos colligentes, et quasi metentes. Secundo, collocatione in illa, ibi, « *Et sinum suum.* »

Dicit ergo : Sic cito succidantur, in morte, et etiam fiant sicut fœnum, « *de quo non implevit manum suam qui metit,* » scilicet Angelos, in fine mundi, quando jussionem habebunt Angeli de metendo omnes. Matth. xiii, 30 : *In tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum,* ita ut non impleatis manum vestram ad præsentandum coram me. Apocal. xiv, 15, dictum est Angelo : *Mitte falcem tuam, et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.*

« *Et,* » de quo non implevit « *sinum suum,* » eos in gloria collocando, « *qui manipulos colligit,* » in sinum gloriæ suæ, scilicet justos. In illo, inquam, sinu, de quo Isa. xl, 11 : *In brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit.* De quo etiam, Luc. xvi, 22 : *Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis,* a messoribus, *in sinum Abrahæ,* sicut manipulus in granchiam, et granum in horreum. Matth. xiii, 30 : *Triticum autem congregate in horreum meum.*

« *Et non dixerunt qui præteribant.* » 8
Hic secundum, in quo monstratur illorum exclusio a gratia in præsenti. Primo, quia nec a sanctis sunt in suis operibus benedicti. Secundo, quia nec in seipsis, ibi, « *Benediximus vobis.* »

Dicit ergo : Sic excludantur ab æterna vita, « *et* » etiam « *qui præteribant,* » per vitam præsentem, tamquam per alienam. Eccli. xxix, 33 : *Transi, hospes, et orna mensam : et quæ in manu habes, ciba cæteros.* Et de Apostolis dicitur, Act. viii, 4 : *Pertransibant, evangelizantes verbum Dei.* « *Non dixerunt : Benedictio Domini super vos,* » operan-

tes : antiquitus enim transeuntes operantibus gratiam optabant in operando, et divinum adjutorium. Sic Booz messoribus, Ruth, II, 4, dixit : *Dominus vobiscum.*

« *Benediximus vobis,* » in personis vestris, « *in nomine Domini*, » sicut sanctus Jacob benedicebat filio suo Joseph. Hæc impleta sunt in pessimis Judæis, et quotidie implentur in repellentibus verbum Dei. Sancti enim prædicatores nec talium operibus, nec personis eorumdem benedicent, sed ab eis recedere debent, sicut præceptum est Matth. x, 14 et Luc. IX, 5. Et sicut Apostoli fecerunt, Act. XIII, 46 : *Quoniam repellitis verbum Dei, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Sed pietati assentientes benedicunt, gratiam illis optando, ad quam nos perducat, etc.

Ecclesia multum proficit ex adversis.

Nota, quod Ecclesia adversis elevatur, Genes. VII, 18, Aquæ diluvii elevaverunt arcam in sublime[1]. Multiplicatur, Exod. I, 12, Filii Israel afflicti ab Ægyptiis multiplicabantur. Joan. XII, 24 : *Nisi granum frumenti*, etc. Dilatatur, in Psal. IV, 2 : *In tribulatione dilatasti mihi*. Isa. LX, 5 : *Dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris.* Infortiatur, ad Hebr. XI, 34 : *Fortes facti sunt in bello.* Ad Roman. v, 3 : *Tribulatio patientiam operatur.* Isa. LIV, 16 : *Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, et proferentem vas in opus suum.* Nutritur, Job, x, 15 : *Si justus fuero, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria.* Ditatur, Job, XXXVII, 22 : *Ab Aquilone aurum venit.* Prudentior efficitur, Isa. XXVIII, 19 : *Vexatio intellectum dabit auditui.* Ad Deum ire compellitur, in Psal. XV, 4 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea,* etc. Gregorius : « Mala, quæ nos « hic premunt, ad Deum nos ire com- « pellunt. »

PSALMUS CXXIX.

Oratio pro precanda fiducialiter peccatorum venia.

1. Canticum graduum.
De profundis clamavi ad te, Domine :
2. Domine, exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.
3. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, qui sustinebit?
4. Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te, Domine.
Sustinuit anima mea in verbo ejus :
5. Speravit anima mea in Domino.
6. A custodia matutina usque ad noctem, speret Israel in Domino :
7. Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.
8. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

[1] Genes. VII, 18 : *Porro arca ferebatur super aquas.*

IN PSALMUM CXXIX

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

« *De profundis clamavi*[1]. » Hic est Psalmus centesimus vicesimus nonus in toto libro, in tertia vero parte vicesimus nonus, inter Graduales Psalmus undecimus : primus inter illos quinque qui pertinent ad perfectionem boni.

Cum enim nullus sit tam perfectus qui non peccet, I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est :* primus gradus est in peccato orationis confidentia, orationis, inquam, pro liberatione factæ, de profundo miseriæ præsentis. Et dico *confidentiam*, ut experti jam in pluribus misericordiam Dei, et bonitatem : hoc enim est perfectorum.

Argumentum Psalmi Confidentia orantis ut de profundo peccatorum liberetur.

Primo ergo præmisso titulo consueto, confidenter se orasse monstrat. Secundo, excitat alios ad confidentiam in bono, ibi, ỳ. 6 : « *A custodia matutina.* »

In prima duo. Primo, quod oravit. Secundo, quod confisus sit cum oraverit in Domino, ibi, ỳ. 4 : « *Quia apud te.* »

In prima dicuntur tria. Primo, causam orationis exprimit et clamoris. Secundo, formam, ibi, ỳ. 2 : « *Domine, exaudi.* » Tertio, ostendit necessitatem, ibi, ỳ. 3 : « *Si iniquitates.* »

1 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : O « *Domine,* » ad quem solum est recursus verus, « *clamavi,* » fervore cordis, « *ad te,* » et hoc « *de profundis* » peccatorum, in quibus pressus lateo, quamdiu in hac misera vita vivo. Jonæ, II, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, et exaudivit*

[1] Le *De profundis*, qui est le sixième des psaumes pénitentiaux, est un ardent appel à la miséricorde de Dieu, et un acte de foi en son inépuisable bonté. Israël reconnaît qu'il a péché ; mais la clémence divine est si grande que dans le coupable repentant la confiance l'emporte sur la crainte. Ce psaume a un certain nombre d'idées et d'expressions communes avec le LXXXVe. Les mots קשוב, *gashoub*, ỳ. 2, et סליחה, *selichah*, ỳ. 4, ne se trouvent que II Paralip. VII, 15 ; II Esdræ, I, 6, 11, et Daniel. IX, 17. On est donc autorisé à croire que ce cantique est contemporain des autres psaumes graduels, et qu'il a été composé soit pendant la captivité, soit peu après. Quelques commentateurs le rapportent à la circonstance indiquée I Esdræ, IX, 5-10 ; peut-être l'état des Juifs à Babylone expliquerait-il plus naturellement l'ardeur avec laquelle le psalmiste appelle la rédemption.

Cette rédemption d'Israel est la figure de la rédemption du genre humain ; aussi l'Eglise chante-t-elle ce psaume aux Vêpres de Noël, et rappelle-t-elle à la naissance du Messie que « apud Dominum misericordia et copiosa apud « eum redemptio. » L'Eglise se sert encore de ce cantique pour appeler une autre délivrance, celle des âmes de ses enfants qui sont détenues dans la prison du purgatoire.

« Pour le réciter avec fruit, dit Berthier, « plaçons-nous en esprit dans ces profon- « deurs où sont détenues ces âmes souffran- « tes ; prenons les sentiments de componction « dont elles sont pénétrées ; représentons à « Dieu sa miséricorde et le prix du sang de « son Fils ; vivons surtout comme ces âmes « justes nous le conseilleraient, si elles étaient « encore au monde. » Il ne paraît pas pourtant que l'usage de réciter le *De profundis* pour les défunts remonte à une haute antiquité. Les *Constitutions apostoliques*, VI, 19, prescrivent en général le chant des psaumes aux funérailles, et saint Jérôme raconte qu'on en chanta aux obsèques de sainte Paule, Epist. CXVIII, 29. Le Psaume C servit à la mort de sainte Monique, S. Aug. Conf. IX, 12, et les Psaumes XXII, XXXI, CXIV, étaient également récités pour les morts, Saint Jean Chrys., Hom. IV in Hebr. II. Le psaume CXXIX ne devint la prière spéciale pour les défunts que quand il eut été adopté pour la cérémonie de la levée du corps, aux funérailles des chrétiens.

H. LESÊTRE.

me : de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam.

Multiplex profundum.

Notandum enim, quod est profundum quod non attingimus, scilicet divinæ providentiæ. Job, XI, 8 : *Profundior inferno est, et unde cognosces?* Psal. XCI, 6 : *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Et est profundum, quod inquirimus, scilicet profundum Scripturæ. Eccle. VII, 25 : *Alta profunditas, quis inveniet eam?* Et Deus revelat sicut vult. Job, XII, 22 : *Qui revelat profunda de tenebris*, etc. Et est profundum humanæ adinventionis, de quo, Isa. XXIX, 15 ; *Væ qui profundi estis corde, ut abscondatis a Domino consilium!* Et desperationis, Proverb. XVIII, 3 : *Impius cum in profundum venerit*, peccatorum scilicet, *contemnit.* Et profundum humanæ miseriæ, de quo, hic, et supra, in Psal. LXVIII, 16 : *Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Et gehennalis, Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo, in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Job, XVII, 16 : *In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Exod. XV, 5 : *Descenderunt in profundum, quasi lapis.* Et charitatis, Ad Ephes. III, 17 et 18 : *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* « *De profundis* » ergo, quia de profundo culpæ in quo pene mergor, de profundis miseriæ, in quo totus sum, « *clamavi ad te, Domine,* » cum Petro, Matth. XIV, 30 : *Et cum cœpisset mergi, clamavit, dicens*, etc.

2 « *Domine, exaudi.* » Hic secundum, forma orationis, hoc est, quid oraverit. Primum, ut audiat orationem pro bonis adipiscendis. Secundo, ut intendat deprecationi pro malis amovendis, ibi, « *Fiant aures.* »

Dicit ergo : Sic clamavi urgente miseria, sed quomodo? Sic : « *Domine, exaudi vocem meam,* » orantem ut mihi bona conferantur. Daniel. IX, 17 : *Exaudi, Deus noster, orationem servi tui.* Judith, IX, 17 : *Exaudi me miseram deprecantem, et de tua misericordia præsumentem.*

« *Fiant aures tuæ.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic clamavi, ut exaudiret vocem, dicens etiam hoc : « *Fiant aures tuæ.* » Anthropopathos est. II Paral. VI, 40 : *Sint oculi tui aperti, et aures tuæ intentæ.* « *Intendentes.* » Daniel. IX, 19 : *Exaudi, Domine : placare, Domine : attende, et fac.* « *In vocem deprecationis meæ,* » pro amovendis miseriis factæ, et culpæ et pœnæ. Supra, in Psal. XVI, 1 : *Auribus percipe orationem meam.*

« *Si iniquitates.* » Hic tertium hujus partis, in quo ostendit clamandi necessitatem. 3

Dicit sic : De profundis clamavi, ut audirer de bonis adipiscendis, et malis amovendis. Et necesse habui, quia o « *Domine,* » cui nullus resistere potest, « *si observaveris.* » Observantia diligentiam importat, id est, ad judicium servaveris, « *iniquitates,* » in quibus sumus, quas continue facimus, « *quis sustinebit?* » id est, sustinere poterit? Vere nullus. Gregorius : « Si districte nobis« cum ageret, natura humana fragilis « nullatenus sustineret. » Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille.* Nullus sustinebit : quia nullus est qui non sit peccatis oppressus. Supra, in Psal. XXXVII, 5 : *Iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Nullus est qui non sit immundus. Proverb. XX, 9 : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Nullus. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Propter hoc dicit Job, XXIII, 6 : *Nolo multa fortitudine contendat mecum.* Sed illud Psal. CXLII,

2 : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine.*

4 « *Quia apud te.* » Hic secundum, in quo postquam ostendit quod oraverit, ostendit quod fiduciam habuerit in orando : et tanguntur quatuor causæ confidentiæ et spei. Dei pietas, quæ peccata dimittit. Ejusdem charitas, quæ gratiam infundit, ibi, « *Et propter legem.* » Et veritas, quæ promissum solvit, ibi, « *Sustinuit anima mea.* » Et potestas, quæ potenter defendit, ibi, ỳ. 5 : « *Speravit anima mea.* »

Dicit ergo : Sic necessitate pressus oravi, nec diffidentiam habui, imo o « *Domine, sustinui,* » exspectando per spem, et confidentiam, « *quia apud te est propitiatio,* » qua peccata dimittis. Daniel. IX, 9 : *Tibi Domino Deo nostro misericordia et propitiatio.* Et, paulo ante, ỳ. 7 : *Tibi, Domine, justitia, nobis autem confusio faciei.* Nec modica, imo, maxima. Eccli. XVII, 28 : *Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se !* Imo totus est propitiatio. I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

« *Et propter legem.* » Ecce secunda causa. Quasi diceret : Sic sustinui propter pietatem, « *et* » etiam « *sustinui te propter legem tuam,* » charitatis scilicet, et clementiæ, qua gratiam infundis, non acriter punis, sicut in lege severitatis. Charitas enim lex ejus est, de qua, Job, XI, 5 et 6 : *Utinam Deus loqueretur tibi..., ut ostenderet tibi quod multiplex esset lex ejus.* Proverb. XXXI, 26 : *Lex clementiæ in lingua ejus.* Hæc lex Christi. Ad Galat. VI, 21 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.*

« *Sustinuit anima mea.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sustinui, quia apud te pietas, apud te charitas, et etiam « *anima mea sustinuit* » confidenter, secundum illud Eccli. II, 7 : *Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus.* Et, in eodem, ỳ. 3 : *Sustine sustentationes Dei.* Sperans « *in verbo ejus,* » quo promittis sustinentibus adjutorium, imo regnum, per Apostolum, I ad Timoth. II, 12 : *Si sustinebimus, et conregnabimus.* Et non mentiris, Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.*

« *Speravit anima.* » Ecce quartum. 5
Quasi diceret : Sic spero, quia pius es, charitativus, et verax : et etiam « *anima mea speravit,* » non in alio, sed « *in Domino,* » qui potens est eripere et liberare ab omni malo. Proverb. XVI, 20 : *Qui sperat in Domino, beatus est.* Et, Jerem. XVII, 7, dicitur : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* Eccli. XXXIV, 15 : *Spes illorum in salvantem illos.* Et, XXXII, 28 : *Qui confidit in illo, non minorabitur.*

« *A custodia matutina.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua alios monet et excitat ad confidendum. Duo ergo dicuntur. Primo, admonitio de confidentia continua, et perseveranti. Secundo, ratio quare confidendum, ibi, ỳ. 7 : « *Quia apud Dominum.* » 6

Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic confidenter oravi, et « *Israel,* » populus videns Deum per fidem. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* « *Speret in Domino,* » et hoc, « *a custodia matutina,* » a fine scilicet noctis, quæ est matutina, vel « vigilia » secundum aliam litteram, « *usque ad noctem,* » hoc est, per totam diem continue. Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum,* semen bonæ spei, et confidentiæ in Deum, *et vespere ne cesset manus tua :* in vespere sperare non cessa. Vigilia etiam vel custodia matutina potest dici juventus, tunc

enim est mane, vespere vero senectus. A juventute ergo usque ad senectutem in Domino sperandum. In Psal. LXX, 5, supra : *Domine, spes mea a juventute mea, in te confirmatus sum ex utero.* Et rursus, in alio Psalmo LXX, 9 : *Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea*, etc. Vel, vigilia matutina, collatio gratiæ : nox vero consummatio in morte. Ergo ab instanti in quo confertur gratia usque ad mortem sperandum. Hæc est vigilia matutina, de qua, Exod. XIV, 24 : *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis*, gratia accendente ad bonum, et concupiscentiam refrigerante. Et, Matth. X, 22 et XXIV, 13 : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Levit. III et IV, caput hostiæ et cauda præcipiebatur offerri Domino.

7 « *Quia apud Dominum.* » Hic secundum, ratio quare sperandum Israeli in ipso. Primo, beneficium jam acceptum. Secundo, accipiendum, ibi, ℣. 8 : « *Et ipse redimet.* »

Acceptum duplex beneficium, scilicet incarnationis primo, et beneficium passionis secundo, ibi, « *Et copiosa.* »

Dicit ergo : Sic perseveranter speret Israel in Domino : et justum est, « *quia apud Dominum misericordia,* » quia voluit incarnari et homo fieri. Joel, IV, 2 : *Clemens et misericors est.* Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Psal. CXLIII, 1 et 2 : *Dominus Deus meus,... misericordia mea.*

« *Et copiosa apud eum redemptio.* » Sanguine in passione effuso. In Psal. CX, 9, supra : *Redemptionem misit Dominus populo suo.* Ad Ephes. I, 7 : *Habentes redemptionem per sanguinem ejus.* I ad Corinth. II, 30 : *Factus est nobis a Deo Patre sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* I Petr. I, 18 et 19 : *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vestra vana conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.* « *Et copiosa,* » sufficiens pro toto mundo. Copiosa fuit illa redemptio, propter rei oblatæ quantitatem, Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Item, propter offerendi qualitatem, Sapient. II, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.* Item, propter oblationis utilitatem : fuit enim non solum redemptio, sed et lotio. Apocal. I, 6 : *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et refectio. Ambrosius : « De latere « Christi aqua et sanguis exivit : illa ut « diluat, iste ut redimat : bibamus ergo « pretium nostrum, et bibendo redima- « mur. Christus enim pro peccatis no- « stris semel mortuus est, quotidie pecca- « ta populi redempturus. » Propter liberatorum generalitatem, I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Propter inimicorum subversionem et dejectionem, Isa. LI, 9 : *Tu percussisti superbum, vulnerasti draconem.* Exod. XV, 1 : *Equum, et ascensorem ejus dejecit in mare.* Propter præmii magnitudinem, Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te*[1].

« *Et ipse redimet.* » Hic subjungit de 8 beneficio in futuro exhibendo. Quasi diceret : Sic confitendum, quia incarnatus, quia passus : « *et* » etiam « *ipse* » « *redimet Israel,* » populum fide formata videntem se, « *ex omnibus iniquitatibus ejus,* » quod fiet plene in generali resurrectione. Redemit quidem per passio-

[1] Cf. I ad Corinth. II, 9.

nem, sicut jam superius tactum fuit. Isa. xliv, 23 : *Redemit Dominus Jacob*. Et, Jerem. xxxi, 11 : *Redemit Dominus Jacob, et liberavit eum de manu potentioris*. Et, Isa. xliv, 22 : *Revertere ad me, quoniam redemi te*. Gregorius : « Nul- « lum peccatorem revertentem despicit, « quia peccatores redimere venit. » Sed tandem plenius redimet in generali resurrectione. Ad Roman. viii, 23 : *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri*. Isa. xliii, 25 : *Ego sum ipse qui deleo iniquitates*, etc.

PSALMUS CXXX.

Humilitatis sincera professio.

1. Canticum graduum David.
Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.
Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.
2. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam :
Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.
3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum.

IN PSALMUM CXXX

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum David.* »

« *Domine non est exaltatum cor meum*[1]. » Hic est Psalmus centesimus trigesimus in toto libro, et sic trigesimus in tertia parte libri, in Psalmis gradualibus duodecimus, secundus in illis qui pertinent ad consummationem in bono.

Argumentum Psalmi: Confidentis mansuetudo et humilitas.

Cum enim actum sit in Psalmo præcedenti de confidentia supplicantis, hic agitur de humilitate confidentis, ne forte superbia credatur illa confidentia, et præsumptio, ubi dicuntur duo. Præmisso titulo communi, post exprimit suam humilitatem, loquens in persona omnium perfectorum. Secundo, ex hoc infert invitationem ad confidentiam, ibi, ỳ. 3 : « *Speret Israel.* »

In prima duo. Primo, removet a se omnem elationem, et superbiam. Secundo, ostendit suam humilitatem, ibi, ỳ. 2 : « *Si non humiliter.* »

In prima duo. Primo, removet a se

[1] « In isto psalmo commendatur nobis hu- « militas servi Dei et fidelis. » S. Aug. L'hébreu l'attribue à David. Ce serait alors une réponse à ceux qui accusaient d'ambition l'élu du Seigneur, et l'écho de la parole qu'il adressait à Michol : *Ero humilis in oculis meis*, II Reg., vi, 22. Delitzsch, Johnson et d'autres auteurs s'en tiennent à l'indication du titre, omis du reste dans les Septante. Nous remarquerons pourtant, à la suite de D. Calmet, que le dernier verset est sans rapport avec ce qui précède, et nous en concluerons que ce chant n'est probablement qu'un fragment, ou bien une courte prière, qu'on a voulu adapter plus tard à l'usage liturgique par l'addition du ỳ. 3

H. Lesêtre

interiorem superbiam. Secundo, exteriorem, ibi, « *Neque elati.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic confisus sum, et oravi, nec tamen superbivi, imo o « *Domine, cor meum,* » sicut tu scis, « *non est exaltatum,* » per superbiam interiorem, sicut Nabuchodonosor, Judith, I, 7: *Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, et elevatum est cor ejus.* Sed Dominus cito dejecit illam superbiam, Isa. x, 12 : *Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur.* Proverb. XVII, 19 : *Qui exaltat ostium suum, quærit ruinam.* Et, XVI, 18 : *Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatio spiritus.* Job, xv, 12 : *Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ?*

Superbia interior.

« *Neque elati sunt.* » Hic removet exteriorem, quæ est duplex : vel in signo, et hanc removet primo : vel in facto, et hanc secundo, ibi, « *Neque ambulavi.* »

Superbia exterior. Dicit ergo : Sic cor non est exaltatum, « *neque elati sunt oculi mei,* » ut esset superbia in signo exteriori. Eccli. XXIII, 5 : *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Tales enim in generatione malorum computantur, Proverb. xxx, 13 : *Generatio, cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ in altum porrectæ.* A Deo odiuntur, Proverb. VI, 17 : *Oculos sublimes odit Deus.* Ab ipso dejiciuntur, Isa. II, 11 : *Oculi sublimes hominis humiliati sunt.* Gregorius : « Omnis superbia « tanto in imo jacet, quanto in altum se « erigit. »

« *Neque ambulavi.* » Hic amovet exteriorem superbiam in facto. Et primo, in facto in quod est humana potentia. Secundo, in facto quod est super humanam, ibi, « *Neque in mirabilibus.* »

Dicit ergo : Sic oculi mei non sunt exaltati ut esset superbia in signo : « *neque* » etiam « *ambulavi in magnis,* » operibus scilicet et pompis, in quibus ambulant superbi ad ostentationem, sicut illi, de quibus Dominus, Marc. XII, 38 : *Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro* [1]. Amos, II, 7 : *Viam humilium declinant.* Et, VI, 1 : *Optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel.*

« *Nec in mirabilibus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic non ambulavi in magnis, « *nec* » ambulavi, repete, « *in mirabilibus super me,* » super vires meas existentibus, et statum meum, quod est magna superbia. Eccli. III, 22 : *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* Superbi super se semper nituntur ascendere. Isa. XVI, 6 : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde : superbia ejus, et arrogantia ejus, plusquam fortitudo ejus.* Tales fuerunt magi Pharaonis, qui voluerunt facere sciniphes, quas non poterant [1]. Talis erat Simon magus, qui volebat facere miracula sicut Petrus [2]. Talis erit Antichristus, qui ostendet se tamquam sit Deus. Daniel. XI, 36 : *Elevabitur et magnificabitur adversus omnem deum.* Et dicit Hieronymus : « Hoc proprie super- « cilio Episcoporum convenit, qui ope- « ribus dedecorant nominis dignitatem, « pro humilitate superbiam assumentes, « non attendentes illud Luc. XVI, 15 : « *Quod hominibus altum est, abomina-* « *tio est ante Deum.* »

« *Si non humiliter.* » Hic secundum, in quo duo. Primo, asserit de se humilitatem. Secundo, subjungit imprecationem, si non ita sit sicut dixit, ibi, « *Sicut ablactatus.* » 2

In prima duo. Primo, asserit se sen-

[1] Cf. Luc. xx, 46 : *Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro,* etc. Cf. etiam Matth. XXIII, 6, et Luc. XI, 43.

[1] Cf. Exod. VIII, 18.
[2] Act. VIII, 18 et seq.

sisse humiliter de seipso. Secundo, nullam exaltationem fuisse pro quocumque Dei beneficio, quod est magna humilitas, ibi, « *Sed exaltavi.* »

Dicit ergo : Sic non superbivi, nec interius in animo, nec exterius in signo vel facto, imo « *si non sentiebam humiliter de meipso.* » Ad Roman. xi, 20 : *Noli altum sapere, sed time.* Et, xii, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Isa. v, 21 : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes!* Gregorius : « Proprium electorum specialissimum « esse solet, vera de Deo credere, humi- « lia de se sentire, sicut magister eorum « Christus, ad Philip. ii, 5 : *Hoc sentite* « *in vobis, quod et in Christo Jesu.* »

« *Sed exaltavi animam meam,* de divinis me beneficiis extollendo, sciens illud Apostoli, I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Sic Abraham, qui multa bona acceperat, non se exaltabat, Genes. xviii, 27 : *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis et cinis?* Et, Job, xxxi, 26 : *Si vidi solem,* magni beneficii fulgorem, *cum fulgeret, et lunam incedentem clare,* minoris beneficii apparentiam.

« *Sicut ablactatus.* » Hic secundum, scilicet imprecatio contra seipsum, si non fuerit humilis, sicut dixit.

Ait enim : Si non sensi humiliter, et exaltavi animam, « *fiat retributio in anima mea,* » non in corpore tantum, ut impleatur in me illud Isa. iii, 11 : *Væ impio in malum! retributio enim manuum ejus fiet ei.* » Ita me miseriæ et morti expono, « *sicut super matre sua,* » supple, incumbens parvulus, morti exponitur, « *ablactatus,* » a matris lacte separatus : statim enim perit. Thren. iv, 4 : *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti.*

Lactis variæ acceptiones. Et nota hic, quod est lac adulationis, de quo, Proverb. xvi, 2 : *Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit illum per viam non bonam.* Ab hoc bonum est separari, Proverb. i, 10 : *Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Et est lac carnalis voluptatis, et prudentiæ sæcularis, et hæreticæ perversitatis, de quo, Thren. iv, 3 : *Lamiæ nudaverunt mammam,* caro, mundus, et hæreticus : *lactaverunt catulos suos.* Et ab hoc ablactandi sumus, Isa. xi, 8 : *Super foramine aspidis, et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* Et est lac abundantiæ temporalis, Exod. iii, 17 : *Educam vos de afflictione Ægypti, et inducam vos in terram fluentem lac et mel.* Et ab hoc non lactari perfectum, Isa. xxviii, 9 : *Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte,* etc. Et est lac doctrinæ simplicis, I ad Corinth. iii, 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Ad Hebr. v, 12 : *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Hoc debemus lactari, I Petr. ii, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite.* Hoc lactant nos sacri Doctores ut nutrices, II ad Thessal. ii, 7 : *Facti sumus in medio vestri, tamquam si nutrix foveat filios suos,* uberibus duorum testamentorum. Cantic. i, 1 : *Meliora sunt ubera tua vino.* Et est lac divinæ consolationis, quo mirabiliter pascitur, et reficitur affectus, Osee, ii, 14 : *Ecce ergo lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Isa. lxvi, 10 et 11 : *Gaudete... ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus.*

« *Speret Israel.* » Hic secunda pars totius Psalmi, in qua subjungitur aliorum invitatio ad sperandum, et perseveranter : et dicuntur duo. Primo, invitat. Secundo, declarat quamdiu sit sperandum, ibi, « *Ex hoc nunc.* » 8 Secunda pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic confisus sum in Domino, et nihilominus humilis factus sum : sed admonendo dico : « *Speret Israel in*

Domino. » Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum.* Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est ?* I Machab. II, 61 : *Cogitate per generationem et generationem, quoniam qui sperant in eum, non infirmantur.* Et hoc, « *ex hoc nunc et usque in sæculum.* » Osee, XII, 6 : *Misericordiam et judicium custodi, et spera in Deo tuo semper.* Psal. LVI, 2 : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas,* hoc est, usque ad finem, imo ultra : non enim omnino transibit iniquitas, imo in inferno manebit.

PSALMUS CXXXI.

Deo exponit votum de arca in Jerusalem reducenda, eumque orat ut impleat juramentum de Christo mittendo.

1. Canticum graduum.
Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus :
2. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob :
3. Si introiero in tabernaculum domus meæ [1] : si ascendero in lectum strati mei :
4. Si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem :
5. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.
6. Ecce audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis silvæ.
7. Introibimus in tabernaculum ejus : adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.
8. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ [2].
9. Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exsultent.
10. Propter David, servum tuum, non avertas faciem Christi tui.
11. Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam [3].
12. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos,
Et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.
13. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.
14. Hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo, quoniam elegi eam.
15. Viduam ejus benedicens benedicam : pauperes ejus saturabo panibus.
16. Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.
17. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo [4].
18. Inimicos ejus induam confusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

[1] II Reg. VII, 2.
[2] II Paralip. VI, 41.
[3] II Reg. VII, 12; Luc. I, 55; Act. II, 30.
[4] Malach. III, 1; Luc. I, 69.

IN PSALMUM CXXXI

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

« *Memento, Domine, David*[1]. » Hic est Psalmus centesimus trigesimus primus in toto libro, in tertia vero parte trigesimus primus, in Psalmis Gradualibus decimus tertius, in illis qui pertinent ad perfectionem boni, tertius.

Cum enim actum sit de confidentia supplicantis, postmodum de vera humilitate confidentis, hic tertio agitur de desiderio profectus aliorum, et promotionis Ecclesiæ Dei sub typo domus, cujus ædificatio vehementer desideratur. Hoc enim desiderio sancti inflammantur.

Argumentum Psalmi: Desiderium ædificationis Ecclesiæ.

Præmisso ergo titulo, superius frequenter exposito, et in nullo mutato,

[1] Bien qu'il fasse partie des Cantiques des Montées, ce psaume, dit Bickell, « uti longitu« dine, argumento, strictiori parallelismo, ita et « metro a cæteris gradualibus differt, unde « probabile fit eos non a metro, sed a peregri« nationibus festivis nomen accepisse. » Il n'a malheureusement pas de nom d'auteur, ni dans l'hébreu, ni dans les versions. Tout d'abord, on ne peut l'attribuer à David; les ℣℣. 10, 17, supposent manifestement que David, le psalmiste, et l'oint pour lequel on prie sont des personnages différents. S. Pierre dit bien en parlant du saint roi, Act. II, 30 : *Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus...* ; mais l'usage que l'Apôtre fait des paroles du psaume n'implique nullement que David les ait écrites. Nous en pouvons dire autant de la citation que fait S. Etienne dans le même livre, VII, 46, quand il rappelle que David *petiit ut inveniret tabernaculum Deo Jacob*; ces dernières paroles peuvent d'ailleurs se rapporter à I Paralip. XXVIII, 2.

Le second livre des Paralipomènes, VI, 41, 42, met sur les lèvres de Salomon, à la consécration du temple, les ℣℣. 8-10 de notre psaume, avec de très légères variantes. De sérieux auteurs Bellarmin, Schegg, Tholuck, Le Hir, Patrizi, etc., en concluent que tout le psaume est de Salomon, ou d'un de ses contemporains, et Perowne juge cette idée parfaitement acceptable. Le Christ des ℣℣. 10 et 17 serait alors le fils de David, en faveur duquel on demanderait l'accomplissement des promesses faites à son père. Dans ce cas, le chroniqueur ne ferait que reproduire les paroles du psaume. Mais il est possible aussi que le psalmiste soit postérieur à Salomon, et n'ait fait qu'emprunter les paroles que chanta ce roi à la consécration du temple, pour les adapter à une autre circonstance. De là, une troisième opinion, celle de Delitzsch : le psaume serait du temps où le trône de David subsistait encore, et où l'arche n'était pas perdu sans retour ; ce que David avait fait, un de ses successeurs devait le renouveler dans des temps troublés. « Ce chant, « dit aussi Thalhofer, est d'une époque où la « dynastie de David était profondément humi« liée, et où Dieu semblait avoir oublié la pro« messe faite à David au sujet de sa race. Le « psaume, au commencement de l'exil, implore « la délivrance du roi Jéchonias et son rétablis« sement. Le ℣. 12 marque, il est vrai, une con« dition qui n'a pas été remplie ; mais après les « premières années d'exil elle pouvait être « rappelée par le peuple revenu à la fidélité. » Théodoret rapporte égalemont à l'époque de la captivité la composition du psaume : « Hic cap« tivi qui Babylone erant universorum Deum « obsecrant, promissiones magno Davidi ab « ipso factas pro precibus offerentes, et ut ve« niam consequantur orantes. » Quelques autres commentateurs croient devoir descendre jusqu'aux temps postérieurs à la captivité : ainsi font, sans parler des rationalistes, Hengstenberg et Jennings. D'après ce dernier, le psalmiste célèbre la restauration du temple, et le chef du peuple, Zorobabel, non sacré, il est vrai, mais descendant de David, et pouvant être appelé dans un sens large l'oint du Seigneur. « L'intérêt, l'esprit et la signification du « psaume, remarque Johnson, sont notable« ment sacrifiés dans cette hypothèse. Les « premiers versets du psaume, qui décrivent la « peine de David et ses soucis au sujet de la « demeure de Jéhova, deviennent relativement « sans intérêt ; les détails concernant l'arche, « ℣℣. 6-8, qui ne survécut pas à la captivité, « n'ont pas grande signification. » Ces remarques auraient plus de force encore contre ceux qui font composer le psaume à l'époque des Machabées. Du reste, il n'y a plus d' « oint, »

duo dicuntur in Psalmo. Primo, loquens in persona justi perfecti, exprimit vehemens desiderium ædificandi domum Dei, ab ædificatore vero, Christo scilicet sub typo David. Secundo, lætus asserit desiderii sui complementum, ibi, ℣. 11 : « *Juravit Dominus David.* »

In prima parte demonstrat exprimens desiderium, et petit ut ædificatoris memoriam habeat Deus. Secundo, ipsum excitat quem rogitavit, ut adjutorium præbeat, ibi, ℣. 8 : « *Surge, Domine, in requiem.* »

In prima duo. Primo, supplicat ut ædificatoris habeat memoriam. Secundo, demonstrat ex quibus noverit fiendam ædificationem, ibi, ℣. 6 : « *Ecce audivimus.* »

In prima tria dicuntur. Primo, rogat ut memoriam habeat de ædificatore. Secundo, causam assignat quare debeat habere, ibi, « *Et omnis mansuetudinis.* » Tertio, ad quid velit ipsum habere ejus memoriam, et in quo, ibi, ℣. 2 : « *Sicut juravit.* »

1 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic, Domine, confido, et me humiliter nihil esse scio, sed o « *Domine,* » rogo, « *memento David,* » spiritualis ædificatoris Ecclesiæ, scilicet Christi. Ipse enim verus David, manu fortis scilicet. Proverb. xxxi, 19 : *Manum suam misit ad fortia.* Mich. iii, 8, dicitur in persona ipsius : *Ego repletus sum fortitudine spiritus Domini.* Et adspectu desiderabilis. Cantic. ii, 14 : *Ostende mihi faciem tuam,* exteriorem, quæ valde pulchra fuit. Psal. xliv, 3 : *Speciosus forma,* etc. Et interiorem, propter quod dicitur, Jerem. xxxi, 23 : *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo justitiæ.* Propter quod dicit Petrus, I Petr. i, 12 : *In quem,* scilicet Spiritum, *desiderant Angeli prospicere.*

« *Et omnis mansuetudinis ejus.* » Quasi diceret : Ipsa mansuetudo sua causa sit recordationis, ad litteram. Litteralis David multum fuit mansuetus, quod probatur, quia pepercit Saüli tam crudeli persecutori [1]. Sed multo mansuetior fuit spiritualis David Christus, cui datum erat a Patre præceptum mansuetudinis. Eccli. iii, 19 : *Fili, in mansuetudine opera tua perfice.* Qui dixit, Matth. xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Jerem. x, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

« *Sicut juravit Domino.* » Hic ter- 2

après la captivité, et on n'a point d'exemple de ce nom appliqué dans le sens large à un simple chef du peuple ; on est donc bien obligé de ne point dépasser l'époque où les Juifs avaient un roi, sur la tête duquel il leur fût actuellement possible d'appeler les bénédictions divines. Si même on remarque avec quels détails la translation de l'arche est rappelée, ℣℣. 6-8, on doit conclure que le psaume n'a pas été composé trop longtemps après cet évènement, peut-être sous Roboam, ou l'un des successeurs de David les plus éprouvés.

Le psaume se divise en deux parties dont Patrizi signale avec raison le parfait parallélisme ; dans la première, ℣℣. 1-10, le psalmists rappelle ce que David a fait pour la maison de Jéhova ; dans la seconde, ℣℣. 11-18, ce que Jéhova a promis de faire pour David et sa descendance. L'auteur sacré ne dit rien de plus, mais on voit clairement qu'il ne prendrait pas la peine de rapporter ces antiques promesses, et de les rappeler au souvenir de Dieu, si dans le moment où il écrit, Israel et le descendant de David jouissaient de la prospérité annoncée au pieux roi.

Les ℣℣. 11, 12, reproduisent une promesse qui n'a d'accomplissement que dans le sens messianique : de là l'explication que les Pères donnent de tout le psaume. « Non est ambiguum quin etiam hic propheta egregius et magnus de eo David, qui postea exstitit, Dei spiritu, prophetæ officio sit locutus, » dit S. Hilaire. Cf. Euseb. Demonst. evang. iv, 16, 6 ; vii, 2, 2 ; S. Prosp. etc. L'Eglise l'applique aussi au Messie dans les Vêpres de Noël.

H. Lesêtre.

[1] Cf. I Reg. xxiv, 5 et seq.

tium, in quo ostendit super quo vult haberi memoriam : super hoc ut det gratiam implendi promissum : unde duo dicuntur. Primo, ut det gratiam implendi quod promisit. Secundo, specificat quid illud sit, ibi, ỳ. 3 : « *Si introiero.* »

In prima duo, secundum duplicem modum promittendi, juramento, vel promisso.

Ait enim : Sic dico : Memento, ad hoc ut impleat, David, « *sicut juravit Domino,* » litteralis David. Quod ipse aliquid juraverit Domino, et voverit, potest esse, I Paralip. xxviii, 2 : *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini.* Sed spiritualis, Christus, quando vovit, vel juravit ? Responsio : Si non in se, tamen in membris suis, in justis qui promittunt Deo, et vovent se ædificaturos Ecclesiam. Unde ipsa Ecclesia jurat et vovet ædificaturam seipsam. Hæc juramenta, de quibus, Matth. v, 33 : *Reddes Domino juramenta tua.* Eccli. xxiii, 14 : *Si vacuum juraverit, non justificabitur.*

« *Votum vovit.* » Et impleat, repete, sicut « *vovit votum* « Domino « *Deo Jacob* : » votum enim oportet reddere. Eccle. v, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Deuter. xxiii, 23 : *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Hæc autem vota ædificandi Ecclesiam Deo sunt placentia. Proverb. xv, 8 : *Vota justorum placabilia.* Sed oportet, quod adjuvet ad juramenta implendum, et ad vota. Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Isa. xxvi, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.*

8 « *Si introiero.* » Hic secundum, in quo specificat quid juraverit, et quid voverit, scilicet quod non retrahetur a procuratione domus fabricandæ. Duo ergo dicuntur. Primo, per quæ non retrahetur. Secundo, a quo non retrahetur, ibi, in medio ỳ. 5 : « *Donec inveniam.* »

In prima tria secundum tria per quæ solent retrahi homines ab ædificando. Primum est cura rei familiaris : hoc primo removet. Secundum, cura voluptatis explendæ, ibi, « *Si ascendero in lectum.* » Tertio, cura quietis habendæ, ibi, ỳ. 4 : « *Si dedero somnum.* »

Dicit ergo : Dixi, quod juravit et vovit David, dicens : « *Si introiero,* » tamquam curam agens, et sollicitudinem, « *in tabernaculum domus meæ,* » familiæ propriæ, supple, male mihi accidat : nolo enim quærere propria primo et principaliter. I ad Corinth. xiii, 5 : *Charitas... non quærit quæ sua sunt.* Propter hoc conqueritur Deus per Aggæum, i, 9 : *Domus mea,* scilicet Ecclesia, *deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam.* Magna enim cum cura multi procurant propria tabernacula, non curantes de Ecclesia Dei quomodo vadat. Sed, Job, viii, 22 : *Tabernaculum impiorum non subsistet.* Et, xviii, 14: *Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus.* Gregorius : « De tabernaculo suo « avellitur, quando qui multa paraverat, « repentina morte dissipatur. » Intraverat tabernaculum, et procuraverat domum optime, qui dicebat : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Et illi dictum est statim : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te*[1].

« *Si ascendero* », Hic secundum. « *In lectum strati mei,* » ad delectationes corporales procurandum. Non est intrandum in hunc lectum, sed potius est tollendus. Matth. ix, 6 : *Surge, tolle lectum tuum,* carnalem scilicet voluptatem, *et vade in domum tuam,* in conscientiam. Hunc lectum ascendere noluit Urias ut bonus miles [2]. Hunc lectum ascendit Isboseth, et percussus in inguine, in-

[1] Luc. xii, 19 et 20.

[2] II Reg. xi, 5 et seq.

terfectus est [1]. Ad ascendendum hunc lectum invitat caro misera, mulier garrula. Proverb. VII, 16 : *Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto*, etc.

4 « *Si dedero somnum.* » Hic tertium, quod non retrahetur propter quietis curam, vel simpliciter quærendam, et hoc primo : vel etiam aliqualiter, ibi, « *Et palpebris*, » et hoc secundo. Et in his habebit toto tempore perseverantiam, et hoc tertio, ibi, ℣. 5 : « *Et requiem temporibus.* »

Dicit ergo : Sic non retrahar propter curam familiarem, nec etiam propter carnalem voluptatem. Et etiam male mihi accidat, « *si dedero somnum oculis meis*, » hoc est, si in temporalibus quietem meam posuero, sicut illi, de quibus dicitur in Psal. LXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

« *Et palpebris meis*, » saltem, « *dormitationem*, » ut in illis vel aliquantulum requiescam, male mihi accidat. Dormitat anima, cum inferior pars rationis in transitoriis pausat et requiescit : sed dormit, cum superior consentit, contra illud quod dicitur, Proverb. VI, 4 : *Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Proverb. VI, 9 et 10 : *Usquequo piger dormies? quando consurges de somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis* [2].

5 « *Et requiem.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic si dedero somnum oculis meis, vel dormitationem palpebris : « *et* » si etiam « *temporibus meis requiem*, » ut etiam aliquo tempore quiescere in temporalibus quæram, male mihi accidat. Thren. II, 1 : *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* II ad Corinth. VII, 5 : *Nullam habuit requiem caro mea.*

Donec inveniam. » Hic seundum, in quo ostendit a quo non retrahetur, quia non ab inquisitione loci, in quo domus Dei fiat. Secundo, quod nec a fabricatione tabernaculi, ibi, « *Tabernaculum.* »

Dicit ergo : Sic nullis præcedentium intendere volo, sed mihi male accidat, si attendero, « *donec inveniam locum Domino*, » aptum ad ei tabernaculum faciendum, ut inhabitet ipsum. Hic locus est animus quietus et pacificus. Psal. LXXV, 3, supra : *Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion.*

« *Inveniam* » etiam, vel fabricem, « *tabernaculum Deo Jacob*, » non deo recenti, et de novo invento. Qualia sunt corda obedientia, Apocal. III, 20 : *Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Propter hoc dicitur, II Paralip. II, 4 : *Sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini.* Cum autem bene fuerit præparata, tunc impletur illud Numer. XXIV, 5 : *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!* In illis enim cordibus Dominus pugnat et impugnat. Ecce ergo tabernaculum in alia acceptione, quam paulo ante.

Nota ergo, quod est materiale tabernaculum, Isa. XXXVIII, 12 : *Generatio mea ablata est, et convoluta est a me quasi tabernaculum pastorum.* Corpus, II Petr. I, 14 : *Certus sum quod velox est depositio tabernaculi mei.* Gloriosæ Virginis uterus, Eccli. XXIV, 11 : *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Militans Ecclesia, Isa. IV, 6 : *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu.* Psal. XLV, 5 : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Et triumphans, Isa. XXXIII, 20 : *Tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.* Ad Hebr. VIII, 2 : *Tabernaculum quod fixit Deus, et non homo.* Temporalium rerum cura, Parum ante, **Multiplex tabernaculum.**

[1] II Reg. IV, 5 et 6.

[2] Cf. Proverb. XXIV, 33.

℣. 3 : *Si introiero in tabernaculum domus meæ.* Fidelis anima, sicut hic dicitur.

6 « *Ecce audivimus.* » Hic secundum, in quo ostendit ex quibus ædificanda sit. Et primo, ex Judæis. Secundo, quod ex Gentibus, ibi, « *Invenimus eam.* » Tertio, probat dictum, ibi, ℣. 7 : « *Introibimus in tabernaculum.* »

Dicit ergo : Sic rogo, ut memoriam habeas de David ædificaturo tibi domum, ut juravit et vovit : et vere ædificabit, quia « *audivimus,* » auribus cordis, « *in Ephrata,* » id est, in Scripturis, « *ea,* » domum vel locum Domini, futura : vel, « *eam,* » scilicet domum audivimus futuram. Hoc autem audivimus « *in Ephrata,* » in Scripturis scilicet. Prophetæ enim non cessabant hoc clamare, Isa. LV, 2 : *Audite, audientes me*, qui apud Judæos erant. Ad Roman. III, 2 : *Credita sunt illis eloquia Dei.* Vel sic secundum dictam divisionem : « *Audivimus eam,* » id est, domum futuram, « *in Ephrata,* » id est, ibi per nativitatem Salvatoris inchoandam, juxta illud Mich. v, 2 : *Et tu, Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda*, vel in tribubus : *ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel* [1].

« *Invenimus eam.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic audivimus in Judæis, inchoandam domum Dei, et postmodum « *invenimus eam in campis silvæ,* » in Gentilitate scilicet, quæ erat *campus* per peccandi licentiam : *silva,* quia sine cultura in omnibus peccatis, tamquam frutetis plena. Isa. LV, 12 : *Omnia ligna regionis*, ecce silva, *plaudent manu.* Et LXV, 10 : *Et erunt campestria in caulas gregum.* Relicta enim Ephrata, in qua auditum est de eo, transibit ad silvam, ad Gentilitatem, et ab illis invenietur. Isa. LXV, 1 : *Invenerunt*, me scilicet, *qui non quæsiverunt me.* Et, XXXII, 15 : *Et erit desertum in charmel, et charmel in saltum reputabitur.* Charmel enim mollis, et tractabilis, in desertum est reputata. Ad Roman. IX, 30 et 31 : *Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam... Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit.* Ephrata speculum, Clerici et Prælati, in quibus est auditus Deus. Multa enim dicunt et audiunt. Inter illos auditur qui verbis dicunt, Facite [2], sed invenitur in pauperum et humilium exemplis. Cantic. II, 1 : *Ego flos campi, et lilium convallium.*

« *Introibimus in tabernaculum.* » Hic 7
probatio ejus quod dictum est, per duo quæ tangit. Primo, quod introibunt fide in Ecclesiæ unitatem. Secundo, quod adorabunt devotione, ibi, « *Adorabimus.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod audita est futura in Judæis, inventa in Gentibus : et verum dixi, quia « *introibimus,* » et Judæi et Gentes, « *in tabernaculum ejus,* » Dei Jacob scilicet, hoc est, in Ecclesiam, per fidei unitatem. Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam,* Ecclesiam quæ est omnium fidelium una domus, *conquiescam cum illa*, scilicet cum sapientia. Signatus est autem introitus Judæorum, Exod. XXXIII, 9, ubi dicitur : *Ingresso illo*, scilicet, Moyse, *tabernaculum fœderis*, etc. Et introitus Gentium expressus est, Zachar. VIII, 23 : *Apprehendent,* decem homines scilicet ex omnibus linguis gentium, *fimbriam viri Judæi, dicentes* : *Ibimus vobiscum : audivimus enim quoniam Dominus est vobiscum.* Hæc enim domus communiter omnes recipit, et tenet, sed in supernam non intrant nisi mundissimi. Apocal. XXI, 27 : *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.*

[1] Cf. Matth. II, 6 : *Et tu, Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.*

[2] Cf. Matth. XXIII, 2 et seq. : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi*, etc.

Nec tantum intrabimus fide, imo etiam « *adorabimus,* » corde, et interiori devotione, « *in loco ubi steterunt pedes ejus.* » Pedes in illis stant, qui in bono opere, et fide recta perseverant. Ibi adorandum, et in collegio horum sacrificandum. Deuter. XII, 11 : *Cave ne offeras in omni loco, sed in loco illo quem elegerit Dominus Deus tuus.* Et, Exod. XXXIII, 21 : *Ecce est locus apud me,* scilicet Ecclesia : *et stabis supra petram,* in Christo per perseverantiam. I ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus.* Adorabimus etiam modo quo adorandum, in spiritu scilicet et veritate. Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.*

8 « *Surge, Domine.* » Hic secundum primæ partis totius hujus Psalmi. Monstrato enim desiderio quod habet ad hoc ut ædificetur domus Dei, subjungitur ædificatori invitatio ad hoc ut ipsam ædificet. Primo ergo invitat Christum, per quem ædificatio. Secundo, orat ut repellat a domo illam gentem Judaicam : vel Deum Patrem invitat ut Filium mittat, ibi, ℣. 10 : « *Propter David, servum tuum.* »

In prima duo. Primo, invitat Christum ut se præparet ad ædificandum Ecclesiam per resurrectionem. Secundo, ut ministros ædificationis ordinet, ibi, ℣. 9 : « *Sacerdotes tui.* »

In prima duo. Primo, invitat Christum ut resurgat in re. Secundo, ut suos etiam faciat resurgere in spe, ibi, « *Tu et arca.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, cognovimus Ecclesiam, quæ domus Dei est, ex Judæis et Gentibus colligendam. Ergo, « *Domine,* » ut hoc fiat, « *surge,* » a mortuis exsurge, « *in requiem tuam,* » ut jam nullam timeas a Judæis conturbationem, ut et factum est, Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* I ad Corinth. XV, 20 : *Nunc Christus resurrexit a mortuis, primitiæ dormientium.* Hæc autem resurrectio requies, imo ante resurrectionem statim post mortem, Apocal. XIV, 13 : *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.*

« *Tu et arca.* » Quasi diceret : Sic surge, « *tu* » primo per rem, « *et arca sanctificationis tuæ,* » id est, Ecclesia, per te, et secundum spem. II Paral. VI, 41 : *Consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ.* Ipse enim primus, et alii post eum. Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Sophon. III, 8 : *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.*

Bene autem per arcam significatur Ecclesia : in arca erat Manhu : in Ecclesia panis de cœlo [1]. Et tabulæ Testamenti : sic in Ecclesia utriusque possessio per cognitionem veram, Luc. XXIV, 45 : *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Et virga Aaron : sic in Ecclesia sacerdotalis potestas, Matth. XVI, 19 : *Quodcumque ligaveris super terram, erit,* etc. Per arcam etiam Noe fluctibus tribulationum concussam, animalia omnis generis continentem, figurata est [2]. Comparatio Ecclesiæ cum arca.

« *Sacerdotes tui.* » Hic secundum, in quo petito quod se præparet, petit ut ministros ordinet : et dicuntur duo. Primo, ut Apostolis spiritum infundat. Secundo, ut ex infusione illa, lætitia surgat in cordibus, ut sint gratiosi, vel justi, et læti, ibi secundum, « *Et sancti tui.* » 9

Dicit ergo : Sic, Domine, surge, et præpara te, et « *sacerdotes tui,* » Apostoli a te in sacerdotes consecrati, quando dixisti, Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem* [3]. In quibus completum fuit illud Isa. LXI, 6 : *Vos sacerdotes Domini vocabimini :*

[1] Cf. Joan. VI, 32 et seq.
[2] Cf. Genes. VII, 11 et seq.
[3] Cf. I ad Corinth. XI, 24.

Ministri Dei nostri : dicetur vobis. Ut dicatur vobis etiam illud I Petr. II, 9 : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* « *Induantur,* » a te eam desuper influente per Spiritum sanctum, « *justitiam,* » tamquam pulchram vestem. Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto,* scilicet justitia, ut possint dicere illud Job, XXIX, 14 : *Justitia indutus sum.* Hæc vestitura est fortis armatura. Ad Roman. XIII, 12 : *Induamur arma lucis.* Si sic essent induti Prælati, bene irent subditi. Psal. LXIV, 14 : *Induti sunt arietes ovium,* Prælati scilicet indumento justitiæ, *et valles abundabunt frumento,* id est, subditi et humiles.

« *Et sancti tui,* » ipsimet qui sacerdotes sunt dicti, « *exsultent,* » interiori lætitia pro conversione Gentium perfusi. Proverb. XI, 10 : *In bonis justorum,* ad fidem conversorum, *exsultabit civitas,* majorum unitas : sic e contrario multa lætitia est subditis de profectu, et perfectione majorum. Proverb. XXVIII, 12 : *In exsultatione justorum,* in prælatione, *multa gloria est,* supple, subditorum.

10 « *Propter David, servum tuum.* » Hic secundum, in quo postquam invitavit Dominum ad ædificandum, orat pro plebe Judaica, ne ab ædificio repellatur.

Dicit ergo : Sic surge, Domine, sic sacerdotes ordina, et virtutibus reple, ut ædificetur. Ecclesia : et, o Domine, « *non avertas faciem,* » cognitionem, « *Christi tui,* » a Judæis, a quibus est nasciturus. II Paral. VI, 42 : *Domine Deus, ne averteris faciem christi tui,* a reliquis scilicet Israel. Quod non fecisset nisi per eos stetisset : sed oppositum invenerunt : unde, Jerem. XVIII, 17 : *Dorsum et non faciem ostendam eis.* Quod factum est, Act. XIII, 46, quando dictum est : *Quoniam repellitis verbum Dei, ecce convertimur ad Gentes.* Intelligitur tamem quod hic dicitur finaliter, quod et fiet. Reliquiæ enim convertentur. Et hoc « *propter David,* » id est, propter meipsum servum tuum, cui promisisti, III Reg. XI, 12 et 13 : *Verumtamen in diebus tuis non faciam,* scilicet non dispergam regnum tuum,... *propter David, servum meum, et Jerusalem quam elegi.*

« *Juravit Dominus David.* » Hic est 11
secunda pars totius hujus Psalmi, in qua lætus asserit complendum desiderium quod superius expressit, ostendens consummandam Ecclesiam a Deo, et tria ei bona præcipua conferenda, et secundum hoc, hæc pars divisa est in tres partes. Primo ergo lætus asserit conferendam Ecclesiæ in capite suo, et in se perpetuam potestatem. Secundo, per abundantiam gratiæ, intelligentiæ veritatem, ibi, ℣. 15 : « *Viduam ejus.* » Tertio, sanctitatis perfectionem, sive bonitatis, ibi, ℣. 16 : « *Sacerdotes ejus induam.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, tangitur divina et firma promissio. Secundo, de quo est illa promissio, ibi, « *De fructu ventris.* »

In prima duo. Primo. tangitur promissio firma et stabilis. Secundo, irrevocabilis, ibi, « *Et non frustrabitur.* »

Dicit ergo : Sic petii ut domus ædificetur : et sic fiet, quia « *Dominus,* » qui non mentitur, « *juravit David,* » materiali scilicet filio Isai per seipsum promisit. Ad Hebr. VI, 13 : *Quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum,* etc. Hoc autem juratum fuit, I Paral. XVII, 10 et seq. « *Et non frustrabitur eum,* » vel saltem commutando. Alia littera : « Non pœnitebit. » Supra, in Psal. CIX, 4 : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum.* I Reg. XV, 29 : *Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur.* Nec enim homo est ut agat pœnitentiam. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.*

« *De fructu.* » Ecce quid juravit : « *De fructu ventris tui.* » Non dicit de fructu femoris tui, quia non per generationem ex femore alicujus filiorum David Christus seminatus est, sed per ventrem virginalem sine semine virili. « *Ponam,* » firmiter et æternaliter stabiliendo, « *super sedem tuam,* » in regia scilicet potestate, et dignitate. II Reg. VII, 12 : *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus.* Isa. IX, 7 : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum.* III Reg. II, 45 : *Thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum.*

12 « *Si custodierint.* » Hic secundum, in quo promittitur potestatis perpetuitas membris Ecclesiæ sub conditione, quod non fuit in capite, sed simplex fuit promissio. In capite enim non erat futura possibilitas ad peccandum, sicut in membris. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primo, promissio sub conditione. Secundo, ratio promissionis et causa, ibi, ỷ. 13 : « *Quoniam elegit Dominus.* » In prima duo. Primo, conditio super qua promissio fit. Secundo, ipsa promissio, ibi, « *Usque in sæculum.* » Vel, ibi, « *Sedebunt,* » secundum aliam litteram, quæ etiam est prima in Glossa.

In prima duo. Primo, in conditione ponitur pacti et præcepti conservatio. Secundo, perseverantia et duratio in conservatione, ibi, « *Et filii eorum.* »

In prima duo, secundum duo quæ ponuntur in conditione. Primo, pacti conservatio facti in baptismate. Secundo, præcepti scripti in lege, ibi, « *Et testimonia.* »

Dicit ergo : Sic juravit caput perpetuo et in se regnaturum, et etiam juravit, quod « *filii sedebunt,* » firmiter stabiliti, « *super sedem tuam,* » regiam potestatem scilicet. Jerem. XXXIII, 20 et 21 : *Si irritum potest fieri pactum meum cum die, et pactum meum cum nocte, et non sit dies et nox in tempore suo, et pactum meum irritum esse poterit cum David, servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus.* « *Si custodierint filii tui,* » o tu David, « *testamentum meum,* » pactum scilicet in baptismate promissum. Deuter. VII, 12 : *Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea et feceris, custodiet et Dominus Deus tuus pactum tibi, et misericordiam quam juravit patribus tuis.* « *Et custodierint,* » repete, « *testimonia mea,* » leges scilicet, et præcepta, quæ docebo eos. III Reg. III, 14 : *Si ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.*

« *Et filii eorum,* » non solum primi filii, « *usque in sæculum,* » successuri. Ecce perseverantia et perduratio, sicut etiam fiet in Ecclesia semper. II Reg. VII, 16 : *Fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum.* Hoc etiam quod dicit. « *In sæculum,* » potest jungi cum sequenti littera. Quasi diceret : Si custodierint filii, « *et filii eorum,* » tunc « *sedebunt in sæculum.* » III Reg. XI, 34 : *Ducem ponam eum,* catholicum scilicet, *propter David, servum meum, cunctis diebus vitæ suæ.* Item, si pactum custoditur, et præcepta servantur, in throno regni cœlestis collocatur, qui sic custodit, Apocalyps. III, 21 : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo : sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.*

« *Quoniam elegit.* Hic secundum, scilicet causa et ratio talis promissionis, quæ tangitur quasi triplex, scilicet triplex electio. Prima ergo causa est electio per prædestinationem. Secunda, electio per præsentem justificationem, et inhabitationem per gratiam, ibi, « *Elegit eam in habitationem.* » Tertia, electio per 13

finalem perseverantiam in gratia primo' postmodum in gloria.

Dicit ergo : Sic dico, quod filii sedebunt si sic fecerint : nec hoc aliquis imputet eorum meritis, quia hæc erunt, « *quoniam Dominus elegit,* » ab æterno prædestinando, « *Sion,* » Ecclesiam suam scilicet. Ad Ephes. I, 4 : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Joan. XV, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, etc.

« *Elegit eam.* » Ecce secundum, ad quod ordinatum est primum. Quasi diceret : Elegit prædestinatione. Ad quid : « *Elegit eam in habitationem sibi,* » per gratiæ infusionem. II ad Thessal. II, 12 : *Elegit vos Deus primitias in salutem, in sanctificationem spiritus.* Et sanctificat, quia habitari vult. Isa. LXII, 4 : *Et terra tua inhabitabitur.* Zachar. VIII, 11 : *Habitabo in medio tui.* Apocal. XXI, 3 : *Habitabit cum eis : et ipsi populus ejus erunt.* Sic implet quod promisit, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

14 « *Hæc requies mea.* » Hic tertium. Et primo, electio ad perpetuitatem in gratia. Secundo, in gloria, ut requies referatur ad gratiam, habitatio hic ad gloriam.

Dicit ergo : Sic dixi, quod elegit Sion prædestinatione, elegit per gratiæ infusionem, dicens : « *Hæc requies mea in sæculum sæculi,* » emphatice loquitur, id est, locus refectionis meæ. Isa. LXVI, 1 : *Quis est locus quietionis meæ ?* id est, super quem requiescet spiritus meus[1] ? Super Sion. Proverb. XIV, 33 : *In corde prudentis*, ecce Sion, *requiescit sapientia.* Hanc requiem quærit, Eccli. XXIV, 11 : *In his omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini morabor*, hoc est, Sion. Proverb. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, non pecudum.

« *Hic habitabo.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic habitabit dicens : Hæc requies mea : et etiam « *hic habitabo,* » per gloriam, « *quoniam elegi eam,* » ad hoc ut sic in illa habitem. Isa. LXII, 4 : *Complacuit Domino*, scilicet Sion, *habitare in te*, per gloriam. Isa. XII, 6 : *Exsulta et lauda, habitatio Sion*, superna, *quia magnus in medio tui Sanctus Israel.* Ezechiel. XLVIII, 35 : *Nomen civitatis ex illa die : Dominus ibidem.*

« *Viduam ejus.* » Hic secundum, in quo promittit abundantiam gratiæ, ad intelligentiam scilicet veritatis : unde duo dicuntur. Primo, promittitur abundantia gratiæ. Secundo, finis illius abundantiæ, ibi, « *Pauperes ejus.* » 15

Dicit ergo : Sic de potestate, et etiam « *benedicens,* » gratiam infundendo, « *benedicam,* » abundantiam largiendo, « *viduam ejus,* » Sion scilicet, animam auxilio humano destitutam, et in homine spem non ponentem. Isa. XLIX, 11 : *Viduæ tuæ in me sperabunt.* I ad Timoth. V, 5 : *Quæ vere desolata est, et vidua, speret in Deum vivum.* Eccli. XXXV, 17 : *Non despiciet preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus :* imo plena benedictione benedicet. Ad Ephes. I, 3 : *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus*, id est, a cœlestibus influente.

« *Pauperes ejus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic benedicens benedicet. Ad quid ? Ecce : « *Pauperes ejus,* » scilicet Sion, quales sunt omnes qui vere sunt in ea, « *saturabo panibus,* » veræ intelligentiæ. Eccli. XV, 3 : *Cibabit illum*, pauperem in Ecclesia et famelicum, *pane vitæ et intellectus.* Isa. XIV, 32 : *In ipso sperabunt pauperes populi ejus.* Sed quid ? Saturari illis panibus qui vere reficiunt. Luc. XI, 5 : *Amice, commoda mihi tres panes*, Vetus Testamentum

[1] Cf. Act. VII, 49.

et Novum, et sanctorum expositiones. Non illis doctrinis quæ non sunt panes. Isa. LV, 2 : *Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate?* Isa. LVI, 11 : *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Sed, in Psalmo XXI, 27, dicitur : *Edent pauperes, et saturabuntur.* Glossa hoc exponere et intelligere videtur de pane Eucharistiæ, sicut in ea patet.

16 « *Sacerdotes ejus induam.* » Hic tertium, scilicet promissio perfectæ sanctitatis, sive bonitatis : et dicuntur duo. Primo, promissio. Secundo, modus exhibitionis, et causæ, seu ratio, ibi, ỷ. 17 : « *Illuc producam.* »

In prima duo. Primo, promissio sanctitatis. Secundo, lætitiæ in illa sanctitate, quod consummat totum, ibi, « *Et sancti ejus.* »

Dicit ergo : Sic de potestate, sic de veritatis cognitione, et etiam « *induam sacerdotes ejus,* » majores et Prælatos, in quibus poterit esse perfecta sanctitas, « *salutari,* » Christo scilicet, id est, Christi imitatione. II Paralip. VI, 41 : *Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem,* virtutibus salutem quæ Christus est, eos imitari facientibus. Isa. LXI, 10 : *Induit me vestimentis salutis.* Ad Roman. XIII, 14 : *Induimini Dominum Jesum Christum,* formam et imitationem Domini nostri Jesu Christi. Sic in suis sacerdotibus est Ecclesia mulier illa, quam Joannes videbat, Apocal. XII, 1 et seq.

« *Et sancti ejus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Induantur salutari, « *et sancti ejus,* » ipsimet, qui sacerdotes sunt dicti, « *exsultatione exsultabunt.* » Replicatio abundantiam importat exsultationis. Jerem. XXXI, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine,* spirituali scilicet exsultatione. Isa. LI, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea.* Isa. LXV, 14 : *Servi mei laudabunt præ exsultatione cordis.* Et, LXVI, 10 : *Lætamini cum Jerusalem, et exsultate in ea.*

Hic notandum, quod indui debent sacerdotes spiritualiter, sicut antiquitus induebantur materialiter. Maxime sunt hi sacerdotes Episcopi. Primum indumentum, femoralia linea, hoc est, pudicitia. I ad Timoth. III, 2 : *Oportet Episcopum pudicum esse.* Secundum, linea stricta, totius corporis munditia. Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Tertium, cingulum, scilicet justitia. Isa. XI, 5 : *Erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.* Quartum, tunica hyacinthina, scilicet conversatio cœlestis. Ad Philip. III, 20 : *Conversatio nostra in cœlis est.* Quintum, superhumerale, labor scilicet et patientia. II ad Timoth. II, 3 : *Labora sicut bonus miles Christi.* Sextum, rationale, judicii sobrietas et intelligentia. Ad Roman. XII, 3 : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Septimum, lamina aurea, in qua scriptum erat nomen Domini, circumloquens passionem Christi : et in fronte, scilicet audax confessio fidei, et aperta. Luc. IX, 26 : *Qui me erubuerit, et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.*

Vecerdenta sastimotum veteris legis significant virtesut in sacerdotibus novæ legis requisitas.

« *Illuc producam.* » Hic subjungitur ratio et causa tantorum bonorum, scilicet Christi præsentia, et beneficia illis exhibita : unde dicuntur duo. Primo, præsentia Christi. Secundo, beneficia exhibenda, ibi, ỷ. 18 : « *Inimicos ejus.* »

In prima duo. Primo, promittitur præsentia Christi in se. Secundo, in sui præcursore, ibi, « *Paravi lucernam.* »

Dicit ergo : Sic proficiam sanctitate, et bonitate. Nec mirum, quia « *illuc,* » in ipsa scilicet Ecclesia, « *producam cornu David,* » id est, Christum, qui dicitur *cornu salutis,* quia salubriter defendit. II Reg. XXII, 3 : *Scutum meum,*

et cornu salutis meæ. Et cornu David, id est, de David ortum. Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.* Ad Roman. I, 3 : *Qui factus est ei ex semine David.* Et dicit, *producam*, procul ab aliis ducam. Ut sit omnibus sublimior, omnibus fortior. I ad Corinth. xv, 26 : *Omnia subjecit sub pedibus ejus.* Ad Hebr. II, 8 : *In eo quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei.* I Reg. II, 10 : *Sublimabit cornu Christi sui.*

« *Paravi lucernam.* » Hic secundum, in quo tangitur præsentia in sui præcursore. Quasi diceret : Sic producam cornu David, id est, Christum, et ante hoc « *paravi lucernam Christo meo,* » ipsi præambulam, et ipsi præcurrentem, scilicet Joannem Baptismam. Joan. v, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Bernardus : « Tantum lucere est vanum, « tantum ardere parum : ardere et lu« cere perfectum. Quia lucens fugat te« nebras superbiæ, superbus enim in « tenebris est : quia ardens, comburit « spinas avaritiæ, desiccat humidum « luxuriæ : quisquis est qui vult a lucer« na illuminari, et calefieri, ad ipsam « oculos cordis erigat per intentionis « rectitudinem, fenestras cordis aperiat « per desiderii dilatationem, et appro« pinquet per boni operis imitationem. « Hanc lucernam paravit Dominus te« stam fabricando in Joannis conceptio« ne, candelam non accensam interpo« nendo in animæ infusione, ipsam ac« cendendo in uterina Joannis sanctifi« catione, de secreto educendo in ipsius « nativitate, super candelabrum ponen« do in officii prædicandi exsecutione. »

18 « *Inimicos ejus.* » Hic secundum, scilicet beneficia producto Christo exhibenda, quæ tanguntur duo. Primum est inimicorum confusio. Secundum, ipsius sanctificatio, et glorificatio super omnes, ibi, « *Super ipsum autem.* »

Dicit ergo : Sic producam Christum lucerna præmissa, et etiam « *inimicos ejus induam confusione,* » non tantum confundam, ut undique habeant confusionem. Job, VIII, 22 : *Qui oderunt te, induantur confusione.* Mich. VII, 10 : *Adspiciet* ad me *inimica mea, et operietur confusione.* Psal. CVIII, 29 : *Operiantur sicut diploide confusione sua.*

« *Super ipsum.* » Hic secundum quod erit quasi causa primi. Quasi diceret : Sic inimicos confundam, sed « *sanctificatio mea,* » a me in eo facta, « *efflorebit,* » extra florida apparebit per gloriam, « *super ipsum :* » ipse enim flos immarcescibilis : flos quidem nativitate, Isa. XI, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* Flos in odorifera conversatione, Cantic. II, 1 : *Ego, flos campi, et lilium convallium.* Flos in sua passione, et rosa rubea, Eccli. XXIV, 18 : *Quasi plantatio rosæ in Jericho.* Sed refloruit hic flos in resurrectione, Supra, in Psal. XXVII, 7 : *Et refloruit caro mea,* etc. Sed efflorebit extra se, in nos efflorebit in generali resurrectione. Nostra enim gloria erit quædam suæ gloriæ redundantia, ut sicut de gratia, sic possimus dicere de gloria : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus* [1].

Efflorebit ergo ipse, qui est in præsenti sanctificatio Dei Patris, quia per ipsum sanctificat omnes quotquot sunt sanctificati. I ad Corinth. I, 30 : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Ipse enim primo sanctificatur, Joan. x, 36 : *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum,* etc. Et per ipsum alii, ad Hebr. II, 11 : *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes.* Qua sanctificatione, ut post floreamus in resurrectione, nos sanctificet qui est benedictus Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. I, 16.

PSALMUS CXXXII.

Celebrat communionem sanctorum.

1. Canticum graduum David.
Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum!
2. Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,
Quod descendit in oram vestimenti ejus :
3. Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.
Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.

IN PSALMUM CXXXII

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum David.* »

« *Ecce quam bonum* [1]. » Hic est Psalmus centesimus trigesimus secundus in toto libro, in tertia vero parte libri trigesimus secundus, in Psalmis gradualibus decimus quartus, quartus autem inter illos qui pertinent ad consummationem in bono.

Argumentum Psalmi: Fraterna charitas et unanimis habitatio.

Cum enim actum sit de confidentia orantis primo, secundo, de humilitate confidentis, tertio, de appetitu et desiderio ædificationis Ecclesiæ, hic subjungitur de commendatione fraternæ charitatis : hanc enim diligit, hanc commendat perfectus vir : hæc etiam est quæ ædificat Ecclesiam et compaginat.

Primo ergo supernam charitatem, et unionem commendat, præmisso titulo consueto. Secundo, probat commendationem dictam, ibi, ℣. 2 : « *Sicut unguentum.* »

In prima duo Primo, commendando dicit illam valde utilem. Secundo, delectabilem, ibi, « *Et quam jucundum.* »

I Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic ædificatis in Christo, et conjunctis evenient prædicta bona per Christum : ergo « *ecce,* » in promptu est, « *quam bonum,* » id est, quam utile,

[1] Ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, célèbre les charmes de l'union fraternelle. Le titre hébreu l'attribue à David : mais ce titre n'est pas dans tous les manuscrits, et il manque dans l'Alexandrin et le Chaldéen. D'autre part, le ש relatif uni au mot suivant, ℣. 2, ne se trouve point dans la littérature antérieure à l'exil. Le nom de David signifie donc seulement que le psaume a été composé à la manière des psaumes du saint roi.

L'auteur décrit l'heureux état des Juifs au retour de la captivité, quand les tribus, autrefois rivales, étaient réunies en un seul corps de nation. Selon d'autres, il aurait en vue les pèlerins rassemblés de toutes parts à Jérusalem à l'occasion d'une des grandes fêtes. Cette seconde application n'exclut pas la première. L'union fraternelle, célébrée par le psalmiste, « tunc vere impletur, cum in unum caput totius corporis Christi omnia fidelium membra concurrunt. » S. Prosp.

« *et quam jucundum,* » id est, quam delectabile, « *habitare fratres in unum,* » quamvis suis gradibus et officiis sint distincti. Bonum ergo erat et jucundum habitare in primitiva Ecclesia, de qua dicitur, Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una.* Eccle, IV, 9 et 10 : *Melius est duos esse simul, quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ : si unus ceciderit, ab altero fulcietur.* Dicitur autem, Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Propter hoc monet Paulus, ad Philip. II, 2, ad hanc unitatem : *Idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes.* Pro hac ut suis detur a Patre orat Christus, Joan. XVII, 22 : *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Sed certe vix invenitur hæc unitas utilis et jucunda in possidentibus terrena. Dicitur enim, Genes, XV, 10, quod animalia fuerunt divisa in sacrificio Abrahæ, aves autem divisæ non fuerunt: hoc est, sæculares et terrena possidentes divisi sunt ab invicem sicut possessione, sic certe dilectione. Genes. XIII, 7: *Rixa facta est inter pastores gregum Abram et Loth.* Sed aves, id est, viri contemplationi vacantes, terrena dimittentes, non sunt divisi.

2 Secunda pars Psalmi. « *Sicut unguentum.* » Hic secundum, in quo probat præmissam commendationem per exemplum primo. Secundo, per fructum, ibi, in medio ℣. 3 : « *Quoniam illic mandavit.* » Exemplum autem duplex ponit. Primum est de unctione summorum sacerdotum. Secundum, de irroratione montium, ibi, ℣. 3 : « *Sicut ros Hermon.* »

Unctio impinguat, et irroratio fœcundat. Primum fit in signum honoris, sacerdotalis scilicet dignitatis. Secundum, ad utilitatem fertilitatum.

In prima duo dicuntur. Primo, per exemplum ostendit cui similis est illa charitativa unio. Secundo, in quo sit illa similitudo, ibi, « *Quod descendit.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod fratres in unum habitare est bonum, et utile, quia est « *sicut unguentum* » existens « *in capite* » summi sacerdotis « *Aaron* [1], » in figuram unctionis spiritualis, quæ fuit in Christo, qui est caput. Ad Coloss. I, 18 : *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Caput inunctum unctione spirituali. Psal. XLIV, 8, supra : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.* Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me* [2], unctione sua odorifera valde, et attractiva. Cantic. I, 3 : *Curremus in odorem unguentorum tuorum.*

« *Quod descendit.* » Hic ostendit in quo similitudo, quia in duobus. In diffusione hujus unguenti in proximos, et priores sanctos. Secundo, in extensione etiam in postremos, ibi, « *Quod descendit in oram.* »

Dicit ergo : Sic est sicut unguentum in capite, « *quod,* » supple, unguentum, « *descendit* » a capite, « *in barbam :* » sic ad litteram fiebat in summi sacerdotis materiali unctione. Sic a Christo capite unctio charitatis in barbam descendit, in Apostolorum scilicet congregationem, qui tamquam barbam ostenderunt Christi fortitudinem. Joan. III, 34 : *Quem misit Deus, verba Dei loquitur : non enim ad mensuram dat Deus spiritum,* sed redundantem, ut effluat in barbam ejus. Quando Filius ostendit se hominem factum, ab ipso capite descendit gratia in cœtum Apostolicum.

« *Barbam Aaron.* » Hæc barbæ replicatio duplicem designat fortitudinem, in sanctis primis, firmis scilicet Apostolis, in opere, et in fidei confessione. Prima carent fideles infirmi ; secunda vero hæretici : unde quasi dimidiam barbam habent tantum. II Reg. x, 4 et seq., Ha-

[1] Cf. Levit. XVIII, 12.

[2] Cf. Luc. IV, 18.

non rasit dimidiam barbam servorum David.

« *Quod descendit.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Unio charitatis est sicut unguentum spirituale, quod a Christo descendit in sanctos primitivæ Ecclesiæ. « *Quod* » etiam « *descendit in oram vestimenti ejus :* » et materialis Aaron unguentum materiale, et spiritualis spirituale. Nota ergo, quod vestis Christi sunt fideles, et maxime Apostolis succedentes : illi enim fuerunt barba, sicut dictum est, Isa. XLIX, 18 : *Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris.* Ad Galat. III, 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, active. Ora ergo vestimenti possunt dici perfecti : ora enim vestis perficit vestem. Vel, concordia ad invicem conjuncti : in ora enim est partium conjunctio. Vel, extremi in Ecclesia sancti : ora enim magis proprie appellatur consummatio, et finis vestimenti. Sed in omnes illos descendit a capite Christo spiritualis unctio barba mediante. Joan. I, 16 : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Job, XXIX, 6 : *Petra fundebat mihi rivos olei :* propter quod dicebat Joannes quibusdam, I Joan. II, 27 : *Unctio ejus*, scilicet Christi, *docet vos de omnibus.* Unctio ergo illuminativa, unctio sanativa. Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et conficiet unctiones sanitatis.*

8 « *Sicut ros Hermon.* » Hic subjungitur exemplum aliud de irroratione montium, alterius trans Jordanem existentis, qui appellatur Hermon, alterius citra existentis in terra promissionis, qui vocatur Sion. Et quamvis Augustinus nitatur probare, quod « nullo modo ad « litteram possit intelligi, quia ab Her- « mon in Sion ros non posset descende- « re, cum sint montes sejuncti et di- « stantes, » tamen posset dici, quod sit duplex relatio, ut sit sensus : « *Sicut ros Hermon* » est unio charitatis, « *qui* » etiam ros « *descendit in montem Sion,* » non ille idem numero, sed similis specie. Melius autem intelligitur spiritualiter. Hermon enim interpretatur *lumen exaltatum* : et Christus lumen est. Supra, in Psal. XXXV, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen.* Et exaltatum primo super crucis candelabrum, Joan. XII, 32 : *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Secundo, super exercitum omnium Angelorum. Psal. LVI, 6 : *Exaltare super cælos, Deus.* Ad Philip. II, 9 : *Propter quod et Deus exaltavit illum.* Et ipse mons est. Isa. II, 2 : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*[1]. In hunc ergo montem Hermon descendit ros gratiæ, de quo, Eccli. XLIII, 24 : *Ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.* Et, Isa. XXVI, 19 : *Ros lucis, ros tuus.* Et ab ipso Christo descendit in Ecclesiam quæ per Sion, sicut frequenter dictum est, designatur. Judicum, VI, 37 et 38, Ros a vellere venit in concham.

Et nota, quod gratia *ros* dicitur. Primo, quia desuper descendit, Isa. XLV, 8 : *Rorate, cæli, desuper.* Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum*, etc. Suaviter influit, Judicum, VI, 37 et seq., Ros influit in vellus, in qua influentia nullus potuit esse strepitus. Deuter. XXXII, 2 : *Fluat ut ros eloquium meum,* id est, dulciter, et suaviter. Corvos donec nigrescant nutrit : hæc omnes homines donec peccent. Sapient. XVI, 25 : *In omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat.* Propter hoc dicitur, Job, XXXVIII, 41 : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum,* supple, nisi ego ? De nocte descendit, Exod. XVI, 13 : *Factum est vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra : mane quoque ros jacuit per circuitum*

Gratia collata cum rore.

[1] Cf. Mich. IV, 1.

castrorum. Sic gratia misericordiæ in tribulatione. Et fœcundat, Osee, XIV, 6 : *Ero quasi ros : Israel germinabit sicut lilium*, pro quo etiam datur. Refrigerat, Eccli. XVIII, 16 : *Nonne ardorem refrigerabit ros* ? Quasi diceret : Sic.

« *Quoniam illic.* » Hic secundum secundæ partis, scilicet probatio utilitatis, et jucunditatis, per ipsum fructum. Et primo, per fructum in præsenti habitum. Secundo, per habendum in futuro.

Dicit ergo : Sic ostendi per exemplum, quoniam bonum et jucundum, et hoc verum : « *quoniam illic*, » in concordia et unitate fratrum, « *mandavit Dominus benedictionem*, » sui scilicet laudem, supple, fieri : a talibus enim placet ei laus, et benedictio, non ab aliis. Matth. V, 23 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris*, etc. Gregorius : « Quam gravis culpa est discordia, per « quam nec munus a Deo accipitur. » Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Sed existentes in Sion per unitatem et concordiam, hi possunt laudare. Isa. XII, 6 : *Exsulta, et lauda, habitatio Sion*. Et, XXV, 10 : *Venient in Sion cum laude*.

« *Et vitam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic mandavit benedictionem in præsenti, « *et* » mandavit se daturum, sic digne benedicentibus, « *vitam* : » vitam, inquam, duraturam « *usque in sæculum*, » id est, in æternum, hoc est, vitam æternam, de qua, Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum*. Ad hanc pervenitur per concordiæ unitatem. I Joan. III, 14 : *Scimus quod translati sumus de morte ad vitam*. Quare ? *quoniam diligimus fratres*. Joan. X, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant*, æternam et apertam. Osee, VI, 3 : *Vivemus in conspectu ejus*. Ad quam nos perducat, etc.

PSALMUS CXXXIII.

Hortatio ad benedicendum Domino.

1. Canticum graduum.
Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini :
Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

2. In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum.

3. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram.

IN PSALMUM CXXXIII

COMMENTARIUS.

« *Canticum graduum.* »

« *Ecce nunc benedicite*[1]. » Hic est Psalmus centesimus trigesimus tertius in toto libro, in tertia parte trigesimus tertius, in Psalmis Gradualibus decimus quintus, ultimus in illis quinque qui pertinent ad perfectionem in bono. Charitas enim Dei, et conversio totius mentis ad ipsum laudandum, totum perficit et consummat.

Argumentum Psalmi: Hortatio ad benedicendum Deum. Præmisso enim titulo sæpius prænotato, subjungitur Psalmus, qui dividitur in duas partes principaliter. In prima invitat ad benedicendum Deum, corde, et opere, et ore. Secundo, optat sic benedicentibus æternam remunerationem, ibi, ỷ. 3 : « *Benedicat te Dominus.* »

In prima invitat ad benedicendum Deum simpliciter. Secundo, ad benedicendum et opere et ore, in adversis specialiter, ibi, ỷ. 2 : « *In noctibus.* »

In prima duo. Primo, invitat omnes indifferenter. Secundo, distincte majores et minores, ibi, « *Qui statis in domo.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic per Christum est ædificatio Ecclesiæ, quæ est ex concordia et unitate Deum digne benedicentium, et æternam remunerationem ex hac benedictione exspectantium. Ergo vos « *omnes servi Domini,* » generaliter, tam majores quam minores, « *ecce,* » in præsenti monte, « *benedicite Dominum nunc,* » exspectantes in futuro. Daniel. III, 85, similis admonitio : *Benedicite, servi Domini, Domino.* Tob. XIII, 10 : *Benedicite Dominum, omnes electi ejus,* electi, inquam, ad hoc ut serviatis ei. Et « *nunc* » benedicite, scilicet in hoc tempore apto ad benedicendum. II ad Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et omnes, ad Roman. XV, 6 : *Ut unanimes, uno ore honorificetis Deum,* etc.

« *Qui statis in domo Domini.* » Hic secundum : et primo invitat majores. Secundo, minores, ibi, « *In atriis.* »

Dicit ergo : Sic omnes, benedicite Dominum. Primo, vos « *qui statis,* « tamquam servientes, et obedire parati, quod est bonorum servorum, « *in domo Domini,* » in domo interiori, tamquam perfecti. Ad Ephes. VI, 14 : *State ergo succincti lumbos vestros.* Et qui sic statis, videte quod in domo sitis, aliter nihil valeret. Isa. LVI, 7 : *Lætificabo eos in domo orationis meæ.* Extra, non, sed si statis, et in domo estis, vere benedicere et potestis, et debetis, quia beati estis. III Reg, X, 8 : *Beati viri tui, et servi tui, qui stant coram te semper.* Bonus enim servus, quamvis sit hic in terra, stat attingens usque ad cœlum. Sapient. XVIII, 16 : *Usque ad cœlum attingebat stans in terra..* III Reg. XVII, 1, dicebat Elias : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto,* etc.

« *In atriis domus.* » Ecce secundum.

[1] « Ce psaume termine bien la série des « psaumes graduels. Le peuple au moment où « il achève et cesse de louer Dieu, veut se voir « remplacer près de lui par ceux qui, spécia- « lement consacrés à son culte, peuvent et « doivent y vaquer sans cesse. » Le Hir. Ce psaume est en effet un dialogue entre les pèlerins qui quittent la ville sainte, et les prêtres qui bénissent au nom du Seigneur. Notons toutefois qu'on pourrait aussi y voir un dialogue entre les prêtres de garde au temple, et ceux qui viennent les remplacer (Tholuck), ou faire dire tout le morceau par les mêmes personnages. Ce psaume est postérieur à la captivité, et probablement composé pour l'usage liturgique du second temple.

H. LESÊTRE.

Quasi diceret : Sic benedicite, vos majores, et etiam qui statis, repete, « *in atriis domus Dei nostri,* » non in intimis, sed incipientes, et imperfecti : atria enim sunt in introitu domus : qui dicere potestis illud Psal. cxxi, 2, supra : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem.* Et, in alio Psalmo xcix, 4 : *In atriis ejus,* secundum unam litteram, *in hymnis confitemini illi* [1]. Vel, *atria,* charitas est quæ lata est.

« *Et benedicite Dominum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic benedicite opere manus ad sancta levando : « *et benedicite,* » ore sic, « *Dominum.* » Job, xxxv, 10 : *Dedit carmina in nocte.* Psal. xli, 9 : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.* Tob. xiv, 11 : *Filiis vestris mandate ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant Dominum in omni tempore,* etiam adversitatis.

2 « *In noctibus.* » Hic secunda pars primæ partis hujus Psalmi, in qua postquam monuit omnes ad benedicendum Deum generaliter in omni statu, hic monet ad benedicendum in statu tribulationis et adversitatis specialiter. Et primo, monet ad benedicendum opere. Secundo, ore, ibi, « *Et benedicite.* »

Ait ergo : Sic omnes benedicite Dominum, et omni tempore, et etiam « *in noctibus,* » in tribulationibus scilicet. Tribulatio enim nox est. Supra, in Psal. cxx, 6 : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Isa. xxi, 12 : *Venit mane,* prosperitatis : *et nox,* adversitatis. « *Extollite,* » sursum ad Deum, « *manus vestras :* » et hoc, « *in sancta,* » id est, ad sancta, quæ vere sancta sunt, scilicet æterna et superna acquirenda : sicut monet Jeremias, Thren. iii, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* Ad Timoth. ii, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira,* etc. Qui sic levat, adversarium superat. Exod. xvii, 11 : *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel : sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Josue, viii, 18 : *Leva clypeum, qui in manu tua est,* fidem quam in operibus tenes, *contra urbem Hai.*

« *Benedicat te.* » Hic est secunda pars Psalmi, in qua orat ut sic Deum diligentibus, et ipsum benedicentibus æterna benedictione Dominus benedicat : et dicuntur duo. Primo, orat ut æterna benedictione talibus Dominus benedicat. Secundo, insinuat quod possit, ibi, « *Qui fecit cælum.* » 3 **Secunda pars Psalmi.**

Dicit ergo, loquens tamquam uni singulari, quia omnes diligentes unum sunt, Act. iv, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum.* Supra, Psal. cxxxii, 1 : *Ecce quam bonum et quam jucundum,* etc. « *Benedicat te Dominus.* » Tob. ix, 9 : *Benedicat te Deus Israel.* » Et hoc « *ex Sion,* » id est, benedictione illa, quæ est vera Sion, quæ est benedictio æterna, de qua, Matth. xxv, 34 : *Venite, benedicti Patris mei.* Vel, « *ex Sion,* » benedictione gratiæ, qualem benedictionem desiderabat Jacob cum dicebat, Genes. xxxii, 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.*

« *Qui fecit cælum et terram.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic te benedicat, et potest, « *qui,* » id est, quia ille « *fecit cælum,* » omnem superiorem creaturam, « *et terram,* » omnem scilicet inferiorem. Genes. i, 1 : *In principio creavit Deus cælum et terram.*

[1] Vulg. habet, Psal. xcix, 4 : *Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis : confitemini illi.*

PSALMUS CXXXIV.

Hortatio ad laudandum Deum, ei gratias agendum et vanitatem idolorum agnoscendam.

1. Alleluia.
Laudate nomen Domini : laudate, servi, Dominum :
2. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.
3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus : psallite nomini ejus, quoniam suave.
4. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.
5. Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster præ omnibus diis.
6. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.
7. Educens nubes ab extremo terræ [1], fulgura in pluviam fecit : Qui producit ventos de thesauris suis.
8. Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus [2].
9. Et misit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaonem, et in omnes servos ejus.
10. Qui percussit gentes multas, et occidit reges fortes [3] :
11. Sehon, regem Amorrhæorum, et Og, regem Basan, et omnia regna Chanaan [4] :
12. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.
13. Domine, nomen tuum in æternum : Domine, memoriale tuum in generationem et generationem.
14. Quia judicabit Dominus populum suum, et in servis suis deprecabitur.
15. Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum [5].
16. Os habent, et non loquentur [6] : oculos habent, et non videbunt.
17. Aures habent, et non audient : neque enim est spiritus in ore ipsorum.
18. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.
19. Domus Israel, benedicite Domino : domus Aaron, benedicite Domino.
20. Domus Levi, benedicite Domino : qui timetis Dominum, benedicite Domino.
21. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.

[1] Jerem. x, 13.
[2] Exod. xii, 29.
[3] Josue, xii, 1, 7.
[4] Numer. xxi, 24, 35.
[5] Supra, cxiii, 4.
[6] Supra, xv, 15.

IN PSALMUM CXXXIV

COMMENTARIUS.

« *Alleluia.* »

« *Laudate nomen Domini*[1]. » Hic est Psalmus centesimus trigesimus quartus.

Cum enim præcesserit in præcedentibus Psalmis enumeratio bonorum a Deo collatorum, non restat nisi conversio in Dei laudem pro tot et talibus beneficiis, et irrisio deorum qui nulla possunt exhibere beneficia. Ergo in hoc Psalmo agitur de Dei laude pro tantis beneficiis, et tot : unde recte præmittitur titulus « *alleluia,* » quod interpretatur, *laudate Deum.*

Psalmus monet laudare Deum, justus magnalia commemorans.

Et dividitur Psalmus secundum Glossam in tres partes. Primo, invitatio generaliter servientium Deo ad ejus laudem. Secundo, falsorum deorum, qui nulla possunt exhibere beneficia, irrisio, ibi, ỷ. 15 : « *Simulacra.* » Tertio, repetitio invitationis, ordines servientium distinguendo, ut unusquisque ordo secundum modulum suum laudet, ibi, ỷ. 19 : « *Domus Israel, benedicite.* »

Prima iterum subdividitur secundum modum duplicem invitando ad laudem. Primo quidem invitat verbo. Secundo, exemplo, ibi, ỷ. 13 : « *Domine, nomen tuum,* » dans etiam laudandi formam.

In prima duo. Primo, invitat ad laudem quemcumque servum Dei, assignans rationes quare laudandus est. Secundo, quæstionem eliminat quæ posset fieri, quomodo sic audeat invitare ad laudem Dei, et sic magnum ipsum asserat, ibi, v. 5. « *Quia ego cognovi.* »

In prima tria. Primo, monet ad laudandum ore. Secundo, corde, ibi, ỷ. 3 : « *Laudate Dominum.* » Tertio, opere, ibi, « *Psallite.* »

In prima duo. Primo, monet, et invitat ad laudem. Secundo, determinat quos, ibi, « *Laudate, servi, Dominum.* »

Dicit ergo : Hæc beneficia confert Deus, quæ superius sunt præmissa : ergo « *laudate nomen,* » id est, nominabilem potentiam Domini. I Paral. xvi, 10 : *Laudate nomen sanctum ejus.* Judith, xiii, 17 : *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se.* Eccli. xxxix, 20 : *Date nomini ejus magnificentiam.* Nominabilis enim ejus potentia est, quæ sola salvat, sola liberat. Act. iv, 12 : *Nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* 1

Prima pars Psalmi.

« *Laudate, servi.* » Hic secundum, in quo determinat quos invitet. Primo ergo tangit servos generaliter. Secundo, quodam modo specificat illos, ibi, ỷ. 2 : « *Qui statis.* »

Dicit ergo : Sic monui laudare, sed quia, sicut dicitur, Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris,* « *laudate,* vos *servi* Domini, » vel, « *Dominum :* » ad hoc enim vos creavit et condidit. Isa. xliii, 21 : *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* Et rursus, in eodem, ỷ. 7 : *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam,* supple,

[1] Ce cantique, qui est sans nom d'auteur, est en grande partie composé de fragments empruntés au Deutéronome, à Jérémie et à des psaumes antérieurs. Il est donc certainement postérieur à la captivité. « A servitute « Babyloniorum liberati, et divinorum atriorum « magnificentia fruentes, horum bonorum lar- « gitorem laudate, » dit Theodoret. A cause du ỷ. 14, Thalhofer rapporte le psaume aux hostilités des Samaritains.

H. Lesêtre.

narratam, *creavi eum, formavi eum, et feci eum.*

Isa. VI, 13 : *Semen sanctum erit id quod steterit in ea.*

2 « *Qui statis in domo.* » Hic specificat, simul innuens etiam quare debeant laudare. Et primo, tangit majores. Secundo, minores, ibi, « *In atriis.* »

Dicit ergo : Sic moneo ut laudetis vos, qui estis servi, « *qui statis,* » tamquam majores et perfectiores, et ob hoc magis incumbit vobis laudare, « *in domo Domini,* » meditatione, et conversatione, de qua, Baruch, III, 24 : *O Israel, quam magna est domus Domini!* Et, in Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine.* Sic ille qui dicebat, ad Philip. III, 20 : *Nostra conversatio in cœlis est.* Et dicit, *statis*, non jacetis substrati carni, asino vestro, sed super ipsam estis : qui vos obtulistis discrimini, benedicite Domino, parvipendentes mortem corporis vestri, qui ascendistis super nitentes asinos [1]. III Reg. XVII, 1, dixit Elias : *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.*

« *In atriis.* » Ecce secundum. Et repete : Non solum vos qui statis tamquam perfecti, sed etiam vos qui statis « *in atriis domus Dei nostri,* » hoc est, in Ecclesia militanti, adhuc tamquam custodes. Isa. LXII, 6 : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.* Jerem. IV, 17 : *Quasi custodes agrorum facti sunt super eam in gyro.* Custodum autem est stare, Habac. II, 1 : *Super custodiam meam stabo.* Statis autem tamquam ministrantes : ministri enim stant, non sedent. I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Luc. XXIV, 36 : *Stetit Jesus*, qui venerat ministrare, non ministrari [2], *in medio eorum*, scilicet Discipulorum. Vel, quicumque in ea estis in bono perseverantes.

« *Laudate Dominum.* » Hic secundum, 3
in quo invitat ad laudandum ore. Et primo, invitat ad laudem cordis. Secundo, assignat rationem laudis. « *Quia bonus Dominus.* »

Dicit ergo : Sic laudate Dominum ore, « *laudate* » etiam « *Dominum* » corde. Infra, in Psal. CXLV, 2 : *Lauda, anima mea, Dominum.* Et supra, in Psal. CII, 1 : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt*, etc.

« *Quia bonus Dominus* » essentialiter, et ex se. Luc. XVIII, 19 : *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Bonus etiam in nobis, Sapient. XII, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus !* Thren. III, 25 : *Bonus est Deus sperantibus in se, animæ quærenti illum.*

« *Psallite nomini.* » Hic monet ad laudandum opere : et dicuntur duo. Primo, admonitio. Secundo, ratio quare acquiescendum, ibi, « *Quoniam suave.* »

Ait ergo : Sic laudetis corde, et etiam psallite, laudando opere. Psallere enim dicitur a ψάλλειν, quod est tangere, « *nomini ejus,* » nominabili potentiæ ejus. I Paral. XVI, 9 : *Cantate ei et psallite ei : et narrate omnia mirabilia ejus.* Nehem. vel II Esdræ, IX, 5 : *Benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione et laude.*

« *Quoniam suave.* » Hic secundum, scilicet causa, et ratio laudis, quæ assignatur duplex. Primo, sui exhibitio per incarnationem ad suaviter pertractandum. Secundo, fortium electio, ibi, ℣. 4 : « *Quoniam Jacob.* »

Dicit ergo : Sic nomini ejus psallite, « *quoniam* » nomen ejus « *suave,* » scilicet *Salvator :* quid enim dulcius melle

[1] Cf. Judicum, V, 9 et 10 : *Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino : qui ascenditis super nitentes asinos*, etc.

[2] Cf. Matth. XX, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Cf. ad Philip. II, 7.

ori, melodia auri, et jubilo cordi ? Et Bernardus dicit, quod « Jesus est melos « in aure, mel in ore, jubilus in corde. » Quid suavius oleo ? Et, Cantic. I, 2, dicitur : *Oleum effusum nomen tuum.* Alia littera habet, « *suavis:* » et secundum hoc satis dictum fuit supra, Psal. XCIX, 4 et 5, ibi : *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus*[1].

4 « *Quoniam Jacob elegit.* » Hic secunda ratio, luctatorum electio : et tanguntur duo. Primo, quod tales elegerit. Secundo, ad quid ipsos elegerit, ibi, « *Israel.* »

Ait ergo : Sic dico, quod benedicas opere nomen ejus, quoniam suave : et etiam, « *quoniam Dominus elegit sibi Jacob,* » ad litteram illum populum Judaicum, ut ipsum, quasi per seipsum excoleret, et data speciali lege regeret. Malach. I, 2: *Dilexi Jacob, Esau autem odio habui*[2].

Unde et subdit :

« *Israel,* » qui idem est quod Jacob, elegit, « *in hæreditatem,* » quæ excolitur, et regitur, « *sibi.* » Deuter. XXVI, 18: *Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris.* Isa. XLI, 8: *Et tu, Israel, serve meus: Jacob, quem elegi :* Israel enim, qui Deum vera fide videt, et Jacob simul per operationem bonam Dominus elegit. Jacob. II, 26 : *Fides sine operibus mortua est.* Et rursus, ad Hebr. XI, 6 : *Sine fide impossibile est placere Deo.* Sed divites in fide elegit. Jacob. II, 5 : *Nonne Deus elegit pauperes divites in fide, hæredes regni ?* Et hos quantumcumque pauperes, facit fortissimos luctatores contra carnem, mundum, et diabolum. I ad Corinth. I, 27 : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Isa. XL, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.*

« *Quia ego cognovi.* » Hic secundum 5
totius illius partis, in qua invitat verbo. Cum enim invitaverit ad laudandum Deum, assignans ejus bonitatem, hic ostendit unde occasionem sumat ipsos invitandi, quia scilicet magnalia Dei non ignorat. Duo ergo dicuntur. Primo, asserit se novisse divinam magnitudinem. Secundo, explanat, et probat illam, ibi, ỳ. 6 : « *Omnia quæcumque.* »

In prima duo. Primo, quod cognovit ipsum magnum absolute. Secundo, quod comparatione ad deos alios, ibi, « *Et Deus noster.* »

Dicit ergo : Sic invito vos ad laudandum ore, et opere : nec possum continere, « *quia ego,* » raptus ad divinum contemplationem, « *cognovi* » certissime, « *quod magnus est Dominus.* » Infra, in Psal. XLVII, 2 : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis.* Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus et magnus vehementer.* Psal. CXLVI, 5, infra : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus,* etc.

« *Et Deus noster præ omnibus diis,* » est magnus. Supra, in Psal. LXXXV, 8 : *Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua.* II Reg. VII, 22: *Magnificatus es, Dominus Deus, quia non est similis tui.*

« *Omnia quæcumque.* » Hic probat 6
magnitudinem : et dicuntur duo. Primo quidem ostendit magnitudinem ejus in generali. Secundo, in speciali, tangens quædam specialia ejus facta, ibi, ỳ. 7 : « *Educens nubes.* »

In prima duo. Primo enim tangit universalitatem operum. Secundo, locorum in quibus operatur, ibi, « *In cælo, et in terra.* »

Dicit ergo : Vere dixi, quia magnus Dominus, quia « *omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* » Job, XXIII, 13:

[1] Cf. etiam expositionem in ỳ. 9 Psal. XXXIII, tom. XV hujusce editionis.

[2] Cf. ad Roman. IX, 13.

Anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. Anima autem ejus, vis, et natura, qua cuncta disponit, quæ idem in eo est quod ipse. Gregorius : « Ea ipsa vis, quæ « cuncta disposuit, *anima* vocatur ». Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Et hoc est contra Manichæum, qui dicit eum non fecisse omnia : contra ponentes omnia ex necessitate, quod dicit voluit. Sapient. XII, 10 : *Subest tibi cum posse volueris.*

« *In cælo.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic omnia fecit quæ voluit, non tantum in uno loco, sed « *in cælo,* » in superiori natura, « *et in terra,* » in inferiori : « *et in omnibus abyssis,* » in omnibus aquis in mari. II Esdræ, IX, 6 : *Tu fecisti cælum, et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum : terram, et universa quæ in ea sunt : maria, et omnia quæ in eis sunt.* Hoc contra idololatras, qui adorant deos factos, non qui fecerunt cœlum et terram. Cœlum, spirituales : terra, carnales : mare, infideles : abyssi, homines versuti et corde profundi. De primis et secundis, Isa. LXVI, 1 : *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* De tertiis, Isa. LVII, 20 : *Impii, quasi mare fervens.* Job, XXVIII, 14 : *Abyssus dicit : Non est in me : et mare loquitur : Non est mecum.* De quartis, Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium et inscrutabile.* In his Dominus facit sicut vult.

« *Educens nubes.* » Hic tangit facta specialia. Primo, ea quæ facta sunt ad utilitatem totius mundi. Secundo, facta quædam ad utilitatem populi sui, ibi, ỳ. 8 : « *Qui percussit Ægyptum.* »

Facta autem ad utilitatem mundi sunt dupliciter, vel ad utilitatem majoris, sic sunt nubes, quæ temperant ardorem solis. Si minoris mundi, aut ad utilitatem ex parte animæ, ut fulgura ad timorem incutiendum : vel ex parte corporis, ut pluvia et venti, quæ sunt ad nutriendum : pluvia facit fœcunditatem : venti præparant ad illam, vel confringendo terram, ut frigidi venti : vel aperiendo, ut calidi.

Dicit ergo : Sic fecit quæ voluit, et ubique, ipse dico, « *educens nubes,* » ad refrigerium, propter solis ardorem, « *ab extremis terræ.* » Eccli. XLIII, 17 : *In magnitudine sua posuit nubes.* « *Fulgura* » etiam « *fecit,* » ad incutiendum terrorem : et hoc, « *in pluviam,* » cito convertendo ad consolationem : facit enim aliquando simul cum fulguribus pluvias, vel statim post. Jerem. X, 13 : *Elevat nebulas ab extremitatibus terræ : fulgura in pluviam facit,* etc.

Nubes sunt prædicatores et Apostoli. Isa. V, 6 : *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Hos ab extremitatibus terræ eduxit, quia a paupertate, et vilitate, quasi extrema assumpsit. I ad Corinth. I, 27 : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* Fulgura etiam in pluviam facit, quia post comminationem terribilem, etiam consolationem immittit. Tob. III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis,* etc. Habac. III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

« *Qui producit ventos,* » calidos et frigidos, rationibus dictis, « *de thesauris suis,* » de causis latentibus, et occultis, ut sentias stantem, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Joan. III, 8 : *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis,* etc. Et exponitur de vento ad litteram. Eccli. XLIII, 15 : *Aperti sunt thesauri, et evolaverunt nebulæ sicut aves.* Venti etiam animæ sunt. Amos, IV, 13 : *Formans montes, et creans ventum.* Hos spiritus educit de thesauris præscientiæ et prædestinationis suæ ad latitudinem æternæ gloriæ. Ad Roman. VIII, 30 : *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Sua autem præsentia et prædestinatio *thesauri* dicuntur, quia occultum nobis

est quod ibi latet. Ad Roman. XI, 33 : *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!*

8 « *Qui percussit.* » Hic tangit quod fecit ad utilitatem populi sui, et exaltationem. Primo, quæ in Ægypto. Secundo, quæ in veniendo de Ægypto post exitum de deserto, ibi, ℣. 10 : « *Qui percussit gentes multas.* » Tertio, quæ in termino viæ, scilicet in terra promissa, ibi, in medio ℣. 11 : « *Et omnia regna Chanaan.* »

In prima duo. Primo, quid factum est in Ægypto quantum ad interfectionem primogenitorum specialiter, in quo populus maxime exaltatus fuit. Aut quantum ad alia flagella generaliter : hoc secundo, ibi, ℣. 9 : « *Et misit signa.* »

Dicit ergo : Ipse est qui educit ventos de thesauris, « *qui etiam percussit primogenita Ægypti,* » non tantum quædam, « *sed ab homine usque ad pecus.* » Exod. XII, 30 : *Ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.* Et non tantum hominum parvuli mortui sunt, sed etiam jumentorum. Osee, XIV, 1 : *Parvuli eorum elidantur, et fœtæ ejus discindantur.* Primogenita Ægypti in hominibus sunt malitiosi hujus mundi, alios mittentes in errorem tamquam quædam pecora, quæ dicuntur pecorum primogenita : et utrosque Dominus percutit. Eccle. II, 16 : *Moritur doctus similiter ut indoctus.*

9 « *Et misit signa.* « Hic tangit alia flagella generaliter facta. Et primo, tangit in generali flagella illa. Secundo, in quibus sunt facta, ibi, « *In Pharaonem.* »

Ait enim : Sic primogenita percussit, « *et misit signa,* « quantum ad minores plagas, et facta minus mirabilia : « *et prodigia,* » quantum ad majora : « *in medio tui, Ægypte,* » cap. VII Exodi usque ad caput XIII per totum.

Et hoc, « *in Pharaonem,* » id est, contra Pharaonem, « *et in,* » id est, contra, « *servos ejus* » omnes : nullus enim evasit, qui non afflictionem sentiret. II Esdræ, IX, 10 : *Dedisti signa atque portenta in Pharaone, et in universis servis ejus.* Sapient. XVI, 4 : *Oportebat illis sine excusatione supervenire interitum exercentibus tyrannidem.* Per Pharaonem regem Ægypti, in malitia capitanei : per servos, obedientes ad malum : sed utrosque Dominus destruxit. Habac. III, 13 : *Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum.* Nahum, I, 4 : *Infirmatus est Basan, et Carmelus,* majores et alti sicut montes isti : *et flos Libani,* minores scilicet, *elanguit.*

« *Qui percussit gentes.* » Hic magnalia facta in via, transito deserto, antequam ad Jordanem veniretur, omissis illis quæ fecit in deserto. Si autem quæratur, quare hoc? Dicendum, quod hic intendit illa repetere, quæ fecit ad laudem et utilitatem illius populi : ea autem quæ in deserto sunt facta, multum pertinent ad afflictionem et occisionem illius populi, propter quod silentur. Duo ergo dicuntur hic : mirabilia facta quantum ad populum et minores. Secundo, quantum ad majores, ibi, « *Et occidit reges.* » 10

Dicit ergo : Sic fecit in Ægypto, et etiam postquam exierunt de Ægypto, ipse est « *qui percussit gentes multas.* » Deuter. IX, 1 : *Audi Israel : Tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas, et fortiores te.*

« *Et occidit reges.* » Hic magnalia quantum ad majores, quos tangit primum in generali. Secundo, specificat illos, ibi, « *Sehon, regem Amorrhæorum.* »

Dicit ergo : Sic percussit gentes mul-

tas, « *et occidit reges fortes.* » Josue, x, 42 : *Universos reges, et regiones eorum, uno impetu cepit, atque vastavit.* Josue, xi, 17 : *Omnes reges eorum cepit, percussit, et occidit.* Gladius enim Dei nulli parcit. Et minores atque majores. Apocal. xix, 15 : *De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat omnes gentes.*

11 « *Sehon, regem Amorrhæorum.* » Hic specificat illos reges. Quasi diceret : Dixi quod percussit reges, et verum dixi : quia percussit « *Sehon, regem Amorrhæorum.* » Numer. xxi, 25 : *Tulit Israel omnes civitates ejus,* id est, Sehon, *et habitavit in urbibus Amorrhæi.* II Esdræ, ix, 22 : *Dedisti eis regna, et populos.* Et post : *Possiderunt terram Sehon, et terram regis Hesebon, et terram Og, regis Basan.* Hoc est quod sequitur : « *Et Og, regem Basan* [1]. »

Et nota, quod Sehon interpretatur *tentatio oculorum,* qui est rex fortissimus, multos dejiciens. Nonne ipsum David, qui interpretatur *manu fortis,* dejecit [2]? Et senes, qui in concupiscentiam Susannæ exarserunt [3]? Et bene Amorrhæorum rex dicitur. Amorrhæi *amaricantes* interpretantur. Præcedit enim oculorum tentatio : sequitur ipsam tamquam regem proprium cordis multa amaritudo. Unde Simoni Mago cupido dictum est a Petro, Act. viii, 23 : *In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse.* Og ergo *conclusio* interpretatur, et signat diabolum qui concludit viam ne ad Christum veniatur. Thren. iii, 9 : *Conclusit vias meas lapidibus quadris.* Et hic est « *rex Basan,* » id est confusionis : sic enim interpretatur Basan. Job, xli, 25 : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Nulla major confusio quam superbia, quæ pervertit omnia. In suis ergo Dominus hos reges expugnat, oculorum concupiscentiam, et dæmonem.

« *Et omnia regna.* » Hic tertium, in quo tangit magnalia facta in termino viæ, quæ fuerunt duo, sicut hic tangitur. Primum, regnorum Chanaan subjugatio. Secundo, collatio subjugatorum in hæreditariam possessionem illi populo, ibi, ℣. 12 : « *Et dedit terram.* »

Dicit ergo : Sic subjugavit hos reges, et percussit eos : « *et omnia regna Chanaan.* » Numer. xxi, 34 : *Facies illi sicut fecisti Sehon, regi Amorrhæorum, habitatori Hesebon.* Percusserunt ergo et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus. Chanaan interpretatur *paratus humiliationi :* humiliationis, inquam, non virtutis, sed iniquitatis. Eccli. xix, 23 : *Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo.* Vel, paratus humiliationi pœnæ, et dejectionis, qualis est superbus. Luc. xviii, 14 : *Qui se exaltat, humiliabitur.* Isa. x, 33 : *Oculi sublimes hominis humiliabuntur.* Et tales etiam Dominus percutit.

« *Et dedit terram.* » Hic secundum, in quo dicuntur duo. Primo, terræ collatio ad eam jure hæreditario possidendam. Secundo, specificatio illorum quibus data est, ibi, « *Hæreditatem Israel.* » 12

Dicit ergo : Sic omnia regna Chanaan percussit : et illis percussis, « *dedit terram eorum hæreditatem.* » Deuter. iii, 18 : *Dominus Deus noster dat vobis terram hanc in hæreditatem.*

« *Hæreditatem Israel populo suo.* » Supra, in Psal. lxxvii, 54 : *Et ejecit a facie eorum Gentes, et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Dominus enim superbos dejecit, et loco eorum suos substituit : ecce uno verbo quod dicitur, Eccli. x, 17 : *Sedes ducum super-*

[1] Cf. Deuter. iii, 2 et seq.
[2] Cf. II Reg. xi, 2 et seq.
[3] Cf. Daniel. xiii, 8.

borum destruxit, et sedere fecit mites pro eis. Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

13 « *Domine, nomen tuum.* » Hic secunda pars primæ partis totius hujus Psalmi. Postquam enim monuit verbo ad laudandum, monet consequenter exemplo, quia convertit se ad Deum, et laudat ipsemet : et dicuntur duo. Primo, laudat. Secundo, assignat rationem hujus laudis, ibi, ℣. 14 : « *Quia judicabit.* »

In prima duo. Primo, commendat potentiæ Dei æternitatem in seipsa. Secundo, comparatione ad rationabilem creaturam, ibi, « *Et memoriale tuum.* »

Dicit ergo : Sic invitavit servos Dei ad laudem, et ipsemet laudo dicens : O « *Domine, nomen tuum,* » nominabilis scilicet potentia, « *in æternum,* » supple, est. Daniel. IV, 31 : *Potestas ejus potestas sempiterna.*

« *Et memoriale tuum,* » revocatio scilicet tua a rationabili creatura est, « *in generationem* » præsentem, » *et generationem* » futuram extensa. Exod. III, 15 : *Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos.* Hoc nomen mihi est æternum : hoc memoriale meum in generationem et generationem. Memoriale dulce bonis, Eccli. XLIX, 1 : *Memoria Josiæ in compositione odoris facta, quasi mel in omni ore indulcabitur.* Osee, XIV, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.*

Generatio naturæ, culpæ, gratiæ et gloriæ.

Et nota hic, quod est generatio naturæ, Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.* Et est generatio culpæ, de qua, Matth. XII, 39 : *Generatio mala et adultera signum quærit*[1]. Luc. IX, 41 : *O generatio infidelis, et perversa, quamdiu vobiscum ero?* Et est generatio gratiæ, Psal. CXI, 2 : *Generatio rectorum benedicetur.* Sapient. IV, 1 : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* In Psal. XXIII, 6 : *Hæc est generatio quærentium Dominum.* Et est generatio gloriæ, Genes. XV, 16 : *Generatione quarta revertentur huc.* Quæ magis potest dici *regeneratio.* Matth. XIX, 28 : *In regeneratione, cum sederit filius hominis,* etc. In prima generat homo, Matth. I, 2 ; *Abraham genuit Isaac.* In secunda, diabolus, Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Sed in tertia, et in quarta generat Deus, Jacob. I, 18 : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis,* etc.

« *Quia judicabit.* » Hic secundum, in quo subjungitur laudis hujus causa, scilicet malorum damnatio in futuro, quibus tot bona contulit, nec aliquid valuit. Secundo, bonorum remuneratio, ibi, « *Et in servis.* » 14

Dicit ergo : Sic dixi, quod potentia Dei æterna, et memoria illius similiter : et hoc dignum : « *Quia Dominus judicabit,* » judicio æternæ damnationis, etiam « *populum suum,* » qui ingratus tot beneficiis exstitit. Joan. III, 18 : *Qui non credit, jam judicatus est.* In eodem, V, 29 : *Procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Vel, judicio discussionis in generali judicio. Joel, III, 12 : *Consurgant et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Isa. XLII, 3 : *In veritate educet jucium.* Judicia etiam discretionis in præsenti ipsos bonos de populo suo discernens a malis, hos ad fidem vocando, illos in errore dimittendo, de quo judicio, in Psal. XLII, 1 : *Judica me, Deus, et discerne causam meam,* etc.

« *Et in servis suis deprecabitur.* » Vel, « *in servis suis consolabitur,* » eis bona talia conferendo, unde consolentur. Isa. LI, 12 : *Ego, ego ipse consolabor vos.* Vel sic : Dixi, quod judicabit populum suum judicio discretionis, ut quosdam in errore suo dimittat, tamen « *in servis*

[1] Cf. Luc. XI, 29.

suis, » tandem « *deprecabitur,* » hoc est, servi convertentur ad eum, et ipsum precabuntur, vel advocabunt : ad ipsos enim in fine mundi convertetur, et ipsi ad illum. Isa. x, 21 : *Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.*

15 « *Simulacra Gentium.* » Hic secunda pars principalis totius Psalmi, in qua postquam præcessit invitatio ad laudem Dei, subjungitur idololatriæ detestatio : et dicuntur duo. Primo, detestatio idolorum. Secundo, irrisio idololatrarum, ibi, ℣. 18 : « *Similes illis.* »

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, ostendit oculorum vanitatem in se, et absolute, quia omnino sunt sine vita. Secundo, inutilitatem, quia sine sensu sunt et motu, ibi, ℣. 16 : « *Os habent.* »

In prima ostendit vanitatem a parte causæ materialis. Secundo, a parte causæ efficientis, ibi, « *Opera manuum.* »

Dicit ergo : Sic ad laudandum Deum invito, et ipsum laudo, non Gentium deos, quia « *simulacra Gentium* » sunt « *argentum et aurum,* » non viventia, imo vilissimum elementum, quia terra sunt : aurum enim et argentum, nihil aliud sunt quam terra. Jerem. iv, 23 : *Adspexi terram, et ecce vacua erat, et nihili.* Baruch, vi, 3 : *Videbitis in Babylonia deos aureos et argenteos.*

« *Opera manuum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Non tantum sunt terra vanissima, sed etiam sunt « *opera manuum hominum.* » Multum ergo vana, cum homo non tantum vanum quid sit, imo vanitas ipsa. Psal. xxxviii, 6 : *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Et ipse facit simulacra : ergo ipsa multo vaniora. Osee, viii, 4 : *Argentum suum, et aurum fecerunt sibi idola, ut interirent.* Baruch, vi, 46 : *Artifices ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis : numquid ergo possunt ea, quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dii?*

« *Os habent, et non loquentur.* » Hic secundum, in quo ostendit illorum inutilitatem, et hoc per carentiam sensuum. Primo ergo ostendit eos carere sensibus animalium vitam perfectam habentium. Secundo, habentium imperfectam, ibi, in medio ℣. 17 : « *Neque enim est spiritus.* » 16

In prima duo. Primo, quod carent sensibus animalium perfectam vitam habentium rationabilium. Secundo, irrationabilium, ibi, « *Oculos habent.* »

Dicit ergo : Sic in se vana sunt, et inutilia etiam, quia « *os habent,* » hoc est, oris similitudinem, « *et non loquentur,* » tamquam rationabilia. Baruch. vi, 7 : *Lingua ipsorum polita a fabro : ipsa etiam inaurata et inargentata, falsa sunt, et non possunt loqui.*

« *Oculos habent.* » Hic ostendit eos carere sensibus animalium irrationabilium : et his duplicibus, visu scilicet, et auditu, secundum, ibi, « *Aures habent, et non audient.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod os habent, et non loquentur, et « *oculos habent,* » id est, similitudinem oculorum, « *et non videbunt.* » Sapient. xv, 15 : *Quibus neque oculorum usus est ad videndum.*

« *Aures habent, et non audient.* » 17
Ecce secundum. Quasi diceret : Sic oculis non utuntur, et etiam « *habent aures,* » veris auribus similes, « *et non audient.* » Sapient. xv, 15 : *Neque,* supple, sunt illis, *aures ad audiendum.*

« *Neque enim est spiritus,* » vitalis, « *in ore ipsorum,* » in facie, ut sensus aliquos det eis, sicut est saltem in animalibus imperfectis, quæ spiritum habent, aliquod alimentum ad vitam sustentandam attrahentem. Jerem. x, 14 : *Non est spiritus in eis.* Et rursus, ibidem, ℣. 15 : *Vana sunt, et opus risu dignum.* Joan. iv, 24 : *Spiritus est Deus.* Si ergo spiritus in eis non est, dii non sunt. Sic ad litteram.

Descriptio pravi Prælati.

Spiritualiter autem hic est descriptio pravi Prælati, quia in principio ipse est tamquam simulacrum, sive idolum. Zachar. XI, 17 : *O pastor, et idolum derelinquens gregem!* Cum tamen in Ecclesia non deberent esse tales. Numer. XXIII, 21 : *Non est idolum in Jacob*, id est, non debet esse, *nec videtur*, id est, nec videri debet, *simulacrum in Israel*. Sed, heu! Rachel, id est, Ecclesia, furata est idola patris sui [1], Gentilis scilicet populi : et ideo sunt opera manuum hominum, non Dei artificio, imo et fraudulentiis hominum, et humana potentia fabricantur. Baruch. VI, 50 : *Non sunt dii, sed opera manuum hominum, et nullum Dei opus cum illis.* « *Os habent, et non loquentur,* » aliquid utile, sed imperiosum, et comminatorium. Apocal. XIII, 2 : *Os ejus sicut os leonis*, quod fœtet per crapulam, lacerat per detractionem, rugit per comminationem, sed de prædicatione nihil. Isa. LVI, 10 : *Canes muti non valentes latrare.* « *Oculos habent,* » ad videndum temporalia, « *et non videbunt,* » aliquid de spiritualibus bonis. Numer. XXIV, 16 : *Qui cadens apertos habet oculos.* Matth. XV, 14 : *Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum.* « *Aures habent,* » ad adulationes, « *et non audient* » correctiones. I ad Timoth. IV, 4 : *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Proverb. XV, 12 : *Non amat pestilens eum qui se corripit.* Sed Dominus minatur eis per Jeremiam, Jerem. XII, 17 : *Quod si non audierint, evellam gentem illam evulsione et perditione, ait Dominus.* « *Nec est spiritus,* » supple, bonus, « *in ore ipsorum.* » Ille, de quo, Joan. XVI, 13 : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sed spiritus vanitatis, de quo, I Reg. XVIII, 1 : *Invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ.*

« *Similes illis.* » Hic imprecatio : primo, talium factoribus. Secundo, cultoribus, ibi, « *Et omnes.* » 18

Dicit ergo : Tam vana sunt simulacra, et tam inutilia, et « *qui faciunt ea,* » hac intentione ut colantur ab hominibus, « *fiant illis similes,* » ut reddantur omnino vani et inutiles. Sapient. XIV, 8 : *Per manus quod fit idolum, maledictum est et ipsum, et qui fecit illud.*

« *Et omnes qui confidunt in eis,* » colentes ea tamquam deos veros. Isa. XLII, 17 : *Confundantur confusione qui confidunt in sculptili.* Deuteron. VII, 26 : *Non inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut et illud est.* Sic idolorum amatores, scilicet malorum Prælatorum, et ipsorum fautores, maledicti sunt sicut illi, et utrique deservientes, et ipsi, et ipsorum fabricatores. Sapient. XIV, 9 : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Osee, IX, 10 : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

« *Domus Israel.* » Hic est tertia pars Psalmi, in qua invitat ad laudem Dei diversos, et distinctos. Et primo sic : In prima parte invitat verbo. Secundo, facto et exemplo, ibi, ℣. 21 : *Benedictus Dominus ex Sion.* » 19

Tertia pars Psalmi.

In prima dicuntur duo. Primo, omnes in unum invitat ad laudandum. Secundo, statim subdividit, ibi, « *Domus Aaron.* »

Ubi primo invitat majores et alios Prælatos. Secundo, ministros sub illis constitutos, ibi, ℣. 20 : « *Domus Levi.* » Tertio, minores et subditos, ibi, « *Qui timetis.* »

Dicit ergo : Talia sunt idola, et petii quod similes fiant colentes illa, sed vos qui estis « *domus Israel,* » id est, Deum videntes fide formata, « *benedicite Dominum.* » Daniel. III, 83 : *Benedicat Israel Dominum*, opera ejus et magnificentiam

[1] Cf. Genes. XXXI, 19.

commendando. Eccli. xxxix, 19 et 20 : *Benedicite Dominum in operibus suis : date nomini ejus magnificentiam.*

« *Domus Aaron,* » majores scilicet, et in sacerdotali dignitate constituti, « *benedicite Domino.* » Daniel. iii, 84 : *Benedicite, sacerdotes Domini, Domino.*

20 « *Domus Levi,* » ministrorum collectio, et familia sub sacerdotibus constituta. Ezech. xl, 46 : *Isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ibi.* I Paralip. xv, 2 : *Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis.* Et, xvi, 37 : *Reliquit ibi coram arca fœderis Domini Asaph et fratres ejus,* qui erant de Levitis, *ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter.* Et rursum, ibidem, ℣. 4 : *Constituit coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent et recordarentur operum ejus, et glorificarent atque laudarent Dominum Deum Israel.*

« *Qui timetis Dominum,* » vos minores, « *benedicite Domino.* » Jerem. iv, 2 : *Benedicent eum omnes Gentes, ipsumque laudabunt.* Laus autem ipsa est, ut veraciter Deum colant. « Cultus autem, secundum Augustinum, est fides, et spes, et charitas. » Propter hoc dicitur, Eccli. ii, 8 : *Qui timetis Dominum, credite illi.* Et post, ℣. 9 : *Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Et rursus, ℣. 10 : *Qui timetis Dominum, diligite illum.*

21 « *Benedictus Dominus.* » Hic secundum, in quo postquam invitavit eos verbo, invitat et eos facto : unde ipse benedicit adjungens benedictionis causam duplicem. Prima est beneficium incarnationis. Secunda, beneficium cohabitionis et conversationis cum hominibus, ibi, « *Qui habitat.* »

Dicit ergo : Sic monui, et sic ipsemet facio, quia dico : « *Benedictus Dominus,* » supple, sit, qui venit « *ex Sion,* » id est, quia venit ex Sion, ex Judæis, ex quibus carnem sumpsit, quod fuit suum venire. Psal. xlix, 2 : *Ex Sion species decoris ejus.* Joan. iv, 22 : *Salus ex Judæis est.*

« *Qui* » etiam « *habitat,* » conversando, « *in Jerusalem,* » ubi prædicabat et docebat. Baruch, iii, 38 : *Post hoc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Propter hoc dicebat Aggæus, ii, 10 : *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ.* Habitat etiam in superna Jerusalem.

Et nota, quod ad laudem Dei exigitur munditia in laudante, Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Intentio pura, Matth. vi, 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex,* etc. Discretio, Marc. ix, 48 : *Omnis victima sale salietur.* Humilitas, Eccli. xxxv, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Perseverantia, Daniel. iii, 57 : *Laudate, et superexaltate eum in sæcula.* **Ad laudem Dei requisita, et excitantia.**

Ad laudandum autem excitat tribulatio, Daniel. iii, 24 et seq., Tres pueri laudabant Deum in camino ignis. Supra, in Psal. cxxxiii, 2 : *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* Lectio, Psal. xxxviii, 4 : *In meditatione mea exardescet ignis.* Bonorum consortium, Matth. xvi, 16, Petrus laudavit existens in collegio Apostolorum[1]. Sanctorum exemplum, I Reg. x, 10 et seq., Saul prophetavit cum cuneo Prophetarum. E diverso retrahit prosperitas, Jerem. v, 7 : *Saturavi eos, et mœchati sunt.* Sæcularis occupatio, Infra, in Psal. cxxxvi, 4 : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* II ad Timoth. ii, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Mala consortia, Matth. xxvi, 69 et seq., Petrus negavit inter malos Dominum. Et ipsorum exempla, Eccli. xiii, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

[1] Cf. Matth. xvi, 16 : *Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, Filius Dei vivi.*

PSALMUS CXXXV.

Celebratur Deus a creatione, et a miraculis in gratiam Israel.

1. Alleluia.
Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.
2. Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
3. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.
4. Qui facit mirabilia magna solus, quoniam in æternum misericordia ejus.
5. Qui fecit cœlos in intellectu [1], quoniam in æternum misericordia ejus.
6. Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus.
7. Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus.
8. Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus.
9. Lunam et stellas in potestatem noctis, quoniam in æternum misericordia ejus.
10. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum [2], quoniam in æternum misericordia ejus.
11. Qui eduxit Israel de medio eorum [3], quoniam in æternum misericordia ejus:
12. In manu potenti et brachio excelso, quoniam in æternum misericordia ejus.
13. Qui divisit mare Rubrum in divisiones, quoniam in æternum misericordia ejus :
14. Et eduxit Israel per medium ejus, quoniam in æternum misericordia ejus :
15. Et excussit Pharaonem et virtutem ejus in mari Rubro [4], quoniam in æternum misericordia ejus.
16. Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam in æternum misericordia ejus :
17. Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus.
18. Et occidit reges fortes [5], quoniam in æternum misericordia ejus :
19. Sehon, regem Amorrhæorum, quoniam in æternum misericordia ejus :
20. Et Og, regem Basan [6], quoniam in æternum misericordia ejus.
21. Et dedit terram eorum hæreditatem [7], quoniam in æternum misericordia ejus :
22. Hæreditatem Israel, servo suo, quoniam in æternum misericordia ejus.
23. Quia in humilitate nostra memor

[1] Genes. I, 1.
[2] Exod. XII, 29.
[3] Exod. XIII, 17.
[4] Exod. XIV, 28.
[5] Numer. XXI, 24.
[6] Numer. XXI, 33.
[7] Josue, XIII, 7.

fuit nostri, quoniam in æternum misericordia ejus :
24. Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus.
25. Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia ejus.
26. Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia ejus.
Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

IN PSALMUM CXXXV

COMMENTARIUS.

« *Alleluia.* »

« *Confitemini Domino, quoniam bonus*[1]. » Hic est Psalmus centesimus trigesimus quintus in toto libro, trigesimus quintus in tertia parte libri.

Psalmus invitat ad laudem Dei ex divinæ misericordiæ excellentia in operum magnitudine et diversitate.

Cum enim in præcedenti Psalmo ad laudem Dei invitaverit, assignando pro ratione laudis opera divina, et beneficia mundo et specialiter Dei populo exhibita, hic ad eamdem laudem invitat, eadem beneficia repetendo, sed singulis addendo causam exhibitionis beneficii, æternam scilicet Dei misericordiam. Unde secundum Augustinum in Glossa, ad quemlibet versuum subintelligendum est : *Quoniam in æternum misericordia ejus*, in fine versus, sicut in principio : *Confitemini Domino*, etc. Quia ergo ad laudem invitat addita modica differentia ad præcedentem Psalmum, eumdem omnino proponit titulum, scilicet « *Alleluia*, » quod idem est, sicut dictum fuit supra, quod *laudate Deum*.

Quantum autem Deo placeat psalmodia, maxime hujus Psalmi misericordiam Dei specialiter replicantis, ostenditur optime, sicut dicit Glossa, in illo facto, quod legitur, II Paralip. v, 13, quia cum cœpissent filii Israel laudare Deum, et dicere : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum*, etc., ecce statim implevit gloria templum Dei[2]. Sic spirituale templum, scilicet cor humanum, I ad Corinth. III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos :* cum psallitur, gloria repletur. Cordi enim tali divina revelantur. Supra, in Psal. XLIX, 23 : *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* IV Reg. III, 15 et seq., Eliseus ad vocem psalterii futura cognovit, tamquam repletus gloria Domini. Isaias autem, VI, 3, postquam dixerat se audivisse voces dicentium,

[1] Nous retrouvons dans ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, le même sujet que dans le précédent ; le psalmiste y célèbre la puissance et la bonté de Dieu dans les bienfaits généraux de la création, ℣℣. 4-9, et dans les bienfaits particuliers accordés au peuple d'Israel, ℣℣. 10 25. Il est très probable que l'auteur est aussi le même que celui du psaume CXXXIV. Les vers sont de douze syllabes et peuvent se grouper en strophes ternaires. Delitzsch et Perowne doutent de l'authenticité des ℣℣. 19-22, et Bickell les supprime, ce semble, avec raison. Le second hémistiche de chaque vers est invariablement formé des mots : *ki lehôlam chasdo*, ce qui fait que le psaume ressemble assez à nos litanies ; après chaque mention d'un bienfait, le peuple acclame la miséricordieuse bonté du Seigneur. « Merito « psalmographus omnibus dictis æternam mi« sericordiam conjunxit, dit Théodoret, quo« niam non ob propriam necessitatem, sed « ob solam benignitatem benignus omnia con« didit. » Tous les versets, à partir du quatrième, dépendent du verbe précédent, *hodou*, rendez hommage. Les Talmudistes donnent quelquefois à ce psaume le nom de *grand Hallel*.

[2] II Palipom. v, 13 : *Longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent, et dicere : Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus, impleretur domus Dei nube.*

Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum, statim subdit : *Plena est omnis terra gloria ejus,* scilicet Domini[1].

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, monet ad laudis divinæ confessionem. Secundo, addit laudis causam, scilicet divinæ misericordiæ excellentiam, ibi, « *Quoniam bonus.* »

1 Dicit ergo : Sic monui laudare Deum, et adhuc dico : « *Confitemini,* » confessione laudis, quam libenter Deus audit, et ore, et opere. Tob. xiii, 6 : *Confitemini illi,* supple, ore, *regemque sæculorum exaltate in operibus vestris,* ut confiteamini opere. Confitemini etiam Domino confessione peccati primo, sine qua non valet prima : quia, Eccli. xv, 9, dicitur : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Et intelligitur peccata confiteri nolentis. Et tunc Deus dimittit. Proverb. xxviii, 13 : *Qui autem ea confessus fuerit, et reliquerit, misericordiam consequetur.* Et sic sequitur laus, propter quod dicit Josue ad Achan : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere,* supple, confessione laudis : et hoc ut digne possis, *indica mihi quod feceris*[2]. Isa. xliii, 26 : *Narra si quid habes,* iniquitatis et culpæ, *ut justificeris.*

« *Quoniam bonus.* » Hic supponit laudis rationem, scilicet divinam bonitatem, imo magis bonitatis excellentiam. Primo ergo tangit divinam bonitatem. Secundo, divinæ bonitatis excellentiam, ibi, « *Quoniam in æternum.* »

Dicit ergo : Sic confitemini, et debetis, « *quoniam bonus,* » supple, est essentialiter et in se, Matth. xix, 17 : *Unus est bonus, Deus.* Luc. xviii, 19 : *Nemo bonus nisi solus Deus.* Bonus etiam in nobis, Thren. iii, 25 : *Bonus est Deus sperantibus in eum.* Quia suavis in tranquillitate, Sapient. xii, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis!* Et confortans in tribulatione, Nahum, i, 7 : *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis.*

« *Quoniam in æternum.* » Hic monstratur bonitatis excellentia, et tripliciter. Primo, a duratione bonitatis et misericordiæ. Secundo, ab intensione super omnes misericordes, ibi, ℣. 2 : « *Confitemini Deo.* » Tertio, ab operum magnitudine, et multiplicatione, ibi, ℣. 4 : « *Qui facit mirabilia.* »

Dicit ergo : Sic confitemini Domino, quoniam bonus, et etiam « *quoniam misericordia ejus,* » hoc est, bonitas, non est temporalis et transitoria sicut vestra, Osee, vi, 4 : *Misericordia vestra quasi nubes matutina, et sicut ros mane pertransiens.* Sed « *in æternum,* » id est, in præsenti sæculo, et in futuro. Eccli. xl, 17 : *Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet.* Eccli. xvii, 28 : *Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se!* Ibi coronans, Psal. cii, 4 : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Vel, potest referri totum ad futurum, et tangitur laudis præmium. Quasi diceret : Sic lauda bonum, nec hoc erit frustra, nec pro temporali, sed pro æterno, « *quoniam in æternum,* » id est, ad æterna bona conferendum, « *misericordia ejus.* » Modo enim tantummodo stillare videtur Dei misericordia, sed tunc plenissime effundetur. In Psal. xxx, 20, supra : *Mirificavit misericordiam suam in civitate munita.*

« *Confitemini Deo.* » Hic ab intensione monstratur bonitatis excellentia. Primo, comparatione ad omnes excellentes in scientia. Secundo, ad excellentes in potentia, ibi, ℣. 3 : « *Confitemini Domino.* » 2

[1] Isa. vi, 3.

[2] Josue, vii, 19.

Dicit ergo : Sic ejus bonitas est æterna, unde ei confitendum, et etiam « *confitemini Deo deorum,* » fortiori, et rectori. Deos appellat homines divina sapientia eruditos, sive boni sint, sive mali. Joan. x, 35 : *Si illos dixit deos,* supple, Scriptura, *ad quos sermo Dei factus est.*

Quinque appellantur dii.

Notandum enim, quod quinque dii appellantur. Idola, Supra, in Psal. xcv, 5 : *Omnes dii gentium, dæmonia.* Principes, Exod. xxii, 28 : *Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices.* A Deo instructi in divina lege, Psal. lxxxi, 6 : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Potestate miraculorum præditi, Exod. vii, 1 : *Ego constitui te Deum Pharaonis,* id est, ad hoc te statui, ut facias contra Pharaonem quæcumque volueris. De his omnibus potest intelligi quod hic dicitur.

3 « *Confitemini Domino.* » Ecce potentia.

Quasi diceret : « *Confitemini Domino dominorum* » factori, sua excellentissima bonitate. Deuter. x, 17 : *Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium.* Apocal. xix, 16 : *Rex regum et Dominus dominantium.* I ad Corinth. xii, 5 : *Divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus.* Ad Ephes. iv, 5 : *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis.* Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.*

4 « *Qui facit mirabilia.* » Hic tertium, in quo ostendit bonitatis excellentiam in operum magnitudine et diversitate. Et primo, quantum ad primum. Secundo, quantum ad secundum, ibi, ℣. 5 : « *Qui fecit cœlos.* »

Ait ergo, Sic confitemini : et etiam confitemini, « *qui,* » id est, quia ille « *facit mirabilia magna solus* ». Job, v, 9 : *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero.* Deuter. x, 21 : *Ipse est laus tua, et Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia.*

Sed quomodo dicitur, quod *solus facit,* cum etiam magi legantur fecisse multa mirabilia, et Angeli multi, et homines sancti ? Glossa solvit, quod *solus* dicitur facere, quia quæcumque faciunt, per eum faciunt illa. Eccli. xliii, 31 : *Magnus vehementer, et mirabilis potentia illius.* Apocal. xv, 3 : *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, Deus omnipotens.*

5 « *Qui fecit cœlos.* » Ostensa excellentia ex operum magnitudine, hic ex diversitate. Et primo, tangit a solo Deo facta. Secundo, ab eo per ministrum edita, ibi, ℣. 10 : « *Qui percussit Ægyptum.* »

In prima tria secundum tria genera operum, quæ fecit per seipsum Dominus. Primum est opus creationis. Secundum, distinctionis, ibi, ℣. 6 : « *Qui firmavit.* » Tertium, ornatus ibi, ℣. 7 : « *Qui fecit luminaria.* »

Dicit ergo : Sic illi confitemini, qui fecit solus mirabilia, et etiam « *qui fecit cœlos in intellectu,* » id est, qui fecit cœlos nobis invisibiles, quamvis sint corporales, sicut cœlum empyreum, et etiam crystallinum, qui duo sunt inter cœlos factos super ipsum firmamentum. Job, xxxv, 5 : *Suspice cœlum, et intuere : et contemplare æthera quod altior te sit,* id est, tuo intellectu. Vel sic : « *Fecit cœlos in intellectu suo,* » non in aliquo altero ipsum instruente. Jerem. x, 12 : *Prudentia sua,* non instructione aliena, *extendit cœlos.* Isa. xliv, 24 : *Extendens cœlos solus.* Cœli Clerici sunt, qui ad hoc a Deo sunt facti ut intelligant, Proverb. xiv, 35 : *Acceptus est regi minister intelligens.* Et si gubernent subditos, Proverb. i, 5 : *Intelligens gubernacula possidebit.* Et ulterius faciant quæ docent : quia, Luc. xii, 47, dicitur : *Ille*

servus qui cognovit domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, scilicet plagis.

6 « *Qui firmavit terram.* » Hic tangitur opus distinctionis, per hoc quod dicit terram factam super aquas, et subtus.

Ait enim : Confitemini illi, « *qui firmavit terram,* » ordinans illam, « *super aquas.* » Et est secundum Glossam modus loquendi, id est, « juxta. » Tamen si attendamus, terra super aquas fundata est, quia per aqueum humorem intimas partes penetrantem firmatur terra, et stabilitur. Isa. XLIV, 24 : *Ego Dominus,... stabiliens terram, et nullus mecum.* Jerem. X, 12 : *Facit terram in fortitudine sua.* Job, XXXVIII, 4 : *Ubi eras*, etc.

Prælati cum terra comparati. Si cœli Clerici, sic terra possunt dici Prælati boni. Primo propter stabilitatem et constantiam, Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Propter aliorum supportationem, Job, IX, 13 : *Sub quo curvantur qui portant orbem.* Ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos fortiores, imbecillitates infirmorum sustinere.* Propter aliorum ministrationem, Joan. XXI, 17, dictum est Petro : *Pasce oves meas.* Hinc *pastores* dicti sunt. Propter ariditatem ab omni humore peccati, Genes. I, 10 : *Et vocavit Deus aridam, terram.* Propter summam humilitatem, quæ in eis debet esse, sicut in terra, Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Propter cadentium susceptionem. Debent enim dicere illud Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis.* Propter tribulationum et amaritudinum circumdationem, Job, XVII, 2 : *In amaritudinibus moratur oculus meus*, id est, Prælatus meus. Hæc terra debet esse super aquas doctrinæ, ut in illis jugiter studeat : concupiscentiarum, ut illas reprimat : rerum temporalium, ut aliis eas distribuat, et sub pede penitus habeat : tribulationum, ut nulla ratione succumbat.

« *Qui fecit luminaria.* » Hic tangitur de opere ornatus : maxime autem ad ornatum mundi pertinent luminaria. Tangitur autem primo ipsorum conditio ad ornatum mundi. Secundo, fructus et distinctio illorum, ibi, ℣. 8 : « *Solem.* » 7

Dicit ergo : Sic illi confitemini, qui fecit præcedentia : « *qui* » etiam « *fecit luminaria magna.* » Genes. I, 14 : *Fiant luminaria in firmamento.* Eccli. XLIII, 10 : *Mundum illuminans in excelsis Dominus.* Luminaria magna, Prædicatores et Doctores. Ad Philip. II, 15 : *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.* Matth. V, 14 : *Vos estis lux mundi.* Hæc non sunt sub modio cupiditatis, vel carnalis voluptatis ponenda. Matth. V, 15 : *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio*, etc.[1]. Gregorius : « Sub « modio ponere est sub temporali com« modo gratiam prædicationis absconde« re, quod nemo electorum utique fa« cit. »

8 « *Solem in potestatem.* » Hic ostenditur et distinctio conditorum, et fructus.

Quasi diceret : Sic fecit, unde confitendum, cum luminaria condidit : et etiam quia fecit « *solem in potestatem diei,* » ad discernendum res, et cognoscendum, ad calorem influendum, ad attrahendum vapores, ad desiccandum mollia, ad indurandum fluxa.

9 « *Lunam et stellas.* » Repete semper : Confitemini illi qui fecit, « *lunam et stellas in potestatem noctis,* » ut ipsam possint illuminare pro modulo suo, sicut et sol in die. Jerem. XXXI, 35 : *Qui dat so-*

[1] Cf. Marc. IV, 21 ; Luc. VIII, 16.

lem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in potestate noctis. Per solem major Prælatus intelligitur, cujus est illuminare diem, et veritatis cognitionem, de quibus diebus, supra, in Psal. xviii, 3: *Dies diei eructat verbum.* Sed, Joel, ii, 31, dicitur: *Sol convertetur in tenebras.* Et, Amos, viii, 9: *Occidet sol in meridie,* id est, in ardenti tentatione. Apocal. vi, 12: *Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus.* Luna autem minor Prælatus, qui recipit lumen potestatis a majori, sicut luna a sole, qui potestatem habet in nocte, in subditis et ignaris qui dicuntur *nox.* Supra, in Psal. xviii, 3: *Nox nocti indicat scientiam.* Sed hæc etiam luna obscurata est multum. Job, xxxi, 26: *Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare,* scilicet minorem Prælatum. Stellæ autem simplices Clerici. Supra, in Psal. viii, 4: *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu fundasti.* Sed Episcopus circuit et discurrit. I ad Corinth. xv, 41: *Stella a stella differt in claritate.* Sed, Apocal. vi, 12 et 13, dicitur: *Luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ de cœlo ceciderunt super terram.*

10 « *Qui percussit Ægyptum.*[1] » Hic ostendit excellentiam bonitatis et misericordiæ, per opera per ministrum patrata, et maxime circa populum Domini. Et primo, tangit multa et magna beneficia, et opera. Secundo, concludit excellentiam laudandi, et causam generalem laudis, ibi, ℣. 26: « *Confitemini Domino.* »

In prima tangit primo magnifica opera quæ fecit in eductione populi sui de Ægypto. Secundo, in deductione per desertum, ibi, ℣. 16: « *Qui traduxit.* » Tertio, quæ in introductione in terram promissam, ibi, ℣. 21: « *Et dedit terram.* »

In prima quatuor. Primum, Ægyptiorum afflictio. Secundo, ab afflictis separatio, ibi, ℣. 11: « *Qui eduxit Israel.* » Tertio, separatorum deductio per divisum mare, ibi, ℣. 13: « *Qui divisit.* » Quarto, inimicorum submersio in diviso, ibi, ℣. 15: « *Et excussit Pharaonem.* »

Dicit ergo: Sic facienti præcedentia per seipsum, confitemini, et ei etiam « *qui percussit Ægyptum,* » diversis et variis plagis, a capite vii Exodi usque ad undecimum, « *cum primogenitis eorum,* » quos percussit [1]. Et hoc per Moysen, et Aaron ministros suos.

Breviter Ægyptus est peccatum. Interpretatur enim Ægyptus *tenebræ,* et dominatur populo Israelitico, electis scilicet a Deo, donec transierunt aquas baptismatis. Ad Ephes. ii, 3: *Omnes eramus natura filii iræ.* Sed Dominus peccatum percutit, ut in nobis non regnet, secundum illud Apostoli, ad Roman. vi, 12: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Primogenita autem peccati sunt motus primi, quos Dominus occidit in perfectis. Cantic. ii, 15: *Capite nobis vulpes parvulas.* Hieronymus: « Nihil « languoris, nihil pristinæ ruinæ relin« quas, ne mali seminis pullulent plan« taria. »

« *Qui eduxit Israel.* » Hic secundum beneficium: et dicuntur duo. Primo, eductio de Ægypto. Secundo, in quo fuit illa eductio, et per quid, ibi, ℣. 12: « *In manu.* » 11

Dicit ergo: Sic confitemini percutienti adversarios, et etiam illi, « *qui eduxit Israel de medio eorum.* » Mich. vi, 4: *Eduxi te de terra Ægypti.* Supra, in Psal. civ, 37: *Et eduxit eos cum argento et auro.* De medio peccatorum eduxit suos, primis motibus suffocatis. Sapient. iv, 14: *Properavit educere illum de medio iniquitatum.* Initium enim Ægyptio-

[1] Cf. Exod. vii totum.

rum sunt primi motus, ultimum autem æterna damnatio : sed medium et progressus est consensus, actus consuetudo. Sed ab hoc medio Dominus suos liberat, ut non assuescant, imo ut non agant, imo in corde non consentiant : et sic annihilantur, ut non vivant primi motus, et occidantur. Quapropter ut hoc medium fugiamus, clamat Zacharias, Zachar. II, 6 et 7 : *O, o, fugite de terra Aquilonis... O Sion ! fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.*

12 « *In manu potenti.* » Ecce secundum, in quo ostendit in quo fuit illa eductio, seu separatio, quia in duobus. In operatione forti quæ significatur *in manu potenti.* In potentia singulari, quæ significatur *in brachio excelso.* Fortis fuit operatio, cum eos, vellent nollent Ægyptii, licentiam habere fecit recedendi per novem plagas, sed potentia singularis, quando eos compelli fecit ad exeundum per decimam. Spiritualiter autem brachium et manus est Dei Filius. Manus, inquam, quam petebat David, in Psal. CXLIII, 7 : *Emitte manum tuam de alto.* Idem etiam Filius est brachium. Isa. LIII, 1 : *Et brachium Domini, cui revelatum est ?* In hac autem manu, et in hoc brachio excelso, hoc est, in cruce elevato, Dominus suos eduxit de Ægypto peccati. Exod. VI, 6 : *Eruam*, vos scilicet, *de servitute, ac redimam in brachio excelso.* Isa. XXX, 18 : *Exaltabitur* hæc manus, et hoc brachium *parcens vobis*, imo quod plus est, ad superna trahens. Joan. XII, 32 : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

13 « *Qui divisit.* » Hic tangitur tertium beneficium, scilicet deductio separatorum per mare Rubrum. Et primo, maris præparatio per divisionem. Secundo, deductio per præparatum, ibi, ỳ. 14 : « *Et eduxit.* »

Dicit ergo : Sic prædicta exhibenti beneficia confitemini : et etiam illi « *qui divisit mare Rubrum*, » non in uno loco tantum, sed « *in divisiones*, » duodecim, sicut vult Glossa, propter duodecim tribus, ut quælibet ingrederetur divisionem suam. Exod. XIV, 21 : *Divisa est aqua, et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris.*

« *Et eduxit Israel.* » Ecce secundum. 14
Quasi diceret : Sic divisit mare, « *et eduxit Israel per medium ejus*, » sicco pede. Sapient. X, 18 : *Transtulit illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam.* Isa. XLIII, 16 : *Dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam.* Sicut Deus mare tribulationis facit parvum, quod etiam significatum fuit, Daniel. III, 50, ubi *fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.* Principium maris et fornacis est culpa, ultimum est gehenna : sed medium est pœnitentia et tribulatio pro peccatis : sed Deus fornacem mitigat per Angelum quem mittit, id est, per spem salutis, quam infundit. Ad Roman. VIII, 24 : *Spe salvi facti sumus.* Et amaritudinem in dulcedinem convertit, immittendo lignum, memoriam scilicet crucis et propriæ passionis, sicut aquæ Mara dulces factæ sunt per ligni impositionem[1].

« *Et excussit Pharaonem.* » Hic quartum beneficium aperte tangitur, scilicet inimicorum suffocatio. 15

Ait enim : Sic mare divisit, et illos transduxit : et post hoc, « *excussit Pharaonem*, » per eamdem viam insequentem, « *et virtutem ejus*, » exercitum scilicet suum, « *in mari Rubro.* » Exod. XV, 4 : *Currus Pharaonis, et exercitum*

[1] Cf. Exod. XV, 23 et seq.

ejus projecit in mare. Pharao dissipator diabolum signat, qui nititur ad dissipationem legis, et pacti Dei. Isa. XXIV, 5 : *Dissipaverunt fœdus sempiternum.* Et alios dissipare facit, secundum illud Psal. CXVIII, 126 : *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt*, etc. Et post dissipat illos, secundum illud Psal. CXL, 7 : *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum*, id est, virtutes nostræ. Sed hunc Deus in aquis lacrymarum, et omnem virtutem ejus annihilat. Supra, in Psal. LXXIII, 13 : *Contribulasti capita draconum in aquis.*

16 « *Qui traduxit.* » Hic tanguntur opera et beneficia illis exhibita in deductione per desertum, quæ tanguntur duo. Primo, deductio illorum columna nubis præcedente. Secundo, inimicorum illis resistentium dejectio, ibi, ℣. 7 : « *Qui percussit.* »

Dicit ergo : Sic confitemini prædicta facienti, et etiam illi « *qui traduxit,* » scilicet transduxit, præcedente columna ignis in nocte, et nubis in die, « *populum suum,* » ab Ægyptiis ereptum, « *per desertum.* » Jerem. II, 6 : *Qui traduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis, et imaginem mortis.* Sapient. XI, 2 : *Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur, et in locis desertis fixerunt casas.* Sic postquam suos eripuit a peccato, et virtutem diaboli annihilavit, per desertum pœnitentiæ Deus suos transduxit. Sapient. X, 17 : *Deduxit illos in via mirabili : et fuit illis in velamento diei, et in luce stellarum per noctem.* Isa. XLIII, 19 : *Ponam in deserto viam, et in invio,* homini per naturam, *flumina,* scilicet jucunditatis et consolationis.

17 « *Qui percussit reges.* Hic secundum, inimicorum dejectio. Primo ergo ostendit dejectorum dignitatem, et fortitudinem in generali. Secundo, specificat illas secundum propriam nominationem, et locum, ibi, ℣. 19 : « *Sehon, regem Amorrhæorum.* »

Et in prima, primo tangit illorum dignitatem. Secundo, potestatem, ℣. 8 : « *Et occidit.* »

Dicit ergo : Sic confitemini illi qui talia et tanta fecit mirabilia : et etiam illi « *qui percussit reges magnos,* » dignitate. Et nota, quod Dominus dicitur in Scriptura, percutere arguendo, Isa. XI, 4 : *Percutiet terram virga oris sui.* Sed fortius percutit tribulando, Job, V, 18 : *Ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabit.* Sed periculosius excæcando, Jerem. V, 3 : *Attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam.* Vires debilitando : sic percussit diabolum, Habac. III, 13 : *Percussisti caput de domo impii.* Morti exponendo, Matth. XXVI, 31 : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis*[1]. Occidendo, sicut hic dictum est, unde et subditur :

Deus variis modis percutit.

« *Et occidit,* » ne forte credas, quod tantum afflixerit, vel excæcaverit, « *reges fortes,* » potentia et virtute. Magnus rex dignitate est diabolus, et complices sui, qui regnant super elatos, et superbos hujus mundi. Job, XLI, 25 : *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Magnus fortitudine, de quo, ibidem, ℣. 24 : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Sed hos percussit in sua passione noster Josue : *Cepit Josue omnem terram* montanam, et reges eorum percussit[2]. 18

« *Sehon, regem Amorrhæorum.* » Hic describit eos ex nominibus propriis, et locis, in quibus pugnabant. 19

[1] Cf. Zachar. XIII, 7.

[2] Cf. Josue, XI, 23 et XII per totum.

Dicit ergo : Sic percussit magnos reges, et fortes, « *Sehon* scilicet, *regem Amorrhæorum*, » ad litteram, qui magnæ reputabatur dignitatis.

20 « *Et Og, regem Basan,* » qui magnæ dicebatur fortitudinis, et virtutis. De percussione primi, Amos, II, 9 : *Ego exterminavi a facie eorum Amorrhæum.* De secundo, Numer. XXI, 33 : *Occurrit eis Og, rex Basan, cum omni populo suo pugnaturus in Edrat.* Et, ibidem, ỳ. 35 : *Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus.* Hæc in Psalmo præcedenti exposita [1].

Spiritualiter tamen rex amaritudinis, peccatum luxuriæ. Amorrhæi enim *amaricantes* interpretantur. Eccle. VII, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem.* Proverb. v, 4 : *Novissima illius amara quasi absinthium.* Et diversitates hujus peccati, diversæ amaritudines, quamvis dulcedines videantur. Osee, XII, 14 : *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis.* Og, qui interpretatur *coacervans*, significat peccatum avaritiæ quod coacervare non cessat, et impleri non potest. Eccle. v, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Habac. II, 6 : *Væ ei, qui multiplicat non sua ! usquequo et aggravat contra se densum lutum?* Eccle. II, 8 : *Coacervavi mihi argentum et aurum.* Sed hos Dominus in suis occidit. Primo, exemplo suæ mundissimæ castitatis. Secundo, exemplo verissimæ paupertatis.

21 « *Et dedit terram eorum.* » Hic tertium. Præmissis enim operibus magnificis, et beneficiis quæ fecit in eductione populi de Ægypto, secundo, in deductione per desertum, tertio, scilicet hic, quæ fecit in introductione in terram inimicorum. Et sunt quinque. Primum est terræ collatio. Secundum, liberatio a multis miseriis et tribulationibus, ibi, ỳ. 23 : « *Quia in humilitate.* » Tertium, liberatio a tributis et exactionibus, ibi, ỳ. 24 : « *Et redemit nos.* » Quartum, abundans cibarorum exhibitio, ibi, ỳ. 25 : « *Qui dat escam.* » Quintum, post hæc omnia, etiam cœli sui expositio, ibi, ỳ. 26 : « *Confitemini Deo cœli.* »

In prima duo. Primo, terræ collatio ad habitandum. Secundo, cui hæreditandam, ibi, ỳ. 22 : « *Hæreditatem Israel.* »

Dicit ergo : Sic reges magnos dignitate et potentia fortes occidit, « *et dedit terram eorum,* » non ad tempus, quantum in se fuit, sed « *in hæreditatem,* » ut veri sint possessores.

« *Hæreditatem.* » Hic specificat quibus. 22

Quasi diceret : Sic dedit hæreditatem, « *hæreditatem*, » non cuilibet, sed « *Israel, servo suo,* » id est, populo de Israel servo suo nato, scilicet Ruben, et Gad, et dimidiæ tribui Manasse. Numer. XXXIV, 25 : *Duæ semis tribus acceperunt partem suam trans Jordanem.* Deuter. III, 12 et 13 : *Civitates illius dedi Ruben, et Gad : reliquam autem partem Galaad, et omnem Basan, regni, Og, tradidi mediæ tribui Manasse.* Spiritualiter autem, et breviter, non alii quam servo Dei, datur illa vera et superna hæreditas. Ad Ephes. v, 5 : *Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habebit hæreditatem in regno Christi, et Dei.* Sed auferetur a tali, et dabitur servo Dei. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.*

« *Quia in humilitate.* » Hic secundum beneficium. 23

[1] Cf. supra, commentarium in ỳ. 11 Psal. CXXXIV.

Quasi diceret : Præcedentia facienti confitemini confessione laudis, peccati, et etiam « *quia memor fuit nostri,* » nos a multis miseriis et tribulationibus liberando, « *in humilitate nostra,* » in dejectione et labore nostro : cum dejectis enim et afflictis Deus est, nec cito eorum potest oblivisci, cum quibus est. Supra, in Psal. xc, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione*. Isa. XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero*. In humilitate etiam, quæ virtus est, memor est suorum, ut ipsos exaltet. Eccli. xx, 11 : *Est qui ab humilitate levabit caput*. II Paral. XXXII, 26 : *Humiliatus est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse quam habitatores Jerusalem : et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ*. Propter hoc dicit I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet*. Et Gregorius : « Parvus « esto in oculis tuis, ut sis magnus in « oculis Dei. »

24 « *Et redemit nos.* » Hic tertium, scilicet liberatio a tributis et exactionibus.

Quasi diceret : Propter præcedentia confitemini, « *et* » etiam quia « *redemit nos,* » libertatem dando, « *ab inimicis nostris,* » tributa et exactiones injustas petentibus : unde illa vox gratulabunda Isaiæ, XIV, 4 : *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum ?* Hoc tamen magis proprie, sicut dicit Glossa, respicit ad populum Christianum, qui redemptus est : tamen ad omnem, quantum in Deo fuit. Pro omnibus enim fuit sufficiens redemptio. Exod. xv, 13 : *Dux fuisti in misericordia tua populo tuo quem redemisti*. Isa. LII, 3 : *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini*. Osee, XIII, 14 : *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos,* sanguine scilicet proprio. I Petr. I, 18 et 19 : *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine*, etc. Hæc redemptio omnibus est sufficientissima, secundum illud Psal. CXXIX, 7, supra : *Copiosa apud eum redemptio*.

« *Qui dat escam.* » Hic est quartum beneficium, abundans exhibitio ciborum. 25

Ait enim : Sic confitemini redimenti, et etiam « *qui dat escam,* » ciborum abundantiam, « *omni carni,* » introducendo nos in terram lacte et melle manantem [1]. Psal. CIII, 27 : *Omnia a te exspectant ut des illis escam in tempore*, etiam corvi. Melius autem intelligitur de esca verbi Dei, quæ præparatur, et datur omni homini, ut ex illa vivat. Deuter. VIII, 3 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei* [2]. Psal. CXXXV, 25 : *Qui dat escam omni carni*[3]. Vel, de esca corporis proprie, sicut vult Glossa. Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habnetem, et omnis saporis suavitatem*.

« *Confitemini Deo.* » Ecce quintum beneficium, scilicet cœli sui expositio. 26

Quasi diceret : Confitemini præcedentia beneficia exhibenti, etiam « *confitemini Deo cœli,* » promissori, quod est locus ejus quasi proprius. Supra, in Psal. CXIII, 16 : *Cœlum cœli Domino : terram*, etc. Deuter. x, 14 : *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli*. Isa. LXVI, 1 : *Cœlum mea sedes*, supple, est. Certe qui corpus suum in cibum dat,

[1] Cf. Exod. III, 8.
[2] Cf. Matth. IV, 4 ; Luc. IV, 4.
[3] Cf. Job, XXXVI, 31 : *Dat escas multis mortalibus*.

cœlum suum nobis non negat. Multo enim est charius sibi corpus proprium, quam ipsum cœlum.

« *Confitemini Domino.* » Hic secundum, in quo concludit post tot beneficiorum enumerationem, concludit, inquam, in descriptionem universalem laudandi, quam tangit cum dicit, « *Confitemini Domino* : » et causam laudis, quam addit, cum subdit : « *Quoniam in æternum.* » Et exponenda sunt hæc sicut supra. Hoc tamen adde, quoniam a laude inchoat Psalmus iste, et in laude terminatur, ad monstrandum, quod iste laudatur, qui est principium, et finis. Apocal. I, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.* Ad demonstrandum etiam, quod et principium boni operis, et finis similiter ei offerri debet. Exod. XXIX, 38, præcipiebatur ut sacrificium et mane, et vespere offerretur. Et, Levit. I, 8 et seq., caput cum cauda offerri præcipiebatur.

PSALMUS CXXXVI.

Flebilis captivi populi querimonia, dum recordaretur Sion.

Psalmus David, Jeremiæ.

1. Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion,
2. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra :
3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum :
   Et qui adduxerunt nos : Hymnum cantate nobis de canticis Sion.
4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?
5. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea.
6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui :
   Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.
7. Memor esto, Domine, filiorum Edom, in die Jerusalem,
   Qui dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.
8. Filia Babylonis misera! beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.
9. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram.

IN PSALMUM CXXXVI

COMMENTARIUS.

« *Psalmus David, propter Jeremiam* [1]. »

« *Super flumina Babylonis* [2]. » Hic est Psalmus centesimus trigesimus sextus in toto libro, in tertia vero parte trigesimus sextus.

Argumentum Psalmi Gemitus viatorum cœlum suspirantium.

Cum enim ad laudandum Deum, in duobus præcedentibus Psalmis invitaverit, quia in præsenti miseria difficile est laudare, maxime propter insultantes, et blasphemantes, hic subjungitur responsio præmissæ admonitioni, scilicet quod in hac Babylonia, in qua capitivi tenemur, organa divinæ laudis aliquo modo suspenduntur, maxime apud blasphemantes, etsi supernæ illius Jerusalem jugis memoria habeatur : sed magis lamentationis tempus est, et status, sicut captivatis quondam Judæis in Babylonia litterali. Unde recte huic Psalmo præponitur titulus : « *Psalmus David, propter Jeremiam.* » Et est sensus tituli : « *Psalmus* » subjectus, qui est David ut actoris exterioris, est editus « *propter Jeremiam,* » id est, juxta Jeremiam : quia sicut litteralem captivitatem Judæorum lamentatus est Jeremias quadruplici Alphabeto, sicut patet in libro *Threnorum*, ita et hic quodammodo lamentandum dicit, non cantandum, propter spiritualem captivitatem veri populi Dei in Babylonia spirituali.

Dividitur autem Psalmus in duas partes principaliter. In prima, exprimitur afflictio et miseria sanctorum in hac vita captivatorum. In secunda, imprecatur persequentibus, et confusioni mundi per amorem adhærentibus, ibi, ℣. 7 : « *Memor esto.* »

In prima autem parte dicuntur duo. Primo, exprimit sanctorum miseriam, et tristitiam in præsenti vita confusione

[1] Vulg. habet, *Psalmus David, Jeremiæ.*

[2] Le *Super flumina* est un des morceaux les plus dramatiques et les plus saisissants du psautier, dit M. l'abbé Lesêtre : l'Israélite y chante sa patrie absente et appelle la vengeance divine sur ses oppresseurs. Les versions mettent en tête du psaume les noms de David et de Jérémie : Théodoret réprouve avec raison cette indication. Nous entendons dans ce chant un témoin et une victime de la captivité, un israélite vivant à Babylone, au milieu de ses frères, un poëte, dont on ne peut comparer les accents qu'aux élégies de David et de Jérémie. A-t-il écrit pendant la captivité elle-même ? Patrizi et plusieurs autres le pensent ; les verbes qui sont au parfait peuvent très bien se rapporter à un état de choses qui est commencé depuis un certain temps, mais qui n'est pas encore terminé. Dans cette hypothèse, notre psaume pourrait être une hymne destinée à maintenir Israël dans la fidélité à Jéhova, en lui rappelant qu'il ne doit avoir aucun commerce avec ses ennemis. Il semble toutefois difficile d'admettre que les malédictions contenues dans les deux derniers versets aient pu retentir dans la Chaldée avant la conquête de Cyrus : des captifs ne peuvent tenir un pareil langage à ceux qui les ont sous leur dépendance absolue. Nous croyons donc avec Théodoret, Thalhofer et la plupart des commentateurs, que le psalmiste n'écrivit ou ne publia son chant qu'après son retour de l'exil, mais en tous cas avant la ruine de Babylone par Darius Hystaspes en 516, vingt ans après la fin de la captivité.

Le sens moral et spirituel est bien indiqué dans une prière empruntée par Thalhofer au missel mozarabique : « Peregrinantis Ecclesiæ « tuæ, Domine, memor esto, ut dum super « flumina Babylonis deflentes sedemus, præ- « tereuntis sæculi impetu non trahamur, sed « a præsentis vitæ contagio liberati ad Jerusa- « lem supernam tendamus. » Ce chant convient donc bien aux enfants de l'Eglise militante. Il a inspiré une des plus belles hymnes du bréviaire de Paris :

Hymnis dum resonat curia cœlitum,
Hic flemus patriis finibus exsules :
Hic suspensa tenemus
Mutis cantibus organa.

Ad Mat. Omn. Sanct. diœces. Paris.

plena. Secundo, nihilominus jugem supernæ civitatis memoriam, ibi, ỳ. 5 : « *Si oblitus fuero.* »

In prima duo. Primo, exprimit fletum, et miseriam. Secundo, causam, insultationem scilicet a malis, ibi, ỳ. 3 : « *Quia illic interrogaverunt.* »

In prima duo. Primo, exprimitur miseria et afflictio. Secundo, cessatio a consolatione, et gaudio, ibi, ỳ. 2 : « *In salicibus.* »

In prima tanguntur quatuor. Primo, tangitur locus miseriæ et afflictionis. Secundo, status afflictorum, ibi, « *Illic sedimus.* » Tertio, modus afflictionis, ibi, « *Et flevimus.* » Quarto, tempus in quo maxime affligebantur, ibi, « *Cum recordaremur.* » Vel etiam causa.

1 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic mones ut laudemus, et confiteamur, sed, heu ! « *super flumina Babylonis,* » existentes. Sic ad litteram in materiali Babylonia erant flumina, et sic super illa erant Judæi captivati.

« *Illic sedimus.* » Ecce status, illorum humiliatio scilicet : in sessione enim humiliatio designatur. « *Et flevimus,* » ecce modus afflictionis et miseriæ, scilicet usque ad fletum, « *cum recordaremur Sion,* » ad litteram : ecce tempus, quando recordabantur civitatis, a qua dejecti erant.

Babylon multipliciter sumitur.

Et nota, quod hic primo Babylon appellatur aliquando Gentilitas, Supra, in Psal. LXXXVI, 4 : *Memor ero Rahab, et Babylonis*, etc. Omnium malorum collectio, Apocal. XVIII, 2 : *Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum.* Confusio de peccatis, Mich. IV, 10 : *Venies usque in Babylonem, ibique liberaberis.* Et mundus iste, in quo boni misti sunt cum malis, sicut accipitur hic, et Isa. XXI, 4 : *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.* Hujus Babylonis sunt flumina, omnia temporalia, quæ Sancti transeunt sicut flumen. Sophon. III, 10 : *Ultra flumina Æthiopiæ*, id est, mundi, *inde supplices mei*, supple, sunt. Et alia tria deteriora his, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ fluunt a fomitis fonte [1]. Hæc sunt de quibus, Habacuc, III, 8 : *Numquid in fluminibus iratus es, Domine?* Certe ita. Propter hoc monet Isaias, XLVII, 2 : *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.* Alii autem sunt sub fluminibus illis, et vident, et gaudent vehementer. Exod. XV, 10 : *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Quidam supra, qui perfecti sunt. Daniel. XII, 6 : *Dixi viro qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis.* Quidam juxta adhuc, qui incipiunt, et proficiunt. Ezechiel. III, 15 : *Sedi ubi illi sedebant*, scilicet juxta fluvium Chobar. Sed omnibus est flendum, dum recordantur supernæ civitatis Jerusalem. Eccle. III, 4 : *Tempus flendi, et tempus ridendi*, supple, est.

« *In salicibus.* » Præmissa miseria et lamentatione, subjungitur de cessatione gaudii et lætitiæ, et loquitur metaphorice. 2

Ait enim : Sic flevimus super flumina sedentes, et « *suspendimus organa nostra,* » ut jam non gauderemus, nec cantaremus, « *in medio ejus,* » Babylonis scilicet : et hoc, « *in salicibus.* » Et notatur in hoc doloris exaggeratio, quando illud quo consolari solebant se in doloribus, suspenditur. Job, XXX, 31, simile : *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium.* Isa. XXIV, 8 : *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium.*

Et nota, quod salices dicuntur mali et reprobi, propter amaritudinem, Jerem. II, 19 : *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Reprobi cum salicibus collati.

[1] Cf. I Joan. II, 16.

Propter infructiositatem, ad Roman. VI, 21 : *Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* Propter humoris mali abundantiam, Job, XL, 16 : *Sub umbra dormit, in secreto calami et in locis humentibus.* Et rursum, ỿ. 17 : *Circumdabunt eum*, Behemoth scilicet, *salices torrentis.* Propter viriditatem quam habent in foliis, hoc est, in verbis, quamvis sint sine fructu. Genes. XXVII, 22 : *Vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Hæ salices in medio Babylonis sunt, quando maximo amore mundum diligunt, et spiritualia contemnunt. In his suspendenda sunt organa, quia in talibus suspendenda est prædicatio de spirituali lætitia. Matth. VII, 6 : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

3 « *Quia illic.* » Hic secundum. Postquam enim expressit miseriam, et miseriæ exaggerationem in Babylonia, hic subjungit causam, et fletus, et suspensionis organorum, scilicet ironicam carnalium et salicum interrogationem : et tamen ne Sancti videantur omnino confusi, prudentem eorum responsionem. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primo, stultorum irrisoria petitio a sanctis. Secundo, prudens ipsorum responsio, ibi, ỿ. 4 : « *Quomodo cantabimus?* »

In prima duo. Primo, ironica postulatio canticorum ab afflictis. Secundo, specificatio illorum canticorum ad irrisionem majorem, ibi, « *Et qui abduxerunt nos.* »

In prima tangitur conditio postulantium, primo. Secundo, quid petant, ibi, « *Verba.* »

Dicit ergo : Sic flevimus, sic organa suspendimus : nec mirum, « *quia illic,* » in Babylone scilicet, « *interrogaverunt nos,* » id est, petierunt a nobis, « *qui captivos duxerunt nos,* » nobis irridentes. Et quid? « *Verba cantionum.* » Quasi a captivatis esset lætandum et cantandum, non magis plorandum. Sic dæmones captivatos volunt non curare de sua captivitate, et servitute, de quo, Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Hoc significatum fuit, Genes. XXXIV, 3, ubi dicitur, quod Sichem, filius Hemor, corruptam Dinam blanditiis delinivit. Dominus autem non vocat ad canticum, sed sicut dicit, Isa. XXII, 12 : *Et vocabit Dominus Deus excercituum in die illa ad fletum, et ad planctum, ad calvitium, et ad cingulum sacci.* Jerem. XXV, 10 : *Perdam ex eis vocem gaudii.* Jacob. IV, 9 : *Miseri estote, et lugete.*

« *Et qui abduxerunt.* » Hic specificat, quod canticum, vel quam petebant cantationem.

Ait enim : « *Et qui abduxerunt nos* » de terra nostra, petebant, dicentes : « *Hymnum cantate nobis,* « non quemcumque, sed « *de canticis Sion :* » ad litteram sic potuit esse in Jerusalem. Dæmones autem a terra nostra, ab Ecclesia, abducunt nos per culpam. Baruch, IV, 26 : *Ducti sunt ut grex direptus ab inimicis.* I Machab. II, 9 : *Vasa gloriæ*, id est, ipsi Prælati, *captiva ejus abducta sunt.* Post hoc irridentur a dæmonibus. Job, XXX, 9 : *Nunc in canticum eorum versus sum tota die, omnes subsannant me.* Et facit eos cantare cantica spiritualia, ut credant se bonos, et sanctos. Amos, VI, 5 : *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici.* Et tunc magis irridet eos. Thren. I, 7 : *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.*

« *Quomodo cantabimus.* » Hic secundum hujus partis, scilicet prudens responsio interrogatorum interrogationi irrisoriæ. 4

Quasi diceret : Sic dicunt ut cantemus in Babylonia canticum Sion, quibus dicimus : « *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena,* » supple, existentes? Quasi diceret : Non possumus,

debemus, quia, Eccli. xxii, 6 : dicitur : *Musica in luctu, importuna narratio.* Et modo nobis lugendum, Ezechiel. xxvi, 13 : *Quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum* : et faciam te gemere, et rugire. Isa. lix, 11 : *Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus.* Quia positi extra terram propriam, et in aliena. Baruch, iii, 10 : *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es? Inveterasti in terra aliena.* Tibi etiam, qui irrisor es, quomodo cantabo? quia, Proverb. xxv, 20 : *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.*

5 « *Si oblitus fuero.* » Hic secunda pars totius primæ partis hujus Psalmi. Postquam enim præmisit de sanctorum miseria, et afflictione in Babylonia, subjungitur de supernæ Sion recordatione, et lætitia in illa, quæ est sanctorum consolatio, dum sunt in via. Duo autem dicuntur. Primo, imprecatur sibi, si careat ipsius Jerusalem recordatione. Secundo, si careat lætitia et exsultatione in illa, ibi, in medio ℣. 6 : *Si non proposuero.* »

In prima duo. Primo, imprecatur sibi æternæ vitæ amissionem, si non habuerit memoriam ipsius Jerusalem. Secundo, loquelæ amissionem, ibi, ℣. 6 : « *Adhæreat lingua.* »

Dicit ergo : Sic non possumus in aliena terra cantare, tamen, o tu « *Jerusalem,* » vel materialis quantum ad materialiter captivatos, vel spiritualis quantum ad detentos in spirituali Babylonia, quasi in captivitate, « *si oblitus fuero, tui, oblivioni detur dextera mea,* » id est, vita æterna, ut non sim particeps illius, nec in illa sim sicut agnus, vel ovis. Matth. xxv, 33 : *Oves quidem ponet a dextris, hœdos autem a sinistris.* Ut non sim amplexatus ab illa, sicut illa anima, quæ dicebat, Cantic. ii, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Summe enim cavendum est homini, ut in miseria bonorum recordetur. Eccli. xi, 27 : *In die bonorum, ne immemor sis malorum,* etc. Ambrosius : « Oportet multoties reminisci, « quod mundus cogit oblivisci. » Aliter cito incurrit homo illam maledictionem, Job, xxiv, 20 : *Obliviscatur ejus misericordia.* Jerem. li, 50 : *Nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.*

« *Adhæreat lingua.* » Hic secundum, 6
in quo imprecatur sibi loquelæ amissionem, propter amissionem memoriæ.

Quasi diceret : Non tantum dextera obliviscatur me in futuro, imo et misericordia in præsenti. « *Adhæreat lingua mea faucibus meis* : » ut omnino mutus fiam, « *si non meminero tui.* » Primo, mutus efficitur homo propter peccatum proprium. Mich. vii, 16 : *Ponent manum super os.* Glossa : « Mutus sit, quia « memor Dei non est. » Gregorius : « Necesse est ut sileat lingua, ubi ægra est « conscientia. » Et propter alienum, ut dictum est, Ezechiel. iii, 26 : *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris tacens, et non poteris loqui : quia domus exasperans est.* Propter hoc non erat mutus Isaias, qui dicebat, Isa. xxvi, 8 : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ,* constat, quod suæ. Et Jeremias dicebat, Thren. iii, 20 : *Memoria memor ero.* Et, Osee, xiii, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.*

« *Si non proposuero.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo imprecatur sibi, si careat spirituali lætitia illa, et principaliori.

Ait enim : Sic amittam vitam æternam, et loquelam, si non habuero Jerusalem recordationem, et etiam « *si non habuero,* » lætitiam tui, o « *Jerusalem,* » et hoc « *in principio lætitiæ meæ,* » hoc est, si non primo et principaliter in te gavisus fuero, accidant mihi prædicta. Illa ergo superna Jerusalem prima omnium est quærenda. Matth. vi, 33 : *Quærite primum regnum Dei.*

Et in nostris lætitiis præponenda, sicut hic dicitur. Tob. XIII, 18 : *Beati omnes qui diligunt te, et qui gaudent super pace tua.* Isa. LXVI, 10 : *Lætamini cum Jerusalem, et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam.* Hanc lætitiam spiritualem non curant sacerdotes mali, sed magis in his quæ ad Babyloniam pertinent, exsultant. II Machab. IV, 14 : *Sacerdotes... contempto templo et sacrificiis neglectis, festinabant participes fieri palæstræ.* Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

7 Secunda pars Psalmi.

« *Memor esto, Domine.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in qua postquam ostendit sanctorum miseriam in hac vita, cum consolatione tamen aliqua, invehitur contra malos. Primo, illis imprecando ut puniantur hic pro malis propriis. Secundo, insultando illis, ibi, ℣. 8 : « *Filia Babylonis.* »

In prima duo. Primo, supplicatio ut puniantur pro malitia in bonos exercitata. Secundo, specificatio illius malitiæ, ibi, « *Qui dicunt : Exinanite.* »

Dixit ergo : Existentes in Babylonia cantare non possumus, etsi aliquam consolationem habeamus : nunc autem rogamus, « *Domine, memor esto,* » ad pœnam, « *filiorum Edom,* » et hoc, « *in die Jerusalem,* » ab eis destructæ adjuvantibus Babyloniis. Sic ad litteram fuit, quia Idumæi adjuverunt Babylonios. Vel, « *in die Jerusalem,* » id est, quando restitues Jerusalem. Et sic factum est ad litteram : multum enim afflicti sunt propter peccatum, quod in fratres commiserant. Descenderunt enim ab Esau, qui alio nomine dictus est *Edom* [1]. Thren. IV, 21 : *Gaude et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus ! ad te quoque perveniet calix, inebriaberis, atque nudaberis.* Et, Jerem. XLIX, 10 : *Ego discooperui Esau, revelavi abscondita ejus.* Abdiæ, ℣. 10 : *Propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, et peribis in æternum.* Sic Sancti clamant conformantes se divinæ justitiæ, pro afflictione impiorum. Apocal. VI, 10 : *Usquequo, Domine Deus, non vindicas sanguinem nostrum ?* etc. Vindicabit, et memoriam de malis habebit, ad eorum vindictam. Apocal. XVI, 19 : *Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.*

« *Qui dicunt : Exinanite.* » Hic secundum, in quo specificat illorum malitiam, quæ fuit mutua exhortatio ad vehementem Jerusalem destructionem. Duo ergo dicuntur. Primo, mutua exhortatio ad destructionem Jerusalem. Secundo, ad destructionis vehementiam, ibi, « *Exinanite.* »

Ait enim : « *Exinanite* » Jerusalem, id est, vacuam, et annihilatam reddite in habitatoribus : « *exinanite* eam *usque ad fundamentum in ea* » existens, ut nec inveniatur fundamentum. Abdiæ, ℣. 11 : *Quando capiebant alieni exercitum ejus, et extranei ingrediebantur portas ejus, et super Jerusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi unus ex eis.* Sic mali se mutuo exhortantur ad destructionem Ecclesiæ, usque ad fundamentum, scilicet usque ad fidem. Sicut enim supra fundamentum fabrica, sic supra fidem opera. Apocal. XXI, 19 : *Fundamentum ejus jaspis,* qui est viridis coloris. Sed non sufficit nostris persecutoribus opera destruere in nobis, nisi et fundamentum destruatur, hoc est, nisi corrumpatur. Jerem. II, 16 : *Filii Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.* Eccli. XIII, 8 : *Confundet te in bis* [2], in persuasionibus suis, ut destruat opera bona, *donec te exinaniat bis et ter,* corrumpendo fidei fundamenta.

[1] Cf. Genes. XXV, 30 et XXXVI, 1 et seq.

[2] Vulgata habet, Eccli. XIII, 8 : *Confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter.*

8 « *Filia Babylonis.* » Hic secundum. Præmissa enim imprecatione contra inimicos, hic subjungitur de eorumdem irrisione : et tanguntur tria. Primo, prædicit cito futuram miseriam Babylonicam. Secundo, beatum ipsam affligentem, ibi, « *Beatus qui retribuet.* » Tertio, causam tantæ miseriæ, et beatitudinis impugnantium eam, ibi, ỳ. 9 : « *Beatus qui tenebit.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, quod Dominus filiorum Edom, et per hoc omnium adversariorum nostrorum recordetur, et dico, o « *filia Babylonis,* » id est, Babylon : *filia* enim frequenter superfluit, « *misera,* » supple, es, et illa materialis, et spiritualis propter peccatum, quod vere miseriam inducit. Proverb. xiv, 34 : *Miseros facit populos peccatum.* Omnes autem peccatores dicuntur optime *filia*, quia generantur ex patre diabolo et carnali concupiscentia. Ezechiel. xvi, 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.* Joan. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.*

« *Beatus qui retribuet.* » Hic secundum. Quasi diceret : Si tu es misera, sed « *qui,* » id est, quicumque « *retribuet retributionem tuam quam retribuisti nobis, beatus,* » supple, erit. Vel est : quia ipse est ipse Deus et Dominus noster, qui et illis litteralibus inimicis retribuit, et spiritualibus retribuet. De litterali quidem dictum est, Jerem. li, 20 : *Collidis tu mihi vasa belli,* meos acriter impugnando, *et ego collidam in te Gentes.* De spirituali autem dicitur, Isa. xxvii, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Matth. vii, 27 : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*[1]. Apocal. xvii, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* I Machab. ii, 68 : *Retribuit retributionem Gentibus.*

« *Beatus qui tenebit.* » Hic tertium, in quo assignat tantæ miseriæ causam, et beatitudinis impugnantium illam. 9

Ait enim : Sic dixi, quod misera es, o Babylon, et « *beatus qui tibi retribuet :* » et verum dixi, quia « *qui tenebit parvulos tuos,* » captos ut non fugiant, « *et allidet* » illos « *ad petram,* » ut illos interficiat, supple, beatus erit. Si est ibi, « suos, » non mutatur sensus, sed quasi conversus ad alios loquitur Propheta, vel ad ipsam Babylonem sic : Beatus erit in te, qui tenebit parvulos suos, et allidet illos, ne alii interficiant illos. Osee, xix, 1 : *In gladio pereant, parvuli eorum elidantur,* etc. Beatus etiam qui parvulos Babylonis, id est, mundi, tenet, ne ruant in peccatis, et allidit eos ad petram Christum, eos ad illum convertens, et illi conjungens, quia, Jacob. v, 20, dicitur : *Scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.* Beatus etiam in mundo est, qui parvulos, motus scilicet primos, non sequitur, nec crescere permittit : sed allidit illos ad petram Christum. I ad Corinth. x, 4 : *Petra autem erat Christus.* Eccli. xviii, 30 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere :* sed magis elide illas ad petram, cogitando de ejus passione. I Petr. iv, 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.*

Parvulus multiplicite dicitur.

Et nota, quod est parvulus malitia, I ad Corinth. xiv, 20 : *Malitia parvuli estote.* Et est parvulus sapientia, Ad Hebr. v, 13 : *Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est.* Et fragilitate, Thren. i, 5 : *Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.* Et imperfectione, Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Despectione, Abdiæ, ỳ. 2 : *Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde.* Humilitate, Matth. xviii, 3:

[1] Cf. Marc. iv, 24.

Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Temporalium dilectione, Job. v, 2 : *Virum stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.* Et ultimo, naturali origine, sicut accipitur hic. Sic etiam primi motus *parvuli* appellantur, qui ad Christum allidendi sunt, ut oculo mentis purgato Deus videatur, ipso præsente, qui est benedictus, etc.

PSALMUS CXXXVII.

Laudat Deum ob beneficia, et omnes reges ad laudandum Deum provocat.

1. Ipsi David.
Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.
In conspectu angelorum psallam tibi,
2. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo,
Super misericordia tua et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.
3. In quacumque die invocavero te, exaudi me : multiplicabis in anima mea virtutem.
4. Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui :
5. Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini :
6. Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit, et alta a longe cognoscit.
7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me : et super iram inimicorum meorum extendistit manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.
8. Dominus retribuet pro me. Domine, misericordia tua in sæculum : opera manuum tuarum ne despicias.

IN PSALMUM CXXXVII

COMMENTARIUS.

« *Psalmus ipsi David* [1]. »

« *Confitebor tibi Domine.* » Hic est Psalmus centesimus trigesimus septimus in toto libro, trigesimus septimus in tertia parte libri.

Postquam enim invitaverat ad Dei laudem, et subjunxerat aliquorum excusationem, qui magis lugendum sibi credunt in Babylonia, quam cantandum, quia tamen hoc non est generale, perfecti enim viri a servitute quodammodo liberi sunt, et tales possunt cantare, et confessione laudis confiteri, in hoc Psalmo Propheta tamquam unus de talibus

[1] Le titre attribue le psaume à David ; rien dans le titre n'infirme cette indication. Les Septante ajoutent bien : Ἀγγαίου καὶ Ζαχαρίου, mais cette mention des deux prophètes ne peut signifier qu'une chose, c'est qu'ils ont appliqué le psaume à quelque circonstance postérieure, par exemple, au retour de la captivité. David rend grâces au Seigneur d'un bienfait

Propheta Deum laudat, et perfectos sibi similes ad eum laudandum invitat.

confitetur, et laudat, et sibi similes ad laudem invitat : unde titulo præposito, qui talis est, « *Psalmus ipsi David*, » hic sensus potest competere : « *Psalmus* » subjectus competit « *ipsi David*, » id est, illi qui est verus David, vir scilicet perfectus, manu fortis, et adspectu desiderabilis. Et etiam *ipsi David*, id est, Christo, a quo est talis perfectio, est cantandum.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, confitetur ipsemet et laudat. Secundo, optat ut alii perfecti confiteantur, et laudent, ibi, ℣. 4 : « *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ.* »

In prima duo. Primo, promittit se laudaturum. Secundo, petit fructum qui debet sequi ex divina laude sic soluta, ibi, ℣. 3 : « *In quacumque die.* »

In prima duo. Primo, promittit confessionem laudis. Secundo, determinat modum, et qualitatem confessionis, ibi, « *In toto corde.* »

I

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Si vos alii excusatis vos, quod cantare canticum Sion, laudem scilicet Dei in Babylonia non potestis, sed, o « *Domine*, » quidquid agant alii, « *confitebor tibi.* » Eccli. LI, 1 : *Confitebor tibi, Domine rex*, confessione laudis delectabilis, et me reficientis. Supra, in Psal. XLI, 5 : *In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis.*

« *In toto corde meo.* » Hic secundum, in quo determinat laudandi qualitatem, quia in corde integro. Secundo, quia puro, ibi, ℣. 2 : « *Adorabo ad templum.* »

In prima duo. Primo, promittit cordis integritatem. Secundo, addit rationem, ibi, « *Quoniam audisti.* »

Dicit ergo : Sic laudabo : sed quomodo ? Nonne labiis tantum, sicut illi, de quibus, Isa. XXIX, 13 : *Populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me* [1]. Et Jeremias de talibus, XII, 2 : *Prope es tu*, Domine, *ori eorum, et longe a renibus eorum ?* Non. Imo, « *in toto corde meo.* » Judith, IV, 17 : *Ex toto corde suo omnes orabant Dominum.* Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te*, etiam in toto corde, non diviso : quia, Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Non duplici, sicut illi, de quibus, in Psal. XI, 3 : *In corde et corde locuti sunt.* Eccli. II, 14 : *Væ duplici corde !* « *In toto corde*, » nihil de eo retinendo, sed totum effundendo. Thren. II, 19 : *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.*

Quare ?

« *Quoniam audisti*, » sicut expertus loquor, « *verba oris mei.* » Isa. XXX, 19 : *Ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi.* Isa. LXV, 24 : *Adhuc illis loquentibus, ego audiam.* Unde non dicitur hoc propter hoc quod Dominus exaudiat vocem oris, sine voce cordis, sed propter audiendi velocitatem, quia adhuc voce existente in ore, exaudit.

« *In conspectu Angelorum.* » Ecce secundum, quod in corde puro.

qu'il a reçu, soit d'une victoire, soit plutôt, à raison du ℣. 2, de la promesse d'un trône éternel qui lui fut faite par le Seigneur, II Reg., VII. On remarque même entre le passage du livre des Rois et le psaume une grande analogie d'idées et d'expressions. La composition du psaume par David n'est sérieusement contestée par personne.

Au sens spirituel, « l'Eglise rend grâces à » son divin Epoux de la promesse qu'il lui a « faite de se donner à elle, ici-bas dans l'Eu- « charistie, et sans voiles dans le Ciel. » Le Hir. Ce psaume est employé dans l'office des SS. Anges, à cause du ℣. 1, et dans celui des Morts, à cause du ℣. 8.

H. Lesêtre.

[1] Cf. Matth. XV, 8, et Marc. VII, 6.

Ait enim : Sic confitebor in toto corde, et etiam « *psallam,* » laudando, et verbo, et facto, et hoc, « *in conspectu Angelorum,* » mihi Angelos proponendo, ut ad imitationem illorum, nihil terrenum quæram, sed te tantum sicut ipsi. I ad Corinth. XIV, 15 : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Et hoc, « *in conspectu Angelorum.* » Apocal. VII, 11 : *Ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum.* Et multum delectantur in tali oratione Angeli, quæ fit corde integro, et puro. Supra, in Psal. LXVII, 26 : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus.* Cantic. VIII, 13 : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant : fac me audire vocem tuam.*

2 « *Adorabo ad templum.* » Hic tertium, in quo promittit se laudaturum corde devoto, quia intimo, et timido. Intimo, ut se ab omnibus retrahat : timido, ut retractum cor comprimat.

Ait ergo : Sic psallam corde puro, et « *Adorabo,* » ascendens « *ad templum sanctum tuum,* » ad cor meum proprium, prius sanctificatum : ibi enim vis adorari. Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* Spiritus autem templum Dei est. I ad Corinth. III, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Ibi qui orat, exauditur. III Reg. VIII, 42 : *Cum venerit et oraverit in hoc loco, tu exaudies,* etc. Joel, II, 32 : *Omnis qui invocaverit,* intus vocaverit, *nomen Domini, salvus erit.*

« *Et confitebor,* » ingressus templum, « *nomini tuo,* » nominabili potentiæ tuæ. Isa. XXV, 1 : *Confitebor nomini tuo.* Act. IV, 12 : *Nec aliud est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

« *Super misericordia tua.* » Hic præmissæ laudis materiam. Hæc autem sunt tria. Peccatorum vocatio ad pœnitentiam. Secundo, promissorum solutio, ibi, « *Et veritate.* » Tertio, ejus per quem utrumque factum est, exaltatio, ibi, « *Quoniam magnificasti.* »

Dicit ergo : Sic confitebor : et hoc, « *super misericordia tua,* » id est, de misericordia tua laudans te, qua vocas peccatores ad pœnitentiam. Amos, IX, 6 : *Qui vocat aquas maris,* fluxibiles, et amaros peccatores, *et effundit eas super faciem terræ,* ad litteram resolvens illos in lacrymas.

« *Et veritate tua,* » qua remuneras, et reddis promissa. Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Supra, in Psal. XXIV, 10 : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Proverb. XIV, 22 : *Misericordia et veritas præparant bona.* Et, XVI, 6 : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.*

« *Quoniam magnificasti.* » Hic tertium, exaltatio ejus, per quem misericordia et veritas facta est. Qusi diceret : Dico, quod confitebor super misericordia et veritate, quæ facta est, « *quoniam magnificasti sanctum tuum,* » Christum, de quo supra, in Psal. XV, 10 : *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* « *Super omne nomen,* » hoc est, super omne, quod nominabile creatum est. Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur,* etc. Isa. II, 2 : *Elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Et, LX, 12 : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.*

« *In quacumque die.* » Hic secundum, 3
in quo postquam promisit se laudaturum, petit ut exaudiat, et fructum laudis afferat : et dicuntur duo. Primo, rogat ut petentem semper exaudiat. Secundo, specificat in quo velit exaudiri, ibi, « *Multiplicabis.* »

Dicit ergo : Sic promitto me laudaturum, et rogo, Domine, exaudi me, non

aliquando tantum, vel semel, sed « *in quacumque die invocavero te.* » Supra, in Psal. LV, 10 : *In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.* Quod si feceris, scio quod « *multiplicabis in anima mea,* » te laudante, et tibi confitente, « *virtutem.* » Vel sic, ut sumatur verbum pro verbo : Sic rogo, ut exaudias, in quacumque die invocavero, et in hac « *multiplicabis,* » id est, multiplica, « *in anima mea virtutem.* » Et nota, quod qui orat sine nube cupiditatis, et culpæ, quod est orare in die, Dominus in anima sua multiplicat virtutem. Eccli. I, 7 : *Multiplicationem ingressus illius quis intellexit ?* Quasi diceret : Nullus. Isa. LVIII, 11, dicitur de purgato a peccatis per jejunium et eleemosynas : *Implebit splendoribus animam tuam.* Si petieris quid sint splendores, virtutes sunt : hæc est multiplicatio et abundantia, de qua, Job, v, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum.*

Secunda pars Psalmi

4 « *Confiteantur tibi, Domine.* » Hic secunda pars principalis totius hujus Psalmi. Postquam promisit se laudaturum, optat ut alii perfecti laudent sicut ipse, et probat quod debent. Duo autem dicuntur. Primo enim monet ad confitendum simpliciter, vel optat eos simpliciter confiteri. Secundo, laudare, et confiteri lætanter, quia cum cantu, ibi, ỳ. 5 : « *Et cantent.* »

In prima duo. Primo, optat ut laudent. Secundo, probat quod debent, ibi, « *Quia audierunt.* »

Dicit ergo : Sic confitebor, et o « *Domine,* » opto, « *confiteantur tibi omnes reges terræ,* » omnes sancti, et se bene regentes, tamquam regum regi, Apocal. I, 5 : *Princeps regum terræ.* Et, XIX, 16 : *Rex regum, et Dominus dominantium.* Proverb. XXI, 1 : *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.* Reges autem terræ sunt, qui motus carnales et terrenos reprimunt, et coercent, secundum illud Genes. IX, 2 : *Sit terror vester super cuncta animalia terræ.*

« *Quia audierunt.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic laudent, et debent : « *quia audierunt,* » obediendo, et libenter a prædicatoribus recipiendo, « *verba oris tui,* » quæ prius audierunt soli Judæi, cum dixerunt illud Exod. XXIV, 3 : *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.* Hæc ad omnes reges postmodum facta sunt. Sapient. VI, 2 : *Audite, reges, et intelligite,* et propter hoc vitaverunt confusionem, Eccli. XXIV, 30 : *Qui audit me, non confundetur.* Et adepti sunt beatitudines, saltem spe, Luc. XI, 28 : *Beati qui audiunt verbum Dei,* etc.

« *Et cantent in viis.* » Hic secundum, 5
in quo optat eis laudem lætam. Et primo, quod cantent. Secundo, quid cantare debeant ostendit. Tertio, probat quod sic debent laudare. Ibi secundum, « *Quoniam magna est.* » Ibi tertium, ỳ. 6 : « *Quoniam excelsus.* »

Dicit ergo : Sic opto, quod laudent, « *et* » etiam « *cantent :* » ipsi, dico, existentes, « *in viis Domini,* » in misericordia scilicet et veritate, ut sint misericordes et veraces. Hæ viæ pulchræ, et semitæ ejus pacificæ cognitæ : quia, Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Et propter hoc ibi cantandum, Tob. XIII, 22 : *Per vicos ejus,* Ecclesiæ scilicet, quæ sunt misericordia et veritas, *Alleluia cantabitur.*

« *Quoniam magna.* » Ecce quid cantabunt : hoc, « *quoniam gloria Domini est magna,* » non sua. Isa. VI, 3 : *Plena est omnis terra gloria ejus.* Sequentes per vias bene possunt hæc cantare, quia Eccli. XXIII, 38, dicitur : *Gloria magna est sequi Dominum.*

« *Quoniam excelsus Dominus.* » Hic 6

tertium, in quo probat quod laudare debent valde lætanter, et sumuntur rationes a tribus. Prima, ab ipsius majestate. Secunda, a benignitate, ibi, « *Et humilia.* » Tertia, a severitate, ibi, « *Et alta.* » Quarto, probat secundum quod est benignus, ibi, ℣. 7 : « *Si ambulavero.* » Quinto, tertium, ibi, « *Et super iram.* » Sexto, primum, ibi, « *Et salvum me fecit.* »

Dicit ergo : Sic opto, quod cantando laudent, et debent, « *quoniam Dominus,* » supple, est, « *excelsus,* » majestate. Vere excelsus. Isa. LV, 9 : *Sicut exaltantur cœli a terra, ita exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris.* Imo plus. Job, XI, 8 : *Excelsior cœlo est, et quid facies ?* Et, XXXVI, 22, dixit Eliu : *Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua.*

« *Et humilia respicit,* » oculo misericordiæ et pietatis, in quo monstratur ejus benignitas. Genes. XXIX, 32 : *Vidit Dominus humilitatem meam.* Luc. I, 48 : *Respexit,* inquit, *humilitatem ancillæ suæ.* Isa. XLVI, 2 : *Ad quem respiciam,* oculo misericordiæ, *nisi ad pauperculum, et contritum spiritu,* etc. Sapient. VI, 7 : *Exiguo conceditur misericordia.*

« *Et alta,* » per superbiam, « *cognoscit a longe,* » tamquam indignans eis : in quo monstratur ejus severitas. Jacob. IV, 6, et I Petr. V, 5 : *Deus superbis resistit, humilibus,* etc[1].

« *Si ambulavero.* » Hic quartum, in quo probat, quod vere benignus, et respicit humilia.

Quasi diceret : Sic dixi, quod benignus, et vere : quia « *si ambulavero in medio tribulationis,* » tamquam in fornace ignis ardentis, o Domine, « *vivificabis me.* » Isa. XXXVIII, 16 : *Corripies me, et vivificabis me.* Et, XLIII, 2 : *Cum ambulaveris in igne,* tribulationis et tentationis, *non combureris,* me gratiam infundente, quia vivificaberis. Gregorius : « Cum Dominus nos exterius affli« git, interius nos reficit : cum enim ex« terius virtutem carnis humiliat, inte« rius intentionem spiritus exaltat. » I Reg. II, 6 : *Dominus mortificat, et vivificat :* mortificat flagellando, et vivificat gratiam infundendo.

« *Et super iram.* » Hic probat tertium, scilicet, quod securus. Quasi diceret : Sic vivificat cum tribulor, unde apparet, quod benignus. « *Et* » etiam o Domine « *extendisti manum tuam,* » eos affligendo, « *super iram inimicorum meorum,* » id est, super iracundos inimicos meos, unde appareo severus. Ezechiel. XXV, 13 : *Extendam manum meam super Idumæam, et auferam de ea hominem, et jumentum.* Nahum, I, 2 : *Ulciscens Dominus in hostes suos, et irascens ipse inimicis suis.*

« *Et salvum.* » Hic probat primum : et dicuntur duo. Primo, asserit ab ejus potentia se salvatum. Secundo, ostendit salutis modum, ibi, ℣. 8 : « *Dominus retribuet.* »

Quasi diceret : Vere excelsum dixi : quia postquam me, Domine, vivificasti in tribulatione, et super inimicos manum extendisti, « *dextera tua,* » potestas, et majestas tua, « *salvum me fecit,* » quod ab alio nequaquam fieri potuit. Dextera Patris, sicut frequenter dictum est, est Filius, in quo salvat. Isa. XLI, 10 : *Auxiliatus sum tibi, et suscepit te dextera justi mei,* ut sit constructio intransitiva. Hæc est dextera, de qua, Sapient. V, 17 : *Dextera sua teget eos.* Et, Proverb. III, 16 : *Longitudo dierum,* quia æternitas, *in dextera ejus :* dator enim est Filius longitudinis dierum, id est, æternitatis.

[1] Cf. Proverb. III, 34; Psal. LIV, 23; Matth. VI, 25 ; Luc. XII, 22.

8 « *Dominus retribuet pro me.* » Hic secundum, in quo ostendit salutis modum, vel causas tres. Prima, debiti solutio pro genere humano. Secunda, misericordiæ continuatio in conservando, ibi, « *Domine, misericordia tua.* » Tertia, dilectio ad creaturam suam, ibi, « *Opera manuum.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod salvum me fecit, jam spe certissima. Quomodo? Quia « *Dominus retribuet pro me,* » debitum solvendo pœnarum, ad quas non sufficio. Job, ix, 3 : *Non poterit ei respondere unum pro mille.* Mich. vi, 6 : *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso.* Ad Roman. viii, 32 : *Pro nobis omnibus tradidit illum.* I ad Corinth. vi, 20 : *Empti enim estis pretio magno.* Eccli. xxix, 20 : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris : dedit enim pro te animam suam :* non poteras retribuere, et ipse retribuit. Vel sic : « *Dominus retribuet.* » Psal. xxx, 24 : *Dominus retribuet abundanter facientibus superbiam.* Et hoc, « *pro me :* « non intromittam me. Ad Roman. xii, 17 : *Nulli malum pro malo reddentes*[1]. Sed Deus reddet. Deuter. xxxii, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.* II ad Thessal. i, 6 : *Si justum est apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.*

« *Domine, misericordia tua.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic Dominus retribuet, nec propter hoc cessabit ejus misericordia, imo o tu, « *Domine, misericordia tua.* » Eccli. xl, 17 : *Gratia sicut paradisus in benedictione, et misericordia in sæculum permanet.*

« *Opera manuum.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic solves debitum, et misericordiam exhibebis, proprie tuam : et, o Domine, « *opera manuum tuarum,* » quæ nos sumus, « *ne despicias,* » sed diligas semper, et quantum est in te promoveas. Isa. lxiv, 8 : *Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Psal. cxviii, 73 : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me*[2]. Hæc ergo opera ne despicias, si jacent in luto præsentis miseriæ, sed magis dexteram porrige. Job, xiv, 15 : *Operi manuum tuarum porriges dexteram,* ad eripiendum, et in æternam gloriam deducendum, ipso præstante, qui est benedicta dextera tua, etc.

PSALMUS CXXXVIII.

Sciens Deum nihil latere, suam in eum fiduciam profitetur.

1. In finem, Psalmus David.
   Domine, probasti me, et cognovisti me :
2. Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.
3. Intellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam et funiculum meum investigasti :
4. Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea.
5. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua. Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.
6. Mirabilis facta est scientia tua ex

[1] Cf. II ad Corinth. viii, 21.

[2] Cf. Job, x, 8.

me : confortata est, et non potero ad eam.

7. Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?

8. Si ascendero in cœlum, tu illic es[1] : si descendero in infernum, ades.

9. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris,

10. Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua.

11. Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me : et nox illuminatio mea in deliciis meis.

12. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

13. Quia tu possedisti renes meos : suscepisti me de utero matris meæ.

14. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

15. Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : et substantia mea in inferioribus terræ.

16. Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur. Dies formabuntur, et nemo in eis.

17. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : nimis confortatus est principatus eorum.

18. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. Exsurrexi, et adhuc sum tecum.

19. Si occideris, Deus, peccatores, viri sanguinum, declinate a me :

20. Quia dicitis in cogitatione : accipient in vanitate civitates tuas.

21. Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? et super inimicos tuos tabescebam?

22. Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi.

23. Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas.

24. Et vide si via iniquitatis in me est : et deduc me in via æterna.

IN PSALMUM CXXXVIII

COMMENTARIUS.

« *In finem, Psalmus David*[2]. »

« *Domine, probasti me.* » Hic est Psalmus centesimus trigesimus tertius in toto libro, trigesimus tertius in tertia parte libri.

Argumentum Psalmi: Obfirmata voluntas numquam recedendi a Deo.

Cum enim in præcedenti Psalmo, se laudaturum promisit perfectus vir, et a peccati captivitate liberatus, et alios ad hoc ipsum invitaverit, hic ostendit se non recessurum amplius a Deo, nec rediturum ad captivitatem Babylonicam, sed in Deum progressurum magis, tamquam in finem suum. Unde bene præponitur titulus : « *In finem, Psalmus David,* »

[1] Amos, IX, 2.

[2] L'hébreu et les versions attribuent le psaume à David : l'œuvre est tout à fait digne du saint roi, tant par la richesse des pensées que par la beauté poétique des expressions. Quelques aramaïsmes ont donné lieu à plusieurs critiques de contester la vérité du titre, et de reculer la composition jusqu'après la captivité ; leur idée trouve même quelque appui dans l'addition du mot Ζαχαρίου, qu'on lit dans l'Alexandrin, et des autres mots ἐν τῇ διασπορᾷ, qu'Origène trouva écrit d'une autre main ἐν ἐνίοις ἀντιγράφοις. Mais cette addition au titre peut ne signaler qu'une adaptation postérieure, comme nous l'avons vu pour d'autres psaumes. Quant aux aramaïsmes, remarque

qui sic potest exponi : « *Psalmus* » subjectus ipsius « *David*, » ut actoris est : vel, « *David*, » id est, viro profecto competit, ordinans ipsum « *in finem*, » Christum, ut ad ipsum tendat, et semper ei magis ac magis adhæreat.

Dividitur autem Psalmus in duas partes, secundum quatuor causas, de quibus agit, propter quas non recedet amplius a Deo. Prima, propter ejus mirabilem scientiam, et cognitionem omnia penetrantem. Secunda, propter Dei potentiam omnia complectentem, ibi, ℣. 7 : « *Quo ibo a spiritu?* » Tertia, propter infinitam ejus misericordiam, omnia attrahentem, et sibi astringentem, ibi, ℣. 14 : « *Confitebor tibi, quia terribiliter.* » Quarta, propter districtam ejus justitiam, nihil penitus inultum relinquentem, ibi, ℣. 19 : « *Si occideris, Deus.* »

In prima autem dicuntur tria. Primo, ostendit in Deo sapientiæ et scientiæ generalitatem. Secundo, eminentiam, ibi, ℣. 5 : « *Ecce, Domine, tu cognovisti.* » Tertio, singularitatem, ibi, ℣. 6 : « *Mirabilis facta est.* »

In prima tria, secundum triplicem modum cognoscendi. Primo quod cognoscit ipsum qui loquitur, cognitione experientiæ et probationis. Secundo approbationis, ibi, ℣. 2 : « *Tu cognovisti sessionem.* » Tertio, notitiæ simplicis, ibi, ℣. 3 : « *Intellexisti cogitationes.* »

Dicit ergo, ut caput Christus loquatur : Confitebor tibi, Domine, quia o « *Domine* » pater, « *probasti me,* » in mea passione, « *et* » sic « *cognovisti me,* » talem qui dignus essem resuscitari, unde probasti, et approbasti. Act. II, 22 : *Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo,* sicut et suos omnes Dominus semper probat, *interemistis*. Eccli. XXVII, 6 : *Vasa figuli probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis*. Tob. XII, 13, dixit Angelus ad Tobiam : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*. Job, VII, 18 : *Visitas eum diluculo, et subito probas illum*. Et, Sapient. III, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit eos*, etc. Et Job de seipso dicit, XXIII, 10 : *Ipse scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit*. Et sic cognoscit cognitione probationis, et experientiæ, et alios etiam cognoscere facit. II ad Timoth. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus*. Genes. XXII, 12 : *Nunc cognovi*, id est, cognoscere te feci, et alios de te, *quod times Deum*. I Prima pars Psalmi.

Johnson, « l'argument qu'on tire de leur présence serait convaincant dans le cas seulement où l'on montrerait que ces expressions n'ont été introduites dans la langue hébraïque qu'après la captivité. » Or cette preuve n'est point faite ; il se pourrait même que les aramaïsmes en question ne fussent que des locutions particulières à certaines régions septentrionales de la Palestine. Nous sommes donc en droit de regarder le psaume comme ayant David pour auteur (Hengstenberg, Thalhofer, etc.). L'époque à laquelle il fut écrit ne peut être déterminée d'une façon précise. Le psalmiste fait seulement allusion aux ennemis du nom de Dieu, et il semble vouloir répondre, non plus à l'athée du psaume XIII, mais à cette classe d'incrédules qui nient la Providence, et méconnaissent le souci qu'elle prend de chacun en particulier. « Describit rationem divinæ erga nos providentiæ, et quod non solum ad universa extendatur, sed rebus etiam singulis prospiciat. » S. Athan. Comme il ne suppose l'existence actuelle d'aucun persécuteur ni d'aucun rebelle, il est à croire qu'il composa le psaume avant la révolte d'Absalon, ou seulement quand elle fut apaisée.

Le sens spirituel est appliqué par S. Hilaire, S. Prosper, etc., à Jésus-Christ, soumis dans son humanité sainte à la prescience, à la puissance et à la providence divines. L'Eglise se sert dans ce sens des ℣℣. 11 et 12, insérés dans l'*Exsultet* du Samedi saint, et du ℣. 18, entendu de la résurrection du Sauveur.

H. Lesêtre.

2 « *Tu cognovisti.* » Hic ostenditur in Deo cognitio approbationis, et tangit duo, quæ approbat Deus in vero pœnitente, humilitatem, et erectionem sui ad æterna. Primum significatur in sessione. Secundum, in resurrectione. In Christo autem capite significatur approbatio passionis, et resurrectionis.

Ait enim : Sic probasti me, et cognovisti : et, o Domine, « *tu cognovisti,* » cognitione approbationis, « *sessionem meam,* » passionem scilicet meam, secundum quod caput loquitur, « *et resurrectionem meam,* » tertia die factam. Secundum quod loquitur pœnitens : « *Tu cognovisti* » approbando, « *sessionem meam,* » humilitatem, quæ anima manente erecta corpus dejicit, « *et resurrectionem meam,* » erectionem scilicet ad æterna. Mich. VII, 8 : *Consurgam cum sedero in tenebris : Dominus lux mea est.* Psal. CXXVI, 2 : *Surgite,* ad æterna desideranda, *postquam sederitis,* humiliando vos et dejiciendo, *qui manducatis panem,* etc. Thren. III, 63 : *Sessionem eorum, et resurrectionem eorum vide.*

Deus multipliciter probat sanctos. Nota, quod probat Dominus sanctos ut utrem, si infusa retinet, Eccli. XXI, 17 : *Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit.* Si clare sonat, agendo gratias, sicut Job, I, 21 : *Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Ut vas igne exponendo, si solidatum fuerit, Eccli. XXVII, 6 : *Vasa figuli probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis.* Si purificatum bene, Eccli. II, 5 : *In igne probatur aurum et argentum : homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Ut amicum, si in malis non deserat, Eccli. VI, 7 : *Si possides amicum, in tentatione posside illum.* Et, XII, 8 : *Non agnoscetur in bonis amicus.* Item, si malum pro se libenter sustineat, Cantic. VIII, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*

« *Intellexisti cogitationes.* » Hic subjungitur de tertio modo cognoscendi, per simplicem scilicet notitiam. Et primo, tangitur cognitio cogitationum. Secundo, affectionum, quibus in occulto vel itur ad Deum, vel receditur a Deo, ibi, « *Semitam meam.* » Tertio, quantitatis meritorum, ibi, « *Et funiculum.* » Quarto, actuum, ibi, ℣. 4 : « *Et omnes vias meas.* » Quinto, intentionum, ibi, « *Quia non est sermo.* » 3

Dicit ergo : Sic cognitione approbationis cognoscis me, et etiam « *intellexisti,* » simplici notitia cognoscendo, « *cogitationes meas,* » et hoc, « *de longe,* » hoc est, cum adhuc essem in statu culpæ. Eccli. XLII, 20 : *Non præterit illum omnis cogitatus.* Psal. XCV, 11 : *Dominus scit cogitationes hominum.* I Paralip. XXVIII, 9 : *Omnia corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit.*

« *Semitam meam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic intellexisti cogitationes, et « *investigasti semitam meam,* » occultum scilicet consensum meum, quo aliquando recessi a te, sicut filius prodigus a pio patre [1]. Eccli. VII, 5 : *Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est.* I Reg. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Job, XIV, 17 : *Signasti quasi in sacculo delicta mea.*

« *Et funiculum meum,* » mensuram scilicet peccati mei, « *investigasti,* » quantum in illo demerueram. Isa. V, 16, de tali funiculo : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis !* Ezechiel. XLVII, 3 : *Cum egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua* [2],

[1] Cf. Luc. XV, 13.

[2] Cf. Zachar II, 1 : *Et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum,* etc.

ut mensuraret pœnam secundum mensuram iniquitatis. Luc. vi, 2 : *In qua mensura mensi fueritis*, etc.

4 « *Et omnes vias meas.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Sic cognovisti cogitationes et affectiones, et ipsarum quantitates : « *et* » etiam « *omnes vias meas,* » operationes scilicet, « *prævidisti.* » Job, xxxiv, 21 : *Oculi ejus super vias hominum.* Proverb. xvi, 2 : *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Eccli. xxiii, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum*, imo prævidentes. In eodem, ℣. 29 : *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita.*

« *Quia non est sermo.* » Hic quartum, scilicet cognitio intentionum, et potest sic continuari ad præcedentia : Intellexisti et hoc etiam, « *quia non est sermo,* » fraudulentiæ, « *in lingua mea,* » ut unum dicam, et aliud intendam. Scio enim illud Proverb. xii, 22 : *Abominatio est Domino labia mendacia.* Sapient. i, 11 : *Sermo obscurus*, qui intentionem operit, non aperit, *in vanum non ibit.* Sed si de capite intelligatur, verissimum est : in lingua enim sua non fuit dolus [1]. I Petr. ii, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Sic etiam posset legi : Habes cognitionem cogitationum, affectionum, actionum, et etiam sermonum, « *quia non est sermo in lingua mea,* » qui te lateat. Eccli. xlii, 20 : *Non abscondit se ab eo ullus sermo.*

5 « *Ecce, Domine, tu cognovisti.* » Hic secunda pars primæ partis, in qua ostensa scientiæ Domini generalitate, ostendit eminentiam illius scientiæ. Et primo, asserit eminentiam. Secundo, probat assertam, ibi, « *Tu formasti.* »

In prima duo tanguntur, per quæ eminentia scientiæ asseritur, cognitio scilicet futurorum in ultimis temporibus, et cognitio præteritorum in antiquis.

Ait enim : Sic cognoscis omnia, quæ prædixi : nec dicat aliquis, illa cognoscis, quia præsentia, quia o « *Domine, ecce,* » in aperto est, « *tu cognovisti omnia novissima,* » temporibus scilicet novissimus fienda, « *et antiqua,* » scilicet a principio mundi facta. Tibi enim nihil præterit, nihil futurum succedit, totum præsens est tibi. Exod. iii, 14 : *Ego sum qui sum.* Et in eodem, ibidem : *Qui est, misit me ad vos.* Hinc dicitur idolis, Isa, xli, 22 : *Priora quæ fuerunt nuntiate : et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum, et quæ ventura sunt indicate nobis.* Cognovisti antiqua, quomodo per primum prævaricatorem hominem ruimus in peccatum omnes. Ad Roman. v, 19 : *Sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, ita et*, etc. Et cognovisti novissima, pœnam et mortalitatem, quæ in omnibus est secuta. Ad Roman. v, 12 : *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors : et ita*, etc. Genes. iii, 19 : *In sudore vultus tui*, etc. Job, v, 7 : *Homo nascitur ad laborem.*

« *Tu formasti.* » Hic probat eminentiam dictam, et hoc per duo. Per formationem et creationem hominis : quis enim factor ignorat facturam ? Et per inflictam pœnam, ibi, « *Et posuisti.* »

Dicit ergo : Sic omnia cognovisti, et prima : et hoc patet, supple, quia, « *tu,* » non alius, « *formasti me,* » et omnes alios in primo parente, et etiam certe in uteris matrum nostrarum omnes nos.

« *Et posuisti,* » affligendo, unde alia littera habet : « Aggravasti super me manum tuam. » Job, xix, 21 : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici*

[1] Isa. liii, 9 : *Dabit impios pro sepultura,... eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.*

mei, quia manus Domini tetigit me. Et, xxiii, 2 : *Manus plagæ meæ aggravata est.*

6 « *Mirabilis facta est.* » Hic tertium, in quo ostendit scientiæ Dei singularitatem. Duo ergo dicuntur. Primo, dicit mirabilem, quasi singularem, et insolitam : hoc est enim mirabile. Secundo, probat per duo. Per immutabilitatem, ibi, « *Confortata est.* » Et incomprehensibilitatem, ibi, « *Et non potero ad eam.* »

Dicit ergo : Sic scientiæ habes universalitatem, et eminentiam, et singularitatem : quia, o Domine, « *scientia tua facta est mirabilis,* » et hoc, « *ex me,* » id est, ex peccato meo. Quasi diceret : Sic peccatum meum me excæcavit, ut scientia tua non sit omnino attingibilis a meo intellectu : tenebræ enim super cor meum factæ sunt. Genes. i, 2 : *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Et, Job, xvi, 17 : *Palpebræ meæ caligaverunt.* Job, xvii, 13 : *In tenebris stravi lectulum meum.*

« *Confortata est,* » immutabiliter stabilis. Malach. iii, 6 : *Ego Dominus, et non mutor.* Jacob. i, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

« *Et non potero ad eam,* » ut eam comprehendam, quasi essem sine culpa. Job, xxxvi, 26 : *Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram.* Et, xxxiv, 29 : *Ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum ?* Ad Roman. xi, 33 : *O altitudo sapientiæ, et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus !*

7 Secunda pars Psalmi. « *Quo ibo a spiritu tuo ?* » Hic est secunda pars totius hujus Psalmi, secundum divisionem superius dictam, in qua ostendit non esse fugiendum a Deo, propter ejus potentiam omnia complectentem, et ubique fugientem comprehendere potentem. Primo ergo quærit, quo fugere possit a Deo recedens, ostendens quod nusquam. Secundo, consilium invenit secundum Glossam, quid facturus sit, ibi, ỷ. 9 : « *Si sumpsero.* » Vel, ostendit, quod nec latere possit, quantumcumque profundis tenebris circumdatus sit, ibi, ỷ. 11 : « *Et dixi : Forsitan.* »

In prima duo. Primo, quærit si fugere possit iram Dei. Secundo, si præsentiam, ibi, « *Et quo a facie tua.* »

Dicit ergo : Sic habes mirabilem omnium cognitionem, et etiam, « *quo ibo a spiritu tuo ?* » ira scilicet tua, quæ *spiritus* appellatur. Genes. vi, 3 : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* « *Quo ibo,* » etiam « *a spiritu tuo* » volens recedere, qui totum replet. Sapient. i, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

« *Et quo a facie tua,* » a præsentia scilicet tua, « *fugiam ?* » Quasi diceret : Nusquam. Amos, ii, 14 : *Peribit fuga a veloce.* Et, ix, 1 : *Non erit fuga eis, et qui fugerit, non salvabitur ex eis.* Sapient. xvi, 15 : *Tuam manum effugere impossibile est.* Propter hoc fatuus erat Jonas, et humanum aliquid patiebatur, *qui surrexit ut fugeret in Tharsis a facie Domini*[1]. Gregorius : « Quia Deus ubique « est, locus ubi fugiatur, non est. »

« *Si ascendero in cœlum.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod fugere non possit : et dicuntur tria secundum triplicem locum, ad quem non valebit fuga : altum, qualis est cœlum : profundum, qualis est infernus, ibi, « *Si descendero.* » Remotum ab habitatione hominum, qualis est in extremis maris, ibi, ỷ. 9 : « *Si sumpsero.* » 8

Dicit ergo : Sic dixi, quod fugere non possum, et verum dixi, quia « *si ascendero in cœlum,* » est locus altus, « *tu illic es.* » III Reg. viii, 27 : *Cœlum, et cœli cœlorum te capere non possunt.*

[1] Jonæ, i, 2.

Jerem. XXIII, 24 : *Numquid non cœlum et terram ego impleo ?* Isa. LXVI, 1 : *Cœlum sedes mea,* supple, est. Job, XI, 8 : *Excelsior cœlo est, et quid facies ?* ascendendo in illud, Quasi diceret : Nihil.

« *Si descendero in infernum, ades.* » Job, XXVI, 6 : *Nudus est infernus coram illo.* Job, XI, 8 : *Profundior est inferno, et unde cognosces ?*

9 « *Si sumpsero pennas.* » Ecce tertium, quod nec in remoto ab habitatione hominum : et loquitur metaphorice, et pendet constructio duorum versuum. Quasi diceret : Sursum non possum evadere tuam potentiam, nec deorsum, et etiam « *si sumpsero pennas meas diluculo,* » id est, si velox fuero tamquam avicula pennata in mane, quando vacua est : « *et habitavero in extremis maris,* » ubi nulli hominum est habitatio.

10 « *Etenim illuc manus tua deducet me,* » sine te transire non potero, « *et tenebit me,* » ibi deductum, « *dextera tua,* » potentia scilicet tua : nec terra, nec mare mihi aliquid valere non poterunt, quia totum occupas, totum penetras. Job, XI, 9 : *Longior terra mensura ejus, et latior mari.* Psal. LXXVI, 20 : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis.* Eccli. XXIV, 8, dicere potest Dei potentia : *Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, et in fluctibus maris ambulavi.*

Triplex status, in quo non potest homo Deum evadere.

Triplex autem status significatur, in quo non potest homo Deum evadere. Superbiæ, « *Si ascendero in cœlum,* » cum illo qui dicit, Isa. XIV, 13 : *In cœlum ascendam, super astra cœli exaltabo solium meum.* Illic bene invenies me. Job, XX, 6 : *Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* « *Si descendero in infernum,* » per desperationem deorsum, dicens illud Isa. XIV, 15 : *Verumtamen ad infernum detraheris.* Et illud Job, XVII, 16 : *In profundissimum infernum descendent omnia mea :* tamen inde poteris educere me. Amos, IX, 2 : *Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos : et si ascenderint usque in cœlum, inde detraham eos.* Sed, « *si sumpsero pennas meas,* » virtutem meam charitatis geminam, secundum illud Isa. XL, 31 : *Qui sperant in te, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ.* Apocal. XII, 14 : *Data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.* « *Et habitavero in extremis maris,* » in extrema scilicet amaritudine contritionis. Genes. XLIX, 13 : *Zabulon in littore maris habitabit.* Vel mare, mundus. Eccli. XLIII, 26 : *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus.* In hujus maris extremitate habitat, qui omnibus propter Christum renuntiat. Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes,* etc. Et hoc « *diluculo,* » in ortu scilicet novæ gratiæ illuminantis animam. Osee, VI, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus,* ad extremitates maris. Illuc manus Domini deducit. Deuter. VIII, 15 : *Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili.* Illic tenet dextera, sola scilicet Dei potentia. In Psal. CXXXVII, 7, supra : *Salvum me fecit dextera tua.* Ad Philip. II, 13 : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.*

« *Et dixi : Forsitan tenebræ.* » Ostenso quod non possit effugere Dei potentiam, hic ostendit quod nec latere : et dicuntur duo hic. Primo, quod aliquo modo posse latere cogitando contulerit. Secundo, respondet quod nihil valere possit, ibi, ℣. 12 : « *Quia tenebræ.* » 11

In prima duo. Primo deliberatio, quod tenebris abscondetur a Deo. Secundo, quod in illis deliciis perfruetur, ibi, « *Et nox illuminatio.* »

Dicit ergo : Sic fugere non possum tuam potentiam, sed numquid latere

præsentiam? Nullo modo : quia « *et dixi.* » deliberando, et conferendo apud meipsum : « *Forsitan tenebræ conculcabunt me,* » abscondent me, sicut quod conculcatur a petra absconditur. Job, XXXVII, 19 : *Nos quippe involvimur tenebris.* « *Et* » sic, « *nox,* » supple, erit « *illuminatio mea in deliciis meis,* » perpetrandis, id est, libere, et audacter fruar omnibus deliciis in illis tenebris : nec aliam quæram illuminationem. Joan. III, 20 : *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Et in eodem, ℣. 19 : *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Vel sic secundum Glossam : Adverti, quod si sumptis pennis avolavero, tunc me deduces et tenebis : et tamen dixi timens volare : « *Forsitan tenebræ,* » tribulationum, et miseriarum hujus vitæ, « *conculcabunt me,* » dejicient volantem. Vel, ipsi mali homines hujus mundi, qui dicuntur *tenebræ*. Ad Ephes. V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et conculcant, Habac. I, 13 : *Quare taces impio conculcante justiorem se*[1] ?

« *Et nox.* » Quasi diceret : Sic timui, quod non possem volare, et transire propter noctem, de meis viribus non confidens, « *et* » ideo, propter hanc, scilicet humilitatem, « *nox* » præsentis miseriæ, facta est « *illuminatio mea,* » conversa est mihi miseria in instructionem. Isa. XXVIII, 19 : *Sola vexatio intellectum dabit auditui.* Tob. XL, 13 et seq., Fel piscis illuminavit oculos Tobiæ. Eccli. XXXIV, 37 : *Mittit disciplinam,* miserias et tribulationes hujus vitæ, *sicut lucem.* Jerem. VI, 8 : *Erudire, Jerusalem,* scilicet per omne flagellum. Et, in eodem, XXI, 18 : *Castigasti me, et eruditus sum.* Thren. I, 13 : *De excelso misit ignem,* supple, tribulationis, *et erudivit me.* Et hoc « *in deliciis meis,* » id est, in Christo consideratis, et ante oculos positis : Christus enim debet esse deliciæ Christianorum, per causam : quia præbet eis delicias, Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Et seipsum facit eorum delicias, Job, XXII, 26 : *Super Omnipotentem deliciis afflues,* id est, afflues deliciis de ipso Omnipotente habitis.

« *Quia tenebræ,* » Hic secundum, in 12
quo ostendit quod nihil valet quod cogitaverit latere, quia tenebræ nihil sunt ad lucem quæ Deus est. Duo ergo dicuntur. Primo, manifestatio tenebrarum, et omnium quæ in illis sunt æque ac diei quantum ad Deum. Secundo, probatio quod sic est, ibi, ℣. 13 : « *Quoniam tu possedisti.* »

In prima tria. Primo, quia tenebræ illi non sunt obscuræ. Secundo, quod imo quoad Deum sicut dies, ibi, « *Et sicut dies.* » Tertio breviter, indifferentia utriusque quantum ad Deum, ibi, « *Sicut tenebræ ejus.* »

Dicit ergo : Sic nihil fuit quod cogitavi, » *quia tenebræ,* » quantumcumque profundæ, « *non obscurabuntur a te,* » id est, a tua præsentia, id est, te in præsentia existente, sicut me, vel aliquo alio : « *et nox illuminabitur,* » illuminata scilicet reddetur, « *sicut dies :* » nihil enim refert utrum dies, vel nox quantum ad te.

Unde subdit : « *Sicut tenebræ ejus,* » diei scilicet naturalis apud te, « *ita et lumen ejus.* » Sic potest legi secundum consequentiam litteræ.

Vel sic : Dixi, quod tenebræ erunt lux mihi attendenti delicias, quæ sunt ipse Christus : « *quia tenebræ,* » id est, tribulationes, o tu Christus, « *a te,* » supple, immissæ, « *non obscurabuntur a te* » flagellante, sed magis illuminabuntur. Nahum, I, 1 : *Onus Ninive,* tribulatio scilicet mundi, *liber visionis,* supple, est. Isa. IX, 2 : *Habitantibus in regione um-*

[1] Vulgata habet, Habacuc, I, 13 : *Cur taces devorante impio justiorem se ?*

bræ mortis, lux orta est eis. II ad Corinth. IV, 6 : *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit cordibus vestris.* « *Et nox,* » peccati, vel homo peccator, « *illuminabitur a te,* » vera luce, « *sicut dies :* » omnes enim illuminas. Joan. I, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Non solum justos et innocentes illuminat, sed etiam peccatores. Matth. IX, 13 : *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Ezech. XXXIII, 11 : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat* [1]. Vel, *noctem* appellat hic adversitatem, et *diem* prosperitatem, quæ duo sunt in hac misera vita : sed Deus utramque illuminat, quoniam stabilitatem animæ dat, sive in adversitates, sive in prosperitate. I Reg. I, 18 : *Vultus illius non sunt amplius in diversa mutati.* Ad Philip. IV, 11 et 12 : *Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio et humiliari, scio et abundare.*

« *Sicut tenebræ ejus,* » hujus scilicet vitæ adversitates, « *ita et lumen ejus,* » id est, prosperitates. Proverb. XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Proverb. XXVIII, 1 : *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit.* Exod. XIII, 22 et seq., Dominus dat suis columnam nubis in die, et ignis lucentis in nocte, ut in utraque sint bene instituti.

13 « *Quia tu possedisti.* » Hic secundum, scilicet probatio primi, quod latere scilicet non possit in tenebris, imo ipse sit æque cognitus a Deo, sicut in die. Et probat hoc per duo. Primo, per dominium, et possessionem cordis. Secundo, per eductionem de utero propriæ matris, ibi. « *Suscepisti me.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod sicut tenebræ, ita et lumen : et e contrario, unde ibi latere non possum. « *Quia tu possedisti renes meos,* » id est, interiores affectiones meas, et voluntates omnes habes in tua potestate. Jerem. XX, 12 : *Et tu, Domine exercituum, probator justi, qui vides renes et cor.* Et etiam « *suscepisti me,* » tanquam tuum, et a te conservandum, « *de utero matris meæ.* » Supra, in Psal. XXI, 11 : *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es susceptor meus.*

Vel, secundum aliam lecturam : Sicut prosperitas, sic adversitas : in omnibus te faciente illuminamur et stamus. Et hoc est, o Domine, « *quoniam tu possedisti renes meos,* » possessor per gratiam mearum affectionum fuisti, ut restringens in me omnem luxuriam. Sapient. VIII, 21 : *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* etc. Proverb. XXI, 1 : *Cor regis in manu Domini.* Levit. III, 4 et 5 : *Reticulum jecoris cum renunculis,* omnem scilicet delectationem interiorem, *adolebunt ea super altare in holocaustum,* etc. Hi sunt renes, de quibus, Exod. XII, 11 : *Renes vestros accingetis.*

« *Suscepisti me,* » sursum ad te cepisti, « *de utero,* » de consuetudine prava, in qua jacebam, « *matris meæ,* » civitatis Babylonicæ, in qua mansi tamquam filius. Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum.* Et, XLI, 10 : *Suscepit te dextera Justi mei.* Ad Galat. I, 15 : *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ,* etc.

« *Confitebor tibi.* » Hic est tertia pars principalis Psalmi, in qua ostendit, quod non recedet a Deo, sed magis laudabit propter beneficia, et largam ipsius misericordiam. Tria ergo dicuntur. Primo, promittit laudem. Secundo, subjungit laudis universalem rationem, ibi, « *Quia terribiliter.* » Tertio, descendit et specificat illam, ibi, « *Et anima mea.* » 14

Tertia pars Psalmi.

Dicit ergo : Tantæ potentiæ es, Domine, et tantæ sapientiæ, non possum te effugere, vel latere : propter hoc ego non

[1] Cf. Ezechiel. XVIII, 23.

fugiam, imo « *confitebor tibi,* » confessione veræ fidei, et laudis.

« *Quia terribiliter magnificatus es.* » Hic tangit laudis causam universaliter. Et primo, Dei magnificentiam in se. Secundo, in suis operibus, ibi, « *Mirabilia.* »

Ait enim : Sic confitebor, et justum est : « *Quia magnificatus es,* » vel « mirificatus, » alia littera : non enim possumus te considerare, quin magnum et mirificum inveniamus. Magnificum et mirificum invenerat Daniel, qui dicebat, Daniel. x, 16 : *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.* Deuter. x, 17 : *Dominus Deus vester ipse est Deus deorum, et Dominus dominantium, Deus magnus et potens, et terribilis,*etc. Daniel. vii, 14 : *Potestas ejus potestas æterna.* Magnificatus potestate. Ad Philip. ii, 8 : *Factus est,* Patri scilicet, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum,* etc. Ad Hebr. ii, 9 : *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.* Et propter hoc, quia magnificatus isto modo, scilicet per passionem, terribiliter magnificatus est dæmonibus, et malis hominibus : quia, Luc. xxiii, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

« *Mirabilia.* » Quasi diceret : Non solum in te magnificatus es et mirificus, sed etiam « *opera tua,* » supple, sunt « *mirabilia.* » Job, v, 9 : *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* Apocal. xv, 3 : *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens.* Sub veteri lege, fuere proprie signa. I ad Corinth. i, 22 : *Judæi signa petunt.* Sed in nova, mirabilia facta sunt. Eccli. xxxvi, 6 : *Innova signa, et immuta mirabilia.*

« *Et anima mea.* » Hic tertium, in quo specificat Dei magnificam bonitatem, per opera multa quæ enumerat ad pietatem Dei pertinentia : et loquitur in persona totius corporis Ecclesiæ. Primo ergo tangitur illustratio fidei. Secundo, quorumdam in Ecclesia in constantia perfectio, ibi, ỷ. 15 : « *Non est occultatum.* » Tertio, infirmorum pia supportatio, ibi, ỷ. 16 : « *Imperfectum meum.* » Quarto, ad vitam prædestinatio, tam perfectorum quam imperfectorum, ibi, « *Et in libro tuo.* » Quinto, imperfectorum perfectio, et informatio ad similitudinem sui, ibi, « *Dies formabuntur.* » Sexto et ultimo, perfectorum exaltatio, ibi, ỷ. 17 : « *Mihi autem nimis.* »

Dicit ergo : Sic mirificus in te, et in tuis operibus : « *et anima mea,* » infundente te fidei lucem, « *cognoscet nimis,* id est, valde. I ad Corinth. xiii, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Quomodo dicit se *nimis cognoscere?* Respondeo. Hoc dicit comparatione ad cognitiones alias inferiores, quæ sunt per rerum species, quales sunt scientia, et opinio. Vel hoc dicit, quia nullus scit quanta sit certitudo fidei, nisi qui intus sentit. Apocal. ii, 17 : *Nemo scit, nisi qui accipit.* Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*

« *Non est occultatum.* » Hic secun- 15
dum beneficium, perfectio quorumdam in constantia fidei : et tangitur primo perfectio. Secundo, monstratur beneficii magnitudo, ibi, « *Et substantia mea.* »

Dicit ergo : Sic anima mea cognoscit, et, o Domine, « *os meum* » (os ossis), id est, fortes in corpore meo, dicit Ecclesia, « *quod fecisti in occulto,* » latent enim constantes et fortes in fide, qui occidi possunt, flecti nequeunt. Ad Roman. viii, 35 et 38 : *Quis nos separabit a charitate Christi?... Certus sum, quia neque mors, neque vita,* etc. Inter carnales, « *non est occultatum a te* : » tu enim omnia nosti. Hæc sunt ossa, de quibus, Job, vii, 15 : *Elegit suspendium anima mea,* suspendium contemplationis, *et mortem ossa mea,* non fugiunt ipsam.

Et, x, 11 : *Ossibus et nervis compegisti me.* Ossa, constantes : nervi qui flexibiles sunt, compatientes. Sed hæc non te latent, quia tu vides corda, etsi homines lateant. I Reg. xvi, 7 : *Hom videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Nullus ergo se debilem dicat, quia Deus novit in quo posuit fortitudinem. Proverb. xxiv, 12 : *Si dixeris : Vires non suppetunt : qui inspector est cordis, ipse intelligit.*

« *Et substantia mea.* » Hic monstratur beneficii magnitudo, quia data est sibi talis perfectio adhuc in carne corruptibili existenti.

Ait enim : Sic os non est occultatum, quod fecisti : « *et,* » supple, tamen, *substantia mea,* » est adhuc, « *in inferioribus terræ,* » id est, adhuc subsisto in corruptibili carne, et pulvere. Genes. iii, 19 : *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Job, x, 9 : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me.*

16 « *Imperfectum meum.* » Hic tertium beneficium, scilicet imperfectorum pia supportatio, quod significatur in intuitu oculorum.

Ait enim : Sic fortes fecisti, et etiam « *oculi tui,* » misericordiæ et pietatis, « *viderunt,* » gratiam infundendo, et misericordiam. « *imperfectum meum.* » Sic infirmum respexit Petrum[1], et Matthæum sedentem in telonio[2]. Sapient. iv, 15: *Et respectus in electos illius.* Eccli. xxiv, 45 : *Inspiciam omnes dormientes,* imperfectos qui torpent : *et illuminabo omnes sperantes in Domino.* gratiam infundendo. Nonne, Matth. xiv, 31, extendit manum, ut Petrum eriperet adhuc imperfectum? Unde et ibidem subditur : *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

« *Et in libro tuo.* » Hic beneficium quartum, scilicet utrorumque prædestinatio, perfectorum scilicet, et imperfectorum.

Ait enim : Sic perfectos fecisti, imperfectos oculo misericordiæ respicis : « *Et in libro tuo,* » prædestinationis scilicet, « *omnes scribentur,* » tam perfecti quam imperfecti : non enim solum perfecti salvabuntur, sed etiam imperfecti. Genes. vii, 8 et seq.. Arca non solum homines continebat, sed etiam animalia. Sed qui non scribetur, damnabitur. Apocal. xx, 15 : *Qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Sed electi, sine deletione in illo scribuntur. Apocal. iii, 5 : *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de Libro vitæ.* Unde si loquitur Christus hic pro membris, idem est ac si diceret : In me omnes scribentur : ipse enim est liber. Apocal. xx, 12 : *Alius Liber apertus est, qui est vitæ,* scriptus intus et foris[3] : intus quoad divinitatem, exterius quoad humanitatem.

« *Dies formabuntur.* » Hic quintum opus mirificum, imperfectorum perfectio, ad sui similitudinem.

Ait enim : Sic omnes scribentur tam perfecti quam imperfecti : et illi qui perfecti erunt, in te perficientur : quia « *dies,* » Apostoli scilicet, de quibus dicitur in Psal. xviii, 3 : *Dies diei eructat verbum.* Dies clari, fertiles, et calidi, nonne ipsi sunt, quibus dictum est : *Vos estis lux mundi*[4]? Lux autem clara, fertilis, et clara est. Et habent horas duodecim. Joan. xi, 9 : *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Ita illi duodecim, qui numerantur in epistola ad Galat. v, 22 et 23, duodecim scilicet fructus spiritus[5]. Cur Apostoli dicuntur dies?

[1] Cf. Luc. xxii, 61 et 62.

[2] Cf. Matth. ix, 9

[3] Apocal. v, 1 : *Et vidi in dextera sedentis supra thronum, Librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem.*

[4] Matth. v, 14.

[5] Ad Galat. v, 22 et 23 : *Fructus autem Spiritus est : Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*

« *Formabuntur,* » in te, in tua gratia renati, et a tuo nomine nominati. Joan. XVII, 22 : *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis,* tamquam formans eos. Isa. LXI, 6 : *Vos sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.*

« *Et nemo in eis,* » formabitur, sed in te : non enim gratiam infundunt, nec ab ipsis erunt nominati, ut a Petro dicantur Petrini, a Paulo Paulini. Joan. I, 33 : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto, et non alius.* Act. IV, 12 : *Neque aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

17 « *Mihi autem nimis.* » Hic est sextum opus misericordiæ, et mirificum, scilicet perfectorum exaltatio : et tanguntur duo. Primo, ipsorum exaltatio. Secundo, causa, et ratio, ibi, in medio ℣. 18 : « *Exsurrexi.* »

In prima dicuntur tria. Primo, ipsorum sublimatio. Secundo, in sublimatione confirmatio, ibi, « *Nimis confortatus est.* » Tertio sublimatorum et confirmatorum multiplicatio vehemens, ibi, ℣. 18 : « *Dinumerabo eos.* »

Dicit ergo : Sic perficientur in te Apostoli, et omnes perfecti, et nemo in eis : tamen non propter hoc credantur viles, quia « *amici tui,* » o « *Deus, honorati sunt nimis,* » id est, valde : et hoc, « *mihi,* » id est, mea reputatione : omnes enim veraciter in Christum credentes multum honorantur. Ad Roman. II, 10 : *Gloria, et honor, et pax omni operanti bonum,* scilicet credenti et facienti. Sed multo fortius illi primitivi, qui vere amici fuerunt. Joan. XV, 15 : *Jam non dicam vos servos, vos autem dixi amicos.*

Quomodo Apostoli a Christo honorati ?

Hos autem Dominus honoravit per seipsum, non per Angelos, ut Patriarchas, et Prophetas, vocando ad Apostolatum. Matth. IV, 9 : *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. VIII, 22 : *Sequere me.* In familiaritate et amicitia vocatos recipiendo, Joan. XV, 15 : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* I Joan. I, 1 : *Manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ.* Potestatem faciendi miracula plenissimam conferendo, Matth. X, 1 : *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Principatum Ecclesiæ conferendo, Supra, in Psal. XLIV, 17 : *Constitues eos principes super omnem terram.* Matth. XVI, 19 : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis,* etc. Audaciam tribuendo contra principes totius mundi, Matth. X, 26 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus,* etc. Isa. LI, 12 : *Quis tu, ut timeres ab homine mortali ?* Propter hoc dicebant audacter, Act. IV, 20 : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.* Potestatem judiciariam in fine mundi tribuendo, Matth. XIX, 28 : *Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes,* etc. Tandem, quod vere maximum fuit, eis ministrando, Luc. XXII, 27 : *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat,* etiam usque ad lotionem pedum. Esther, VI, 9 : *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.*

« *Nimis confortatus est.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic nimis sunt honorati, nec cito honor eorum deficiet, quia « *nimis,* » id est, valde « *confortatus est principatus eorum.* » Quippe, Eccli. X, 13, dicitur : *Principatus sensati stabilis erit.* Datus enim fuit eis spiritus ad robur in die Pentecostes. Luc. XXIV, 49 : *Sedete hic in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Luc. XXI, 15 : *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere adversarii vestri.* Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.*

18 « *Dinumerabo eos.* » Ecce tertium, scilicet sublimatorum et confirmatorum multiplicatio : et probatur multiplicatio comparatione ad Deum, a cujus sola sapientia numerabiles erunt. Secundo, comparatione ad populum Judaicum, ibi, « *Et super arenam.* »

Dicit ergo : Sic sublimati sunt amici tui, o Deus, sic eorum principatus confortatus, et tu dicere potes : « *Dinumerabo eos :* » ego cujus sapientia infinita, qui numero multitudinem stellarum : et ipsi sunt stellæ. Genes. xxii, 17 : *Multiplicabo semen tuum,* per imitationem dictum est Abrahæ, *sicut stellas cœli.* Mali autem non sunt numerabiles. Eccle. i, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.* Sed, Numerorum, i, 2 et seq., Qui poterant ad bella procedere, hi numerati sunt.

« *Et super arenam.* » Quasi diceret : Sic mihi soli erunt numerabiles : « *et multiplicabuntur super arenam maris,* » super plebem Judaicam, quæ arenæ sterili et infructuosæ comparatur. Isa. liv, 1 : *Multi filii desertæ,* Gentilitatis ad Deum conversæ, *magis quam ejus quæ habebat virum,* Judææ.

« *Exsurrexi.* » Hic tangitur causa, et ratio tantæ multiplicationis : et hoc dupliciter, Christi scilicet resurrectio, et communicatio virtutis et potentiæ cum Deo Patre, ibi, « *Et adhuc.* »

Et secundum hoc sic lege : Ita amici sunt honorati, et in honore confortati, et vehementer multiplicati, et « *exsurrexi* » a morte : « *et adhuc sum tecum,* » manens idem in potentia et virtute, propter quæ tanta credentium facta est multiplicatio. Ad Roman. vi, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur : mors illi ultra,* etc. Joan. x, 30 : *Ego et Pater unum sumus.* Et, viii, 29 : *Qui me misit, mecum est.*

Vel sic, ut sit causa hujus ultimi, scilicet quare magis multiplicati quam Judæi. Quasi diceret : Bene dico, quod multiplicabuntur super arenam, quia « *exsurrexi* » a mortuis scilicet, « *et adhuc sum tecum,* » lateo, et manifeste gloriosus appareo. Propter quod Judæi sunt arena adhuc. Isa. xlv, 14 : *Vere tu es Deus absconditus,* Judæis excæcatis usque in finem mundi. Sophon. iii, 8 : *Exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum.*

« *Si occideris, Deus, peccatores* [1]. » 19
Hic est quarta pars Psalmi, in qua agit Quarta pars Psalmi.
de divina justitia, ad monstrandum quod non vult fugere, nec separari a Deo. Et tangitur divina justitia, et interficiendo spiritualiter per subtractionem gratiæ, et æternaliter damnando in gehenna. Et in prima lectura loquitur Ecclesia tota, in secunda, caput Ecclesiæ. Duo ergo dicuntur, secundum primam lecturam. Primo, demonstrat divinam justitiam, cui concordat. Secundo, orat, ibi, ℣. 23 : « *Proba me, Deus.* »

In prima dicuntur tria. Primo, occisorum a Deo spiritualiter ruina, et dejectio in majorem culpam. Secundo, occasio tangitur ruinæ illorum, scilicet prava intelligentia verbi Dei, ibi, in medio ℣. 19 : « *Viri sanguinum.* » Tertio, probatio quod vere perverse intelligunt, ibi, ℣. 21 : « *Nonne qui oderunt ?* »

Dicit ergo : Domine, tam sapiens, tam potens, et tam benignus es, et justus, quia o « *Deus, si occideris,* » gratiam quæ est vita animæ subtrahendo, « *peccatores,* » hæreticos homines, et perversos, « *accipient civitates suas,* » congregationes suas, suorum credentium, « *in vanitate,* » id est, de vanis hominibus, et vana diligentibus conventicula congregabunt. Deus peccatores odit, Eccli.

[1] Vulg. habet, ℣℣. 19 et 20 : *Si occideris, Deus, peccatores, viri sanguinum, declinate a me ; quia dicitis in cogitatione : Accipient in vanitate civitates tuas.* Commentarius D. Alberti hos duos versiculos omnino miscet.

XII, 3 : *Altissimus odio habet peccatores.* Et propter hoc gratiam eis subtrahit, et sic occidit. Deuter. XXXII, 39 : *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Et tunc miseri ruent, et alios ad perditionem secum trahent. II Petr. II, 1 : *Fuerunt Pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis,* et secum vanos homines trahunt, sicut hic dicitur, hoc est, ignaros divinæ sapientiæ. Sapient. XIII, 1 : *Vani sunt homines, in quibus non subest scientia Dei.* Jerem. II, 5 : *Ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt.*

20 Et hoc, alia littera[1], « quia dices in cognitione, » tuorum scilicet : « *Viri sanguinum, declinate a me,* » hoc est, eos facies intelligere, quia a viris sanguinum est recedendum : et hoc ipsum dicere, Isa. LII, 11 : *Recedite, recedite, inde exite, pollutum nolite tangere.* Jerem. LI, 6 : *Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam.* Et hoc facit Dominus, ne inquinentur culpa, Ad Galat. V, 9 : *Modicum fermentum totam massam corrumpit*[2]. I ad Corinth. XV, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Et sint participes in pœna, Numer. XVI, 26 : *Recedatis a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinet, ne involvamini in peccatis eorum.*

21 « *Nonne qui oderunt te.* » Hic tertium, in quo probat quod vere male intelligunt : et hoc probat coram Domino, per quæstionem quam facit primo, et responsionem quam addit illi quæstioni, ibi, ℣. 22 : « *Perfecto odio.* »

In prima duo. Primo, quærit si non sit separatus corde, quamvis non corpore a malis, sicut separandos putant hæretici justos. Secundo, si non vehementer separatus, ibi, « *Et super inimicos.* »

Dicit ergo : Sic occasionem sumunt sibi conventicula colligendi, quod tuos jubes a malis separari, sed male intelligunt, quia, o « *Domine, nonne oderam* » ego semper, « *qui te oderunt?* » ut essem ab eis separatus corde, quamvis non corpore. Quasi diceret : Sic. Scio enim improperatum regi Josaphat a Propheta, II Paral. XIX, 2 : *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum amicitia jungeris.* Et, Apocal. II, 6, commendatur cui dicitur : *Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Deuter. VII, 2 : *Non inibis cum eis fœdus,* cum inimicis scilicet Dei. Inimici autem sunt, qui legem ejus non custodiunt. Gregorius : « Non regem diligi« mus, si legem ejus odio habemus. »

« *Et super inimicos tuos tabescebam,* » repete, nonne, et hoc ex ingenti odio illorum. Supra, in Psal. CXVIII, 13 : *Vidi prævaricantes, et tabescebam.* II ad Corinth. XI, 29 : *Quis scandalizatur, et ego non uror?*

« *Perfecto odio oderam.* » Hic datur responsio quæstioni præmissæ. Et primo, responsio ad primum. Secundo, ad secundum, ibi, « *Inimici facti sunt.* » 22

Dicit ergo : Sic quæro, si non odio malos, ut sim ab eis separatus corde, et respondeo : « *Perfecto odio oderam illos.* » Notandum enim, quod est odium malum, et malorum, quando oditur natura, I Joan. III, 15 : *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et est odium bonum, et hoc duplex. Imperfectum, et imperfectorum, quando rancor cordis dimittitur, tamen satisfactio repetitur, Matth. V, 43 : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Aliud perfectum, et perfectorum, quando totum dimittitur, et sola culpa persequitur, et est ira per

Odium malum et bonum.

[1] Littera Vulgatæ : *Quia dicitis in cogitatione.*

[2] Cf. I ad Corinth. V, 6.

zelum. De hac loquitur hic. Hanc habuit Phinees [1], et Moyses [2], quamvis etiam natura non evaserit impunita.

« *Inimici.* » Hic secundum. Quasi diceret : Bene quæsivi, si non tabescebam, quia vere sic : quia ipsi qui te oderunt, « *facti sunt mihi inimici,* » non solum tibi, ut possem dicere illud Luc. x, 16 : *Qui vos spernit, me spernit.*

Possunt legi hi quatuor versus de capite Christo facilius, ut ostendat Christus se inimicos Dei Patris et malos occisurum, sicut et Pater illos occidit morte æterna. Et primo, facit quæstionem. Secundo, responsione supposita addit probationem, quod vere responsum sit, ibi, « *Nonne qui oderunt?* »

Et in prima tangit tria. Primo, occisionem, per æternam mortem. Secundo, modum occisionis, ibi, « *Viri sanguinum.* » Tertio, causam, ibi, « *Quia dicitis.* »

Dicit ergo : Sic tecum sum postquam resurrexi, non tantum mansione, sed veritatis identitate : quia o « *Deus* » Pater, « *si occideris peccatores,* » eos æternaliter damnando, sicut et diabolum, sicut scriptum est, Isa. xxvii, 1 : *Occidet cetum qui in mari est :* supple, dicens : « *Viri sanguinum, declinate a me.* » Ecce modus occidendi, scilicet prolatio sententiæ separantis. Matth. xxv, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Et appellantur *viri sanguinum* carnales homines, et carnaliter affecti ad parentes affectione damnabili, sicut Prælati, quia sanguis affectio est carnalis, Habac. ii, 12 : *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus!* Et omnes peccatores generaliter, quia sanguis peccatum est, Osee, iv, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Et homicidæ specialiter, II Reg. vii, 5 : *Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Quasi diceret : Non, quia vir sanguinum es. Mich. vii, 2 : *Omnes in sanguine insidiantur.*

« *Quia dicitis.* » Ecce causa. Quasi diceret : Si occideris, « *quia* » vos « *dicitis,* » o miseri, « *in cogitatione,* » et consensu, quod est verum loqui, sicut probat Augustinus in libro de Trinitate : « *Accipient,* isti præcones, et prædicato- « res veritatis, *in vanitate civitates suas,* « æterna quæ sibi promittunt bona [3]. » In Psal. lxxxvi, 3, supra : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Vel, civitates dicit populorum congregationes. Act. xxviii, 22, dicebant de secta hac : *Notum est nobis quia ubique ei contradicitur.* Sancti enim sunt in contemptum, et quidquid prædicant, vanitas reputatur. Sapient. v, 3 et 4 : *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum.... Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore.* Si hos, inquam, occideris, numquid et ego illos non occidam? Quasi diceret : Sic : quia « *nonne qui te oderunt te?* » Et legitur omnino sicut supra.

Dominus ergo Jesus ipse occidet malos, et impios gladio oris sui. Isa. xi, 4 : *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Apocal. i, 16 : *De ore ejus procedebat gladius ex utraque parte acutus,* scindens animam et corpus. Propter hoc dicitur, Job, xix, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.*

« *Proba me, Deus.* » Hic orat post demonstratam Dei justitiam, ut inter impios manens, ex ipsorum consortio fructum assequatur, et proficiat. Dividitur autem pars ista in sex partes, secundum sex bona quæ solent provenire ex tribulatione a malis immissa. Primum, purgatio, et hanc primo petit. Secundum, approbatio a Deo : purgatos enim approbat Deus, ibi, « *Et scito cor.* » Tertio, conversio sui ad se per inquisitionem status, et conscientiam, et hoc tertio, 23

[1] Cf. Numer. xxv, 7 et seq.
[2] Cf. Exod. xxxiii, 19.
[3] S. Augustinus, Lib. XV de Trinitate.

ibi, « *Interroga me.* » Quartum, cognitio infirmitatis propriæ, et hoc quarto, ibi, « *Et cognosce.* » Quinto, apprehensio iniquitatis et culpæ, si aliqua est, et hoc quinto, ibi, ℣. 24 : « *Et vide si via.* » Sexto et ultimo, deductio ad æternam vitam, et hoc petit sexto, ibi, « *Et deduc me.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, quidquid sentiant hæretici, inter malos manens corpore, et separatus mente, rogo, « *Proba me,* » per illos, per tribulationes scilicet ab illis immissas. Ad Roman. v, 3 et 4 : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem,* etc. Sapient. iii, 6 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos,* scilicet electos suos Dominus. Propter hoc dicit Gregorius : « Si se salvari melius per tribulationem « non nosset, Psalmista non diceret : « *Proba me, et tenta me, Deus* [1]. »

« *Et scito,* » scientia approbationis, « *cor meum :* » approba ipsum tamquam vas aptum ad reponendum liquorem optimum gratiæ tuæ, imo teipsum. Sapient. iii, 6, postquam dixerat : *Tamquam aurum in fornace probavit illos,* scilicet electos, addit : *Et invenit illos dignos se,* id est, in quibus per gratiam suam inhabitet. E contrario de fatuo : Eccli. xxi, 17 : *Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit.*

« *Interroga me,* » hoc est, interius discute, id est, discutere me fac diligenter, et inquirere : hoc est enim tutum interrogare. Supra, in Psal. x, 6 : *Dominus interrogat justum, et impium.* Et hoc facit optime tribulatione mediante. Sapient. ii, 19 : *Contumelia et tormento interrogemus eum.* Gregorius : « Pœna « interrogat, si quis in prosperitate po- « situs me veraciter amat. »

« *Et cognosce,* » hoc est, cognoscere me fac, « *semitas meas,* » cogitationes, et consilia de corde meo pullulantia. Hæc sunt semitæ, de quibus, Proverb. ii, 8 : *Servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens.*

« *Et vide si via.* » Hic quintum. 24
Quasi diceret : Sic semitas fac cognoscere, « *et* » post « *vide,* » id est, videre me fac, « *si in me,* » in meis cogitationibus, et affectionibus, « *est via iniquitatis,* » et purga illam, et dirige per tribulationem. In Psal. xvi, 3, supra : *Probasti cor meum, et visitasti nocte : igne me examinasti, et* sic *non est inventa in me iniquitas,* quæ est torta in via, sed justitia, quæ est recta. Isa. xxvi, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.*

« *Et deduc me.* » Ecce sextum et ultimum. Quasi diceret : Sic purga, approba, discute, cognoscere fac infirmitatem, et mores, « *et* « sic tandem, « *deduc me,* » ad vitam æternam, juxta illud Proverb. iv, 11 : *Ducam te per semitas æquitatis.* Et me, inquam, existentem, « *in via æterna.* » Habac. iii, 19 : *Super excelsa deducet me victor in psalmis canentem.*

Legitur et de capite Christo, et est plana littera in Glossa. Secure enim homo Christus petiit, et petere potuit Patrem, ut probaretur, cognosceretur, et discuteretur, quia in ipso via iniquitatis non poterat inveniri : et ut a Verbo cui uniebatur, tandem in dextera Patris collocaretur, sicut et factum est in die Ascensionis ejus, quo et ipse deducat nos, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hic habetur in Vulgata : *Proba me, Deus, et scito cor meum* ; in Psal. xxv, 2, habetur : *Proba me, Domine, et tenta me.*

PSALMUS CXXXIX.

Orat pro sua salute : hostibus imprecatur.

1. In finem, Psalmus David.
2. Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo eripe me.
3. Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prœlia.
4. Acuerunt linguas suas sicut serpentis [1] : venenum aspidum sub labiis eorum.
5. Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me :
Qui cogitaverunt supplantare gressus meos :
6. Absconderunt superbi laqueum mihi,
Et funes extenderunt in laqueum : juxta iter scandalum posuerunt mihi.
7. Dixi Domino : Deus meus es tu : exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.
8. Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.
9. Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori : cogitaverunt contra me : ne derelinquas me, ne forte exaltentur.
10. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.
11. Cadent super eos carbones : in ignem dejicies eos : in miseriis non subsistent.
12. Vir linguosus non dirigetur in terra : virum injustum mala capient in interitu.
13. Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, et vindictam pauperum.
14. Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo : et habitabunt recti cum vultu tuo.

IN PSALMUM CXXXIX

COMMENTARIUS.

« *In finem, Psalmus David* [2]. »

« *Eripe me, Domine, ab homine malo.* » Hic est Psalmus centesimus trigesimus nonus in toto libro, trigesimus nonus in tertia parte libri.

Postquam enim in Psalmo præcedenti ostendit se a Deo non recessurum, nec conjungendum malis mente, etsi conjungatur illis corpore, quia boni adhuc conjuncti malis corpore, multa sustinent ab eis, hic petit eripi ab eis, et inter illos interim conservari, non attribuens viribus suis, sed magis potentiæ divinæ conservationem sui : et præponitur titu- *Propheta inter malos constitutus, ab eis eripi postulat.*

[1] Sapient. v, 15 ; ad Roman. iii, 13.

[2] C'est pendant la persécution de Saul probablement que David fit ce psaume, à l'occasion de la conduite de Doeg, I Reg., xxii, ou de la trahison des Ziphéens, xxvi. Le syriaque, Théodoret, Thalhofer, Jennings, Johnson, etc.,

lus satis planus, scilicet hic : « *In finem, Psalmus David.* » Et est sensus : Hic «*Psalmus* » ordinans nos « *in finem,* » id est, Christum, qui est, sicut dicitur, ad Roman. x, 4, *finis legis... omni credenti*[1], est « *David,* » congregationis justorum, in Ecclesia ad Deum clamantium, qui bene dicitur David propter fortitudinem et spiritualem pulchritudinem. Fortitudine stat contra adversarium, pulchritudine placet Deo.

Dividitur autem Psalmus in duas partes principaliter. In prima petit ab iniquis et malis perfecte liberari. In secunda, describit diligentius mala malorum bonos persequentium, et bona justorum quos ipsi persequuntur, ibi, ℣. 10 : « *Caput circuitus eorum.* »

In prima autem dicuntur duo. Primo enim petit eripi a pœna, et miseria, quam infligunt mali. Secundo, ab ipsa culpa, in quam dejicere intendunt, ibi, ℣. 7 : « *Dixi Domino : Deus.* »

In prima duo. Primo, petit. Secundo, necessitatem, qua petit, ostendit, ibi, ℣. 3 : « *Qui cogitaverunt.* »

In prima duo. Primo, petit eripi a malo generaliter, qui nocet sibi vel alii. Secundo, ab iniquo specialiter, qui nocet alii proprie, ibi, ℣. 2 : « *A viro iniquo.* »

2 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic, Domine, fugere te non possum, inter malos habito corpore, etsi sim separatus mente : sed o « *Domine,* » rogo, « *eripe me ab homine malo,* » singulare ponit pro plurali, id est, ab hominibus malis : sicut in Psal. CIV, 34 : *Dixit et venit locusta, et bruchus.* Homo malus, etiam ipse diabolus potest dici, sicut vult hic Glossa : qui *homo* dicitur, Matth. XIII, 28 : *Inimicus homo hoc fecit.* Qui dicitur *homo*, vel ab homine quem dejicit, sicut Scipio Africanus. Vel, quia voce articulata quæ est hominis propria, contra primum hominem usus est. Vel, quia sub similitudine rationis decepit. De hoc dicitur in Psal. IX, 20 : *Exsurge, Domine, non confortetur homo.* Et ab hoc Dominus suos eripit tamquam bonus pastor oviculam a sævissimo leone. Amos, III, 12 : *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel.* Vel, ab homine malo proprie, quocumque scilicet peccatore, qui malus est sibi nocendo, etsi iniquus non sit alii malum inferendo.

Et « *a viro iniquo,* » diabolo, qui *vir* etiam potest dici, propter perversam quam habet fortitudinem. Ipse est de quo dicitur, Luc. XI, 21 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum,* etc. Vel, « *a viro iniquo,* » homine scilicet alii nocente, « *eripe me,* » sicut et facit, Job, XXXVI, 15 : *Eripiet de angustia sua pauperem.* Et, Eccli. LI, 16 : *Eripuisti*

le rapportent à cette époque ; rien n'autorise vraiment à le reculer, avec Delitzsch, jusqu'à la révolte d'Absalon. On remarque qu'il a beaucoup d'analogies avec les psaumes LVII et LXIII, et il porte si clairement le cachet des œuvres de David, tant pour le style que pour les pensées, qu'on ne peut élever aucun doute sérieux sur le titre qui l'attribue au pieux roi.

David est la figure du Messie persécuté : c'est pourquoi l'Eglise a inséré le psaume dans les vêpres du Jeudi et du Vendredi-saint. Le Sauveur souffrant « loquitur in psalmo ex in« firmitatis nostræ quam assumpsit affectu ». S. Hilar. Le psalmiste représente aussi le chrétien en butte aux attaques des ennemis du salut : c'est à ce point de vue que fut faite la prière suivante extraite par Thalhofer du bréviaire mozarabe : « Domine Deus, virtus « salutis nostræ, obumbra caput nostrum in « diebus belli, ne insidiis quatiamur inimici, « nec latentia sub invidorum labiis hauriamus « venena ; et quia tu facis judicium inopis « et vindictam pauperis, contemptum nostræ « abjectionis bonitatis tuæ compensa divi« tiis. »

H. LESÊTRE.

[1] Ad Roman. x, 4 : *Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti.*

me de tempore iniquo. Et Petrus, Act. xii, 11 : *Eripuit me de manu Herodis.*

3 « *Qui cogitaverunt iniquitatem.* » Hic secundum, in quo ostendit petitionis necessitatem, scilicet adversariorum malitiam. Et primo, ostendit malitiam cordis. Secundo, oris, ibi, ℣. 4 : « *Acuerunt.* » Tertio, operis, ibi, ℣. 5 : « *Custodit me.* »

Malitiam cordis notat esse occultam, ibi, « *Qui cogitaverunt iniquitates in corde.* » Continuam, ibi, « *Tota die.* » Et firmatam, ibi, « *Constituebant.* »

Ait ergo : Sic peto necessitate compulsus, « *qui,* » id est, quia illi, scilicet mali, et iniqui, « *cogitaverunt iniquitatem in corde,* » interius in profundo, et occulto. Jerem. xvii, 9 : *Pravum est cor omnium, et incrustabile, quis cognoscet illud ?* Sapient. i, 9 : *In cogitationibus impii interrogatio erit,* a summo et vero judice. Mich. ii, 1 : *Væ qui cogitatis inutile!* Ergo multo magis, Væ qui cogitatis iniquitatem! Eccli. xii, 15 : *In corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.* Jerem. xi, 19 : *Cogitaverunt super me consilia,* scilicet iniqua.

« *Tota die,* » continue, « *constituebant,* » firmiter statuendo, « *prælia adversum me,* » ut me impugnarent, discordias seminarent, et dissentiones. Quantum ad primum, Jerem. xx, 10 : *Prævaleamus adversus eum, et consequamur ultionem ex eo.* Jerem. xviii, 23 : *Tu, Domine, scis omne consilium eorum adversum me in mortem.* Quantum ad secundum, Proverb., vi, 16 : *Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus.* Et illud est, ℣. 19 : *Eum qui seminat inter fratres discordias.* Jerem. xi, 9 : *Inventa est conjuratio in viris Juda, et in habitatoribus Jerusalem.*

4 « *Acuerunt linguas suas.* » Hic tangit persecutionem oris. Et primo, ostendit esse acerbam. Secundo, dolosam, ibi, *Sicut serpentes.* » Tertio, malignam, ibi, *Venenum aspidum.* »

Ait ergo : Sic persequuntur corde, et etiam, « *acuerunt linguas suas,* » acerbis verbis, ut maledictis penetrantibus. Supra, in Psal. liv, 10 : *Exacuerunt ut gladium linguas suas :* quæ docent loqui mendacia. Jerem. ix, 5 : *Docuerunt linguam suam loqui mendacium.*

Et hoc, « *sicut serpentes.* » Eccle. x, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Proverb. xxiii, 32 : *Ingreditur blande, sed in fine mordebit ut coluber.*

« *Venenum aspidum,* » ecce tertium, « *sub labiis eorum,* » sub verbis de labiis eorum procedentibus. Deuter. xxxii, 33 : *Venenum aspidum insanabile.* Job, xx, 12 : *Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.*

« *Custodi me, Domine.* » Hic tangitur malitia et persecutio in opere. Et dicuntur quatuor. Primo, persecutio. Secundo, persecutionis intentio, ibi, « *Qui cogitaverunt.* » Tertio modus, ibi, ℣. 6 : « *Absconderunt.* » Quarto, finis, ibi, « *Et funes.* » 5

Dicit ergo : Sic cogitant, sic loquuntur, et etiam o « *Domine, custodi me de manu,* « de potestate, « *peccatoris,* » scilicet dæmonis, qui dicitur recte *peccator,* et propter consuetudinem peccandi, non enim cessavit ab initio : et propter quantitatem peccati, quia homicida. Joan. viii, 44 : *Ille homicida erat ab initio.* Habac. i, 17 : *Semper interficere Gentes non parcet.* Sed de manu ejus suos liberat. Genes. ix, 5 : *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Jerem. xv, 20 et 21 : *Eruam te, dicit Dominus : et liberabo te de manu pessimorum, et redimam te de manu fortium.*

« *Et ab hominibus iniquis,* » exterius nocentibus opere, « *eripe me.* » I Reg. xvii, 37 : *Dominus qui eripuit me de*

manu leonis, et de manu ursi, ipse liberabit me de manu Philistæi hujus. Job, v, 15 : *Salvum faciet egenum a gladio oris eorum, et de manu violenti pauperem.*

« *Qui cogitaverunt.* » Hic tangitur persequentium intentio.

Quasi diceret : Sic me custodi ab his persequentibus me facto et opere, « *qui cogitaverunt supplantare gressus meos,* » quibus ambulabam in via Dei, abstrahendo me ab illa. Ecce eorum intentio. Proverb. iv, 16 : *Et rapitur somnus ab eis, nisi supplantaverint.* Jerem. ix, 4 : *Omnis frater supplantans supplantabit,* si potest : sed Dominus suos custodit. In Psal. xxxvi, 31, supra : *Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus.*

6 « *Absconderunt superbi.* » Hic modus supplantandi, quia latenter.

Ait enim : Sic persequuntur, et hac intentione, et hoc modo, « *superbi,* » dæmones, et homines mali, et elati, « *absconderunt,* » latenter, « *laqueum mihi,* » ipsam scilicet persecutionem, per ipsam intendentes me dejicere in culpam impatientiæ, et blasphemiæ. Jerem. v, 26 : *Inventi sunt in populo meo impii insidiantes quasi accupes, ponentes laqueos et pedicas ad capiendos viros.* Job, xviii, 10 : *Abscondita est in terra pedica ejus, et decipula illius super semitam.* Et diabolus similiter, Genes. iii, 15 : *Tu insidiaberis calcaneo ejus.* Vel, « *absconderunt,* » sub prosperitate laqueum superbiæ. I ad Timoth. iii, 6 : *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.*

« *Et funes.* » Hic quartum, in quo ostendit quis finis persecutionis, quia ut illaqueent per culpam. Secundo, ut illaqueatum dejiciant, et ruere faciant in gehennam, ibi, « *Juxta iter.* »

Dicit ergo : Sic persequuntur latenter, « *et extenderunt funes,* » propriorum peccatorum, qui in me operantur me affligendo, vel mihi ostendendo, « *in laqueum,* » trahentem ruereque facientem in culpam. Proverb. v, 22 : *Funibus peccatorum suorum* quisque *constringitur.* Proverb. vii, 16 : *Intexi funibus lectulum meum,* cor meum scilicet, in quo quiescere debui. Eccle. iv, 12 : *Funiculus triplex difficile rumpitur :* peccatum cordis, oris, operis.

« *Juxta iter.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Extenderunt funes, ut illaqueent faciendo ruere in culpam, et etiam « *posuerunt scandalum,* » in quo cespitarem, et ruerem in infernum, « *mihi juxta iter,* » non in itinere. Laqueus et scandalum ruere faciens in infernum, est perseverans peccatum : sed juxta iter est, quando videtur esse bonum, vel modicum malum. Vera enim via, verum iter eundi ad Deum, sunt ejus præcepta. Isa. xxxv, 8 : *Hæc erit vobis directa via, ut stulti non errent per eam.* Et, xxx, 21 : *Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Juxta viam ergo ponitur scandalum, quando proponitur malum, quod apparet bonum. Augustinus ad Hieronymum : « Quædam sunt vitia virtutibus similia, « ut prudentiæ astutia, tenacitas parci- « moniæ, audacia fortitudini, pertinacia « constantiæ. »

« *Dixi Domino.* » Hic secunda pars 7
primæ partis hujus Psalmi, in qua ut liberatus non recidat, petiit, sicut ipsemet dicit. Quatuor autem dicuntur in hac parte. Primo, quod dirigens cor ad Deum ipsum, vere Deum confessus sit. Secundo, quod exaudiri petiit, ibi, « *Exaudi, Domine.* » Tertio, quare Deum ipsum confessus sit, ibi, ỳ. 8 : « *Domine, Domine, virtus.* » Quarto, quid petierit, ibi, ỳ. 9 : « *Ne tradas me a desiderio.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, eripe me ut

petii, et o vos omnes, scire debetis quoniam « *dixi Domino,* » cor dirigens ad ipsum : « *Deus meus es tu.* » Baruch, III, 6 : *Tu es Dominus Deus noster : et laudabimus te, Domine.* Deuter. XXVI, 17 : *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus,* etc.

Et hoc etiam dixi : « *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.* » Quia humilio me in hac confessione, et hoc tibi placet. Judith, IX, 6 : *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Daniel. IX, 17 : *Exaudi, Deus noster, orationem servi tui.*

8 « *Domine, Domine, virtus.* » Hic assignat causas suæ confessionis, scilicet quare Deum suum et Dominum reputat : et sunt duæ. Prima, quia gratiam veniendi ad salutem præstat. Secunda, quia in æstu tribulationum, et tentationum ardore refrigerat, ibi, « *Obumbrasti super.* »

Dicit ergo : Dixi quod Deus meus es tu, et verum dixi : quia o « *Domine, Domine* : » *Domine* per creationem, *Domine* per recreationem, supple, tu es « *virtus salutis meæ,* » virtus scilicet, qua pervenitur ad salutem. Daniel. II, 20 : *Sapientia et fortitudo ejus sunt.* II Reg. XXII, 2 : *Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus.*

« *Obumbrasti super.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic veritatem præstas, et etiam « *obumbrasti,* » refrigerium præstando, « *super caput meum,* » mentem scilicet meam, robur gratiæ et rorem infundendo, « *in die belli,* contra tentationum et tribulationum ardorem. Sapient. XIX, 7 : *Nubes castra eorum obumbrabat.* Eccli. XXXIX, 19 : *Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, et umbraculum meridiani.* Et, Isa. IV, 5 et 6 : *Super hominem gloriæ protectio, et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu*[1]. Ab æstu belli tentationum, et tribulationum. De quo, Job, XL, 27 : *Memento belli, nec ultra addas loqui.* Isa. XXVIII, 5 et 6 : *Erit Dominus... fortitudo revertentibus de bello ad portam.*

« *Ne tradas me.* » Hic quartum, in quo determinat quid a Deo petierit, quia duo. Primo, ne tradatur per recidivum culpæ, in manus diaboli. Secundo, ne dimittatur si forte contingat recidivare, ibi, « *Ne derelinquas me.* » 9

In prima duo. Primo, determinat quid petat. Secundo, causam assignat quare debeat exaudiri, ibi, « *Cogitaverunt contra me.* »

Dicit ergo : Sic Dominum rogavi, ut exaudiret, vocans ipsum Deum meum, dicens in petitione mea hoc : O « *Domine, ne tradas me,* » id est, ne permittas me tradi, « *peccatori,* » id est, diabolo : et hoc, « *a desiderio meo,* » id est, per desiderium meum. Quasi diceret : Ad hoc ut iterum non tradar diabolo, si ereptus a te fuero, oportet quod interveniat desiderium meum. Et hoc verum est. Eccli. XVIII, 30, dicitur propter hoc : *Fili, post concupiscentias tuas non eas.* Et, Psal. XXXVII, 10 : *Ante te omne desiderium meum.* Et, Isa. LI, 23 : *Incurvare ut transeamus.* Quasi diceret : Non possumus transire, nisi te incurves. Et est argumentum, quod diabolus non est immissor malarum cogitationum, sed tantum incensor malorum desideriorum. Isa. LIV, 16 : *Ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas.*

« *Cogitaverunt.* » Ecce ratio quare debet exaudiri.

Ait enim : Sic non me tradas, nec debes propter eorum malitiam : quia « *cogitaverunt contra me :* » et non dicit quid, ut innuat quod omne malum co-

[1] Vulg. habet, Isa. IV, 5 et 6 : *Super omnem gloriam protectio. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu,* etc.

gitaverunt simul. Jerem. xviii, 23 : *Tu, Domine, scis omne consilium eorum adversum me.* Hic jam tertio repetit de mala eorum cogitatione, quia cogitant subvertere per illum infamem ternarium, de quo, I Joan. ii, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est*, etc.

« *Ne derelinquas me.* » Hic secundum, in quo petit quod non derelinquatur. Et primo, petitio. Secundo, persuasio, ibi, « *Ne forte.* »

Dicit ergo : Sic rogo, Domine, ne me tradas, et etiam si tradideris, « *ne derelinquas me*, » in eorum manibus, ne cogar dicere illud Isa. xlix, 14 : *Et dixit Sion : Dereliquit me Dominus.* Ad Hebr. xiii, 5 : *Non te deseram, neque derelinquam* [1].

« *Ne forte.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic ne derelinquas me : et hoc, Domine, si non alia ratione, ista fac : « *Ne forte exaltentur.* » Deuter. xxxii, 27 : *Propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent : Manus*, etc. Esther, xiv, 11 : *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram.* Eccli. xxiii, 3 : *Ne incidam in conspectu adversariorum nostrorum, et gaudeat super me inimicus meus.*

10 Secunda pars Psalmi. « *Caput circuitus.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in qua describit mala persequentium bonos. Secundo, bona et præmia persecutorum, scilicet justorum. Et secundum hoc dicuntur duo. Primo, tanguntur impiorum mala. Secundo, justorum bona, ibi, « *Cognovi quia faciet.* »

Et sunt septem, et secundum hoc, septem dicuntur in hac parte. Primum malum est intentionis illorum frustratio. Secundum, labor in mentiendo, cooperiendo iniquitatem suam, ibi, « *Labor labiorum.* » Tertium, naturalium bonorum corruptio per peccatum, ibi, ℣. 11 : « *Cadent super eos.* » Quartum, in peccatum præcipitatio, ibi, « *In ignem dejicies.* Quintum, defectio in tribulationibus, ibi, « *In miseriis.* » Sextum, ineptitudo ad correctionem, ibi, ℣. 12 : « *Vir linguosus.* » Septimum, æterna damnatio, ibi, « *Virum injustum.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, rogavi eripi, non tradi, non derelinqui in manus iniquorum : « *Caput* » enim, id est, intentio, « *eorum* » est « *circuitus*, » id est, sine fine, et quasi circularis, non intendit in directum ad te. Vel aliter secundum Glossam, duobus modis. Uno modo, ut *circuitus* sit genitivi casus, et continuatur sic : Domine, obumbrasti super caput meum, sed caput omnium vitiorum, scilicet superbia, Tob. iv, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas, quia ex ipsa sumpsit initium omnis perditio* : est umbraculum « *circuitus eorum*, » vitæ scilicet eorum, quæ tota est in circuitu. Judic. xvi, 21, Samson excæcatus a Philisthiim, positus est ad molam. Psal. xi, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Isa. xix, 14 : *Miscuit Dominus in medio ejus*, scilicet Ægypti, *spiritum vertiginis.* Vel sic, ut iterum sit nominativi casus : Domine, convertas caput meum, sed caput malorum est circuitus, id est, diabolus, qui emphatice dicitur *circuitus*, quia circuire non cessat. Job, i, 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* I Petr. v, 8 : *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit*, etc.

« *Labor labiorum.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic intentio eorum circularis et frustrata, quia finem non habet : et etiam « *labor labiorum ipsorum*, » quæ sunt labia mendacia, hoc est, mendacium magno labore paratum, et multiplicatum. Osee, ii, 1 : *Tota die mendacium et vastitatem multiplicat.* « *Operiet eos*, » defendet scilicet eos.

[1] Cf. Josue, i, 5.

Proverb. x, 6 : *Os impiorum operit iniquitas.* Isa. xxviii, 15 : *Mendacio protecti sumus.*

11 « *Cadent super eos.* » Hic tertium, scilicet bonorum naturalium corruptio, per concupiscentiæ ardorem.

Ait enim : Sic frustrabitur eorum intentio, et mendacio laborioso protegentur, et etiam « *carbones,* » concupiscentiæ ardentes, « *cadent super eos,* » comburent scilicet, et inflammabunt eos. Hi carbones, de quibus, Proverb. vi, 27 et 28 : *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Et, Isa. liv, 16 : *Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas.* Vel, carbones in bono possunt accipi, ut sit sensus : « *Carbones,* » Sancti scilicet, per ignem Spiritus sancti vivificati, « *cadent super eos,* » illos opprimient, sicut bonos promovent. Hi carbones, de quibus supra, Psal. cxix, 4 : *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis.*

Carbones in bonam et malam partem sumuntur.

« *In ignem dejicies eos.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Permitte quod ruant in culpam : de quo igne, supra, in Psal. lvii, 9 : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Joel. i, 19 : *Ignis comedit speciosa deserti.* Thren. ii, 3 : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.*

« *In miseriis.* » Ecce quintum, defectio in adversitatibus.

Ait enim : Sic carbones cadent super eos, et ipsi « *non subsistent,* » tamquam virtutibus et patientia stabiliti, « *in miseriis,* » in adversitatibus, in tribulationibus suis, sed magis ruent : quippe, Matth. vii, 25 et 27, dicitur : *Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt super domum illam, et cecidit,* quoniam super arenam, non super petram Christum fundata erat. Thren. i, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.*

« *Vir linguosus.* » Hic tangitur sextum malum, scilicet ad correctionem ineptitudo. 12

Ait enim : Sic cadent per impatientiam : et vere, quia « *vir linguosus,* » cui voluptas sine attentione et deliberatione loqui, « *non dirigetur* » per correctionem, « *in terra* » hac in qua miseri degimus. Linguosus enim patitur egestatem omnis boni, Proverb. xiv, 23 : *Ubi verba plurima, ibi frequenter egestas.* Acquirit cordis immunditiam, Numer. xix, 15 : *Vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* Animæ angustiam, Proverb. xxi, 23 : *Qui custodit os suum et linguam suam, custodit animam suam.* Ab angustiis dejicitur in culpam, Proverb. x, 19 : *In multiloquio non deerit peccatum.* Accendit propriam concupiscentiam, Jacob. iii, 5 et 6 : *Lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat... Et inflammat rotam nativitatis nostræ.* Odit correptionem, Eccli. xxiii, 20 : *Homo assuetus in verbis improperii, omnibus diebus suis non erudietur.*

Mala quibus vir linguosus est obnoxius.

« *Virum injustum.* » Hic tangitur septimum et ultimum.

Ait enim : Hæc mala erunt impio, et injusto in præsenti, et tandem « *in interitu capient mala virum injustum :* » si hic capiunt justum, tamen in morte evadet illa. Proverb. xiv, 11 : *Domus impiorum delebitur.* Et, ibidem, ℣. 32 : *In malitia sua expelletur impius.* Et tunc a Deo irridebuntur, Proverb. i, 25 et 26 : *Increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo,* etc. Psal. ii, 4 : *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus,* etc. Et confundentur, capti a suis iniquitatibus, Jerem. ii, 26 : *Quomodo confunditur fur, quando compre-*

henditur, sic confusi sunt domus Israel. Eccle. IX, 12 : *Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.*

13 « *Cognovi quia faciet.* » Hic subjungit de bonis, et præmiis justorum. Et tanguntur quatuor. Primum, probatio sententiæ pro se, et contra inimicos in judicio. Secundum, ultio de ipsis inimicis, qui eos afflixerunt, ibi, « *Et vindictam.* » Tertium, confessio laudis pro judicio et vindicta, ibi, ỳ. 14 : « *Verumtamen justi.* » Quartum, aperta Dei cognitio, ibi, « *Et habitabunt.* »

Dicit ergo : Hæc erunt malis, et impiis, quæ enumeravi : sed ego « *cognovi,* » certa cognitione fidei, « *quia Dominus faciet judicium inopis,* » oppressi a potente. Nec appellatur *inops* qui deficit rebus, sed qui virtutes esurit et sitit. Isa. XI, 4 : *Judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Proverb. XXII, 22 : *Non facias violentiam pauperi quia pauper est, nec conteras egenum in porta, quia judicabit Dominus causam ejus.* Et, Proverb. XXIII, 10 et 11 : *Ne attingas parvulorum terminos, et agros pupillorum ne introeas : propinquus enim illorum fortis est, et ipse judicabit contra te causam illorum.*

« *Et vindictam.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Dabit sententiam inopis, « *et* » etiam faciet « *vindictam pauperum,* » hoc est, pro pauperibus. Ad Roman. XII, 19 : *Mihi vidicta, ego retribuam* [1]. Eccli. XXVIII, 1 : *Qui vindicari vult a Domino, inveniet vindictam.*

« *Verumtamen justi.* » Hic tertium. 14
Quasi diceret : Judicabuntur pro justis, et vindicabuntur : « *Verumtamen* » ipsi « *justi,* » non attribuentes sibi bona illa, « *confitebuntur,* » confessione laudis, et gratiarum actionis, « *nomini tuo,* » nominabili potentiæ, et benignitati tuæ, dicentes illud Apocal. XIX, 7 : *Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam Deo.* Isa. LI, 11 : *Venient in Sion laudantes* [2]. Et rursus, Isa. LI, 3 : *Gaudium, et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.*

« *Et habitabunt.* » Hic est quartum beneficium. Quasi diceret : Sic laudabunt, « *et recti,* » ipsimet qui justi dicti sunt, « *habitabunt cum vultu tuo,* » hoc est, in præsentia vultus tui, quem videre est summa delectatio et æterna vita. Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te,* aperta visione, *solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.* Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem,* etc. I Joan. III, 2 : *Videbimus eum sicuti est.* Et est vera satietas sine fastidio. In Psal. XVI, 15, supra : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Isa. LX, 5 : *Tunc videbis et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum.* Ad quam visionem et affluentiam perducat nos, qui est benedictus, etc.

[1] Cf. Deuteron. XXXII, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.*

[2] Isa. XXXV, 10 : *Venient in Sion cum laude : et lætitia sempiterna super caput eorum : gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.*

PSALMUS CXL.

Petit regi a Domino tempore persecutionis.

1. Psalmus David.
Domine, clamavi ad te, exaudi me : intende voci meæ, cum clamavero ad te.
2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.
3. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.
4. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis
Cum hominibus operantibus iniquitatem : et non communicabo cum electis eorum.
5. Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum,
Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum.
6. Absorpti sunt juncti petræ judices eorum :
Audient verba mea, quoniam potuerunt.
7. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram,
Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.
8. Quia ad te, Domine, Domine, oculi mei : in te speravi, non auferas animam meam.
9. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.
10. Cadent in retiaculo ejus peccatores.
Singulariter sum ego, donec transeam.

IN PSALMUM CXL

COMMENTARIUS.

« *Psalmus David* [1]. »

« *Domine, clamavi ad te.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus in toto libro, in tertia vero parte quadragesimus. Secundum Glossam autem, non diversa dicuntur in hoc Psalmo quam in aliis præcedentibus, maxime ad orationem pertinentibus, sed aliis verbis repetitur, quod superius dictum est : quia, sicut dicit Glossa, sæpius oportet commemorari quod cogit mundus oblivisci. Et propterea non sufficit semel orasse, sed necesse est in oratione perseverare, sicut Dominus docuit discipulos suos,

[1] Il est impossible, dit M. l'abbé Lesêtre, de déterminer l'occasion qui inspira ce psaume à David. Delitzsch (qui le fait composer plutôt à la manière de David que par David lui-même) et Perowne le croient du temps de la révolte d'Absalon. M. Le Hir le rapporte à la mort de Saül, et à la nouvelle qui en fut annoncée à David ; Théodoret, dans son commentaire, fait

Luc. xviii, 1 : *Oportet semper orare, et non deficere.* II ad Thessal. v, 17 : *Sine intermissione orate.* Hic igitur petit quod superius petiit, scilicet liberari a præsentibus miseriis hujus mundi, ut possit divinis laudibus liberius vacare.

Propheta iterum petit ut a miseriis hujus sæculi liberetur.

Præposito ergo titulo communi et plano, ut patet, « *Psalmus David,* » supponitur Psalmus in duas partes divisus. In prima enim excitat judicem. Secundo, excitato judice, explanat quid petat, ibi, ỳ. 3 : « *Pone, Domine, custodiam.* »

In prima tria dicuntur. Primo, petit ut audiat orationem. Secundo, quod exaudiendæ attendat, ibi, « *Intende voci meæ.* » Tertio, ut acceptam habeat post attentionem, ibi, ỳ. 2 « *Dirigatur oratio.* »

In prima duo dicuntur. Primo, præmittit rationem, quare debeat audiri. Secundo, addit exsecutionem, ibi, « *Exaudi me.* »

I

Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Domine, clamavi,* » tam diu est, non modo clamo primo, « *ad te,* » et non ad alium. In hoc quod dicit, *Clamo,* monstrat orationem suam fuisse devotam. In hoc quod dicit, *Ad te,* directam : et propter hoc,

« *Exaudi me,* » bona ratio : audit enim Deus libenter clamorem conquestionis, de quo, Joel, i, 19 : *Ad te, Domine, clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti.* Et clamorem necessitatis, quo clamabant filii Israel, Exod. iii, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus,* quia dura necessitate opprimebatur in Ægypto, *audivi.* Sed libentius valde clamorem devotionis, de quo hic, et Exod. xiv, 15, dictum est ad Moysen ex devotione cordis clamantem : *Quid clamas ad me ?* Et propter hoc dicitur, Isa. lviii, 9 *Vocabis, et Dominus exaudiet, clamabis, et dicet : Ecce adsum.*

« *Intende voci.* » Ecce secundum, in quo petit quod intendat. Et primo, petit. Secundo, determinat tempus, quando potissime debeat intendere, ibi, « *Cum clamavero.* »

Ait ergo : Sic exaudi, et etiam « *intende voci meæ.* » Daniel. ix, 19 : *Exaudi Domine : placare, Domine : attende, et fac.* Quando ? « *Cum clamavero ad te.* » clamoribus prædictis, et potissime si clamavero clamore laudis, de quo, Isa. vi, 3 : *Clamabant alter ad alterum : Sanctus, sanctus, sanctus,* etc.

aussi allusion à cette circonstance. Pour Hingstenberg, le psalmiste est sous l'impression de ce qui se passa à la caverne d'Engaddi, I Reg., xxiv. Il nous semble qu'on pourrait donner une assez plausible explication en se rappelant ce qui est raconté, I Reg., xxiii, 26, 27 ; David est sur la montagne au désert de Maon ; il est cerné et il va être pris, quand on annonce à Saül une irruption des Philistins. Aussitôt le roi et ses gens se précipitent pour courir aux ennemis, et David est momentanément délivré. En tout cas on peut conclure de la lecture du texte que David entouré d'ennemis, ne veut point imiter leur malice et conjure le Seigneur de le protéger : sa prière reçoit même un commencement d'exécution, autant du moins qu'on peut le comprendre au ỳ. 6. Le psaume est difficile à expliquer, tant à cause de l'obscurité de plusieurs versets que de l'ignorance où nous sommes des circonstances précises dont veut parler le psalmiste. Olshausen et Hupfeld regardent le texte comme corrompu ; les difficultés qu'il présente ne suffisent certainement pas pour légitimer cette opinion.

Le psaume se rapporte au Messie souffrant, comme le précédent et le suivant, et l'Eglise en fait le même usage. Les *constitutions apostoliques,* viii, 35, le prescrivent comme chant du soir. S. J. Chrysostôme en donne la raison : « Multi possunt inveniri psalmi qui vespertino « tempori conveniant. Non propterea hunc « psalmum decreverunt patres, sed tamquam « salutare aliquod pharmacum et peccatorum « piaculum, ut is diceretur, constituerunt, ut « quæcumque sordes aut maculæ fuerint a no- « bis toto die susceptæ, dum vel in foro vel do- « mi, vel in quocumque alio loco versamur, eas « cum ad vesperum pervenerimus, per spiri- « tuale hoc carmen abstergamus. »

2 « *Dirigatur oratio.* » Hic tertium, in quo petit quod acceptam habeat orationem. Et primo, quod acceptet orationem oris. Secundo, orationem operis, ibi, « *Elevatio.* »

Dicit ergo : Sic audi, sic attende, et etiam « *oratio mea dirigatur in conspectu tuo,* » tamquam tibi placens : et hoc, « *sicut incensum,* » dirigitur sursum, ut procedat fumus devotionis de igne charitatis. Apocal. VIII, 4 : Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini [1]. Et, V, 8 : *Habentes phialas aureas*, corda charitativa, *plenas odoramentorum*, devotionis, *quæ sunt orationes sanctorum.* Propter hoc dicitur de sancta anima, Cantic. III, 6 : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum,* non in se, sed in sua oratione, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris?* Et nota ordinem, quod primo debent esse aromata myrrhæ, mortificationis scilicet propriæ carnis : et postea thuris, scilicet devotæ orationis. Hinc est quod in dispositione tabernaculi, de altari holocaustorum procedebant ad altare incensorum [2].

Orationem debet præcedere carnis mortificatio.

« *Elevatio.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic sit oratio accepta in ore, et « *elevatio manuum mearum,* » sit tibi « *sacrificium vespertinum,* » hoc est, placeat tibi, sicut illud sacrificium. Elevatio manuum est bona operatio. Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* I ad Timoth. II, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus*, scilicet ad Deum. Hanc elevationem vult Deo esse placitam, sicut sacrificium vespertinum. Erat enim sacrificium matutinum, et vespertinum, sicut legitur, Exod. XXIX, 38 et seq. : sed vespertinum plus placebat in figura illius sacrificii oblati in fine mundi, scilicet Filii Dei, quod super omnia Deo placuit, et propter sacrificium, et servitium, quod offertur Deo in Novo Testamento, quod plus placet Deo, quam illud quod in Veteri offerebatur. In novo enim servitur pro æternis : unde lectiones Novi Testamenti elevando terminantur in Ecclesia, sed Veteris deprimuntur, quia pro temporalibus serviebant.

« *Pone, Domine.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua specificat quid tam instanter petat : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, ostendit fructum consequentem, si adeptus fuerit quod petit, ibi, in fine ℣. 4 : « *Et non communicabo.* » 3

Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, petit oris custodiam. Secundo, ad quid vult ordinari illam custodiam, ibi, ℣. 4 : « *Non declinet cor.* »

In prima duo. Primo, petit oris custodiam. Secundo, custodiæ diligentiam, ibi, « *Et ostium circumstantiæ.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, orationem audias, auditæ intendas, et placitam habeas, et acceptam. Et quid rogas ? Ecce, o « *Domine, pone ori meo,* » et interiori cordis, et exteriori corporis, « *custodiam.* » Eccli. XXII, 33 : *Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum ?* Bene autem custodia indiget : quia Paulus sic monet Ephesios, ad Ephes. IV, 29 : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat.* Et Jacobus dicit in epist. Cath. III, 6 : *Lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constuitur in membris nostris, quæ maculat,* etc.

« *Et* » pone « *ostium circumstantiæ.* » In hoc notatur diligentia. Alia littera habet, « *continentiæ labiis meis.* » Proverb. X, 19 : *Qui moderatur labia sua*, quod notatur in ostio quod modo clauditur, et modo aperitur, *prudentissimus est.* Eccle. III, 7 : *Tempus tacendi, et tempus loquendi.* Unde non petit se fieri mutum, ut numquam loquatur, sed ostium quod aliquando aperitur, et aliquando claudi-

[1] Vulg. habet, Apocal. VIII, 4 : *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

[2] Cf. Exod. XXVII et XXX.

tur : quia nec semper apertum esse debet. Quia, Proverb. xxv, 28 : *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Eccli. xxviii, 28 : *Et ori tuo facito ostia.*

4 « *Non declines.* » Hic secundum, in quo ostendit, ad quid illam custodiam ordinari velit : et dicuntur duo. Primo, quia ad hoc ut ad verba malitiæ generaliter non procedat. Secundo, determinat specialiter cujus malitiæ, scilicet excusationis culpæ, ibi, « *Ad excusandas.* »

Ait ergo : Rogo ut os custodias, et ad hoc ut cor meum, de cujus abundantia os loquitur [1], « *non declinet in verba malitiæ.* » Jerem. xliv, 4 : *Nolite facere verbum abominationis.* Verba malitiæ sunt dicere bona mala, et mala bona. Isa. v, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum.* Et hoc, « *ad excusandas excusationes,* » hoc est, ad faciendum et fabricandum excusationes, « *in peccatis,* » sicut illi, qui dicunt peccata et facta sua esse a casu, dicentes illud Habac. i, 14 : *Facies homines sicut pisces maris, et quasi reptile non habens principem.* Alii propter divitias, et paupertatem, Proverb. xxx, 8 et 9 : *Mendicitatem et divitias ne dederis mihi... : ne forte sauciatus alliciar ad negandum, et dicam : Quis est Dominus ? aut egestate compulsus, furer, et perjurem nomen Dei mei.* Vel, propter societatem malam, sicut Adam, Genes. iii, 12 : *Mulier quam dedisti mihi sociam,* decepit me, *dedit mihi de ligno, et comedi.* Alii per aliorum similitudinem, dicentes illud III Reg. xix, 4 : *Nec ego melior sum quam patres mei.* Alii propter propriam conditionem, contra quos, Eccli. xv, 12 : *Non dicas : Ille me implanavit : non enim necessarii sunt ei homines impii.* Sed, Hieronymus : « Dimitte excusationem, nemo peccat in« vitus. »

Nulla est excusatio peccati.

« *Cum hominibus operantibus.* » Nota, quod hoc pendet ex præcedenti, sic : Non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, « *cum hominibus operantibus iniquitatem,* » id est, sicut faciunt, et fecerunt multi, qui iniquitates proprias excusaverunt : Adam, sicut tactum est, Genes. iii, 12 : et Saul, I Reg. xiii, 11 : *Vidi quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras juxta placitos dies.* Hoc enim est peccatum satis generale. Luc. xiv, 18 : *Et cœperunt simul omnes excusare.*

« *Et non communicabo.* » Præmissa petitione ut caveatur illi a peccato oris, subjungitur fructus sequens ex præcedenti bono si concedatur. Primo, in ipso qui petit. Secundo, in aliis, tamen aliis causis intervenientibus, ibi, in medio ỳ. 5 : « *Quoniam adhuc.* »

In prima tria secundum triplicem utilitatem quam tangit. Prima, separatio sui a malis. Secunda, susceptio correctionis, ibi, ỳ. 5 : « *Corripiet me.* » Tertia, vitatio adulationis, ibi, « *Oleum autem.* »

Dicit ergo : Sic me perfice, ut os meum non loquatur peccati excusationem : « *et* » tunc « *non communicabo,* » in peccato, « *cum electis eorum,* » operantium scilicet iniquitatem, non Dei : quia Eccli. xiii, 22, dicitur : *Quæ communicatio sancto homini ad canem ?* Et rursus, ibidem, ỳ. 3 : *Quid communicabit cacabus ad ollam ?* II ad Corinth. vi, 14 : *Quæ communicatio lucis ad tenebras ?* Et hoc faciam secundum consilium Pauli, I ad Timoth. v, 22 : *Ne communicaveris peccatis alienis.* Proverb. i, 15 : *Fili mi, ne ambules cum eis.* Et dicit, *Electis eorum,* quia aliquando pessimos judicant optimos. Mich. vii, 4 : *Qui optimus in eis est, quasi paliurus : et qui rectus, quasi spina de sepe.*

[1] Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.*

5 « *Corripiet me.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic non communicabo, et etiam « *corripiet me,* » hoc me volente, « *justus in misericordia,* » et hoc verberibus et factis si opus sit. Sed bene addit, « *In misericordia.* » Supra, in Psal. LXXXIX, 10 : *Quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.* Ad Galat. VI, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Tunc rumpitur iniquitas a facie olei misericordiæ. Isa. x, 27 : *Computrescet jugum a facie olei.* Propter hoc dicitur, Isa. XVI, 5 : *Præparabitur in misericordia solium.*

« *Et increpabit me,* » verbis. Proverb. IX, 8 : *Argue sapientem, et diliget te.* II ad Timoth. IV, 2 : *Argue, obsecra, increpa.* Sed tamen semper in misericordia. Eccli. VIII, 6 : *Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei : memento quoniam omnes in correptione sumus.*

« *Oleum autem.* » Hic tertium, scilicet fuga adulationis et vitatio. Quasi diceret : Sic me corripiet, et increpabit justus, et acquiescam. « *Oleum autem peccatoris,* » falsa misericordia, et adulationis verba, « *non impinguet,* » vel melius, « *non impinguabit caput meum,* » mentem scilicet meam, ut ipsam tali oleo inungi sustineam, sicut ille, de quo, Osee, VII, 3 : *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes.* Hoc oleum, quo libenter mundani homines et superbi inungi volunt, et care emunt ilud. Osee, XII, 1, de adulatore : *Fœdus cum Assyriis,* cum superbis, *iniit, et oleum in Ægyptum,* ad tenebrosos et obscuratos peccato, *ferebat.* Sed, Proverb. XXVII, 6, dicitur : *Meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula odientis.* Eccle. VII, 6 : *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.*

« *Quoniam adhuc est oratio.* » Hic ostenditur etiam fructus in aliis, adjunctis simul causis aliis ad hoc potissime valentibus. Primo ergo tangitur aliorum profectus. Secundo, causa et ratio promovens ad profectum illum, ibi, in medio ỳ. 6 : « *Audient verba mea.* »

In prima duo. Primo, infidelium, et malorum conversio. Secundo, despectio et contemptus doctrinæ philosophicæ comparatione ad Evangelicam, ibi, ỳ. 6 : « *Absorpti sunt.* »

Dicit ergo : Sic non communicabo, correctionem diligam, et adulationem fugiam : et etiam « *oratio mea,* » qua nunc oro pro æternis, et ad illa tendo. Vel, « *oratio mea,* » id est, mei capitis Christi, quam pro me facit interpellans apud Patrem, I Joan. II, 1 : *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* Vel, quam me docuit orare [1], erit « *adhuc in beneplacitis eorum,* » operantium iniquitatem, et electorum eorum, hoc est, bene placebit adhuc illis. Sophon. III, 9 : *Tunc reddam populis,* nunc impiis et infidelibus, *labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini,* etc. Vel melius certe legitur de oratione prædicationis. Quasi diceret : « *Oratio mea,* » id est, prædicatio, quæ est oratio, id est, oris ratio, erit « *adhuc in beneplacitis eorum,* » ut libenter illam audiant. Josue, XXII, 33 : *Placuit sermo cunctis audientibus.* Eccli. XXI, 18 : *Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet.*

« *Absorpti sunt.* » Ecce secundum, 6
quod optime sequitur ex ultima lectura. Quasi diceret : Sic placebit prædicatio, et tunc « *absorpti sunt judices eorum,* » magni scilicet Philosophi, ut nihil omnino eorum doctrina reputetur : et hoc, « *juncti petræ,* » id est, Christo comparati, doctrinæ scilicet Christi. Isa. XLII, 14 : *Dissipabo, et absorbebo simul. Desertos*

[1] Matth. VI, 9 et seq. : *Sic ergo vos orabitis,* etc.

faciam montes, et colles, etc. Job, xxviii, 19 : *Non adæquabitur ei*, veræ scilicet sapientiæ, *topazius de Æthiopia*, omnis scilicet claritas philosophica. Sapient. vii, 9 : *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua*. Et, Isa. xxix, 14 : *Peribit sapientia a sapientibus ejus*. Exod. vii, 12, Virga Aaron devoravit virgas magorum. Jerem. li, 30, dicit Philosophus : *Absorbuit me*, Christus scilicet, *quasi draco*.

« *Audient verba mea*. » Hic tanguntur promoventes causæ ad hæc bona. Prima, virtus divini verbi et sermonis. Secunda, virtus martyrii, et mortis sanctorum, ibi, ℣. 7 : « *Sicut crassitudo*. »

Dicit ergo : Sic audient libenter prædicationem, et nihil reputabunt philosophiæ sapientiam, et hoc fiet, « *quoniam* : » hic resume : « *quoniam audient verba mea*, » prædicationis, « *quoniam potuerunt*, » illa verba, id est, potestativa fuerunt. Audient, inquam, auditu obedientiæ interiori. Isa. lv, 2 : *Audite, audientes me*. Joan. viii, 47 : *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Verba quidem Ecclesiæ in prædicatoribus potestativa sunt, et efficacia. Eccle. viii, 4 : *Sermo illius potestate plenus est*. Tamen in ore Christi vere potestativa fuerunt, sicut aqua in ipso fonte, Matth. vii, 29 : *Erat docens eos, sicut potestatem habens*, non sicut Scribæ et Pharisæi. Sanabant, Sapient. xvi, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia*. Vivificabant, Joan. vi, 69 : *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Inflammabant, Luc. xxiv, 32 : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, de Jesu, *dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?*

Verba Christi potestativa et efficacia.

7 « *Sicut crassitudo*. » Hic tangitur causa secunda, scilicet mors et dissipatio sanctorum, quantum ad corpora : et construe usque ibi, « *Quia ad te, Domine*. »

Ita audient verba potestativa, ex quo sequentur præcedentia bona : et etiam, « *ossa nostra*, » ac litteram, « *sunt dissipata secus infernum*, » in mundo, qui prope infernum est. Et hoc « *sicut crassitudo terræ erupta est*, » vel erepta est « *super terram*, » faciens ipsam fœcundare. Quasi diceret : Quasi quædam impinguatio Ecclesiæ, ut multiplicaretur, et fructificaret, est mors nostra per martyrium, et dissipatio ossium. Judicum, xvi, 30, Samson... *multo plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat*. Mortes enim sanctorum sunt valde fructiferæ, Joan. xii, 25 : *Si autem mortuum fuerit*, scilicet granum frumenti, *multum fructum affert*. Job, xi, 17 : *Cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*. Isa. xviii, 7 : *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato, a populo terribili*, a sanctis scilicet Martyribus, quia ossa eorum dissipata pullularunt. Isa. lxvi, 14 : *Et ossa vestra, quasi herba, germinabunt*. Bene autem *secus infernum* dicuntur *dissipata*, quia in mundo dissipantur. Mundus enim quasi quidam infernus est. Proverb. i, 12 : *Deglutiamus eum sicut infernus viventem*. Degluttiunt autem sanctos tamquam lupi oves. Matth, x, 3 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*.

« *Quia ad te, Domine*. » Hic est secunda pars secundæ partis, in qua petit animæ ipsius custodiam, ne illaqueetur a diabolo, sicut mali : et dicuntur duo. Primo, petit custodiam. Secundo, ostendit custodiæ necessitatem, ibi, ℣. 10 : « *Cadent in retiaculo*. » 8

In prima duo. Primo, petit custodiri a Deo simpliciter. Secundo vero, determinat a quibus velit eam custodiri specialiter, ibi, ℣. 9 : « *Custodi me a laqueo*. »

In prima duo. Primo, persuasio. Secundo, petitio, ibi, « *Non auferas*. »

Persuadet autem a duobus : ab intentione recta, quam dirigit in Deum, et a

spe quam habet in ipsum, ibi, « *In te speravi.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, petii ut ponas ori meo custodiam, et o « *Domine,* » per creationem, quia me de nihilo fecisti : vel, « *Domine,* » per recreationem, quia me redemisti : vel bis dicit « *Domine,* » propter duplicem naturam : « *ad te,* » non ad aliud, « *oculi mei,* » supple, sunt directi. Oculi, inquam, interiores, intentiones mentis meæ. II Paralip. xx, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros* levemus *ad te,* vel, *dirigamus.* Isa. xxxviii, 14 : *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum.*

« *In te speravi.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Intentionem direxi, et « *in te,* » non in homine, « *speravi.* » Daniel. iii, 40 : *Non est confusio confidentibus in te.* Ad Roman. v, 5 : *Spes non confundit.* Eccli. ii, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Et quia sic est, « *non auferas animam meam,* » id est, auferri non permittas. III Reg. xix, 10 : *Quærunt animam meam ut auferant eam.* Supra, in Psal. liii, 5 : *Fortes quæsierunt animam meam.*

9 « *Custodi me.* » Hic specificat a quibus vult custodiri, quia a duobus : ab occultis malorum tam hominum quam dæmonum insidiis, et hoc primo : et ab apertis illorum malitiis, hoc secundo, ibi, « *Et a scandalis.* »

Dicit ergo : Sic petii ut auferri non permittas animam, sed magis custodias : et « *custodi me a laqueo,* » occultis scilicet insidiis, « *quem statuerunt mihi,* » dæmones, et mali homines. Eccli. ix, 20 : *Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Laqueus autem, quem prætendunt dæmones, et mali, ipsæ creaturæ delectabiles. Sapient. xiv, 11 : *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, et in tentationem animabus hominum.* Sed prudentes laqueos declinant. Proverb. xi, 15 : *Qui cavet laqueos, securus erit.*

« *Et a scandalis,* » ab apertis malis, « *operantium iniquitatem.* » Matth. xviii, 7 : *Væ mundo a scandalis.* Primo enim peccator scandalizatur in creaturæ pulchritudine. Eccli. ix, 5 : *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius.* Postea alii in ejus opere, quando manifestum est, maxime pusilli. Matth. xviii, 6 : *Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*

10 « *Cadent in retiaculo.* » Hic secundum hujus partis, in quo postquam præmisit petitionem, subjungit petendi necessitatem duplicem. Una, multitudo pereuntium, et captorum in laqueo inimici. Alia, veritas adjuvantium, ibi, « *Singulariter sum.* »

Dicit ergo : Sic rogo, nec mirum, quia « *peccatores,* » quorum magna est multitudo, « *cadent in retiaculo ejus,* » dæmonis, adulatoris in reti dæmonis : quia, Habac. i, 15, dicitur : *Congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur, et exsultabit.* Adulatoris, de quo Proverb. xxix, 5 : *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur cum amico suo, rete expandit pedibus ejus.* In his capiuntur peccatores, quia non vident. Proverb. iv, 19 : *Via impiorum tenebrosa : nesciunt ubi corruant.* Sed Sancti non, quia oculati sunt undique, Ezechiel. i, 4 et seq., Animalia sancta habebant oculos ante et retro. Et pennati : unde sursum sunt elevati. Proverb. i, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

« *Singulariter sum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic est captorum magna multitudo, et etiam » *ego sum singulariter,* » sine adjutorio, « *donec trans-*

eam, » viam hujus mundi. Eccli. LI, 10 : *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.* Infra, in Psal. CXLI, 5 : *Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me.* Vel, « *singulariter sum,* » videns quod conversatio inter homines nociva est. Supra, in Psal. LIV, 8 : *Elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit.* Et hoc « *donec transeam* » tamquam flos agri. Jacob. I, 10 : *Sicut flos fœni transibit.*

De Christo etiam legitur, cujus Apostoli ceciderunt in retiaculo peccatoris, dæmonis scilicet, quando relicto eo, omnes fugerunt[1]. Et solus pependit in cruce sine viri societate. Isa. LXIII, 3 : *Torcular calcavi solus : et de gentibus non est vir mecum.* Etsi essent forsan mulieres aliquæ[2]. Job, XIX, 20 : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum,* etc. Sed hoc donec transiit illo transitu, de quo Joan. XIII, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Sed post transitum solus non fuit, confluentibus hinc inde Judæis et Gentibus, ut possit dicere illud Genes. XXXII, 10 : *In baculo meo transivi Jordanem istum,* in cruce, vel morte : et nunc cum duabus turmis egredior ad Patrem. Secum enim ducit ad vitam Judæos, et Gentiles, de quorum numero nos faciat ipse, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLI.

Circumdatus a Saule orat pro sua salute.

1. Intellectus David,
Cum esset in spelunca, oratio. (I Reg. XXIV).
2. Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Dominum deprecatus sum[3] :
3. Effundo in conspectu ejus orationem meam : et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.
4. In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas.
In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi.
5. Considerabam ad dexteram, et videbam : et non erat qui cognosceret me.
Periit fuga a me ; et non est qui requirat animam meam.
6. Clamavi ad te, Domine : dixi : Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.
7. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis.
Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me.
8. Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo : me exspectant justi donec retribuas mihi.

[1] Matth. XXVI, 56 : *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Cf. Thren. IV, 20; Marc. XIV, 50.

[2] Cf. Joan. XIX, 25.

[3] Supra, XXVII, 6.

IN PSALMUM CXLI

COMMENTARIUS.

« *Intellectus David, cum esset in spelunca, oratio*[1]. »

Propheta adhuc instat orationi idem petens quod duobus superioribus Psalmis.

« *Voce mea.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus primus in toto libro, in parte vero tertia quadragesimus primus : et secundum Glossam adhuc instat orationi, et quod superius jam in duobus primis petierat, scilicet liberari a malis, adhuc hic replicat tamquam mundum animal ruminans cibum suum[2]: et implens in se illud Proverb. XXI, 20, secundum aliam litteram : « Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, verba scilicet sacræ Scripturæ : vir autem stultus gluttit illum[3]. » Intitulatur autem ab oratione, sicut et alii quatuor. Primus, *Exaudi, Domine, justitiam meam.* Secundus, *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me.* Tertius, *Domine, refugium factus es nobis.* Quartus, *Domine, exaudi orationem meam, et clamor*[4].

Est enim talis titulus : « *Intellectus David, cum esset in spelunca, oratio.* » Est sensus secundum Glossam : In subjecto Psalmo est « *intellectus David,* » et litteralis, et spiritualis, scilicet totius corporis Ecclesiæ, vel ipsius capitis : « *cum esset in spelunca,* » vel ille litteralis in litterali spelunca, quando fugiebat Saul[5] : vel, spiritualis David, congregatio scilicet justorum in mundo vel corpore, vel Christus in sepulcro. Et est hic intellectus, « *oratio.* » Vel forte planius intelligitur, si hoc quod dicitur, « *intellectus,* » intelligitur genitivi casus, ut sit sensus : « *Oratio* » supposita, est « *intellectus* » ipsius « *David,* » elevati in Deum, « *cum esset in spelunca.* » Hoc non mutatur.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, petit liberari a culpa. Secundo, penitus a præsenti miseria, ut scilicet educatur de carne ista mortali, ibi, ℣. 6 : « *Clamavi ad te.* »

In prima, oratio. Secundo, persua-

[1] Comme le psaume LVI, celui-ci, dit M. l'abbé Lesêtre, est composé à l'occasion du séjour de David dans la caverne. ou bien celle d'Odollam, I Reg., XXII, ou celle d'Engaddi, I Reg., XXIV. Bellarmin et Thalhofer sont pour la première, parce que là David fut d'abord seul, ℣. 5, et qu'à Engaddi Saül fut plutôt en danger que lui. Quelques autres sont pour Engaddi, parce qu'en réalité le péril y fut beaucoup plus proche et plus grave qu'à Odollam, et le fugitif, dit S. Athanase, « comprehensus spelunca, omni effugiendi via « interclusus est, nec erat qui liberaret eum, « nec qui requireret animam ejus. » Que pouvaient en effet les gens de David, cachés dans la caverne contre les trois mille hommes d'élite de Saul, alors même que ce dernier eût été victime de son imprudence? La plupart des auteurs ne se décident point entre l'une et l'autre caverne, et il faut bien avouer que le texte n'offre aucun élément pour une solution définitive ; la tradition pourtant semble incliner du côté d'Engaddi.

Notre Seigneur auquel l'Eglise applique ce psaume le Jeudi et le Vendredi saints, est figuré par David persécuté. « David quidem « in spelunca loquitur, sed prophetat in « Christo. David fugit, sed fugam Domini sui « non tam per verba quam per fugam prophe- « tat. David spiritu deficit, sed et Domini tri- « stis est anima usque ad mortem. David semi- « tas Deus cognoscit, sed et Filium nemo no- « vit nisi Pater. David in fidei suæ viis laquei « absconsi sunt, Domino quoque in prædica- « tionis suæ cursu ubique parantur insidiæ. « Hic in spelunca orat, ille orat in corpore. « Servus Dominum prophetat Christum ». S. Hilar.

[2] Cf. Levit. XI, 3 et seq.

[3] Vulg. habet, Proverb. XXI, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi : et imprudens homo dissipabit illud.*

[4] Scilicet Psalmi XVI, LXXXV, CXXXIX, CI.

[5] Cf. I Reg. XXII et XXIV.

sio, ibi, ℣. 5 : « *Considerabam ad dexteram.* »

In prima duo. Primo, oratio, sive orationis continuatio, quia oravit, et adhuc orat. Secundo, necessitas orandi, ibi, in medio ℣. 4 : « *In via hac qua ambulabam.* »

In prima duo. Primo, quod oraverit, et quomodo. Secundo, quod adhuc insistit orationi, ibi, ℣. 3 : « *Effundo in conspectu.* »

In prima duo. Primo, quod clamaverit. Secundo, quo clamore distinguitur, ibi, « *Voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

2 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : « *Voce mea,* » non aliena. Joan. IX, 21 : *Ætatem habet, ipse de se loquatur.* Non sicut illi, qui per vicarios volunt deservire, contra quos dicebat bonus cantor : « Si non vis habere vica- « rium in præmio, non habeas vicarium « in merito. » « *Ad Dominum* » ipsum, non ad regem terrenum, sicut Persæ dixerunt, Daniel. VI, 7 : *Omnis qui petierit aliquam petitionem a quocumque deo aut homine, usque ad triginta dies, nisi a te, o rex, mittatur in lacum leonum.* « *Clamavi,* » corde instigando : aliter non est clamor qui sonet in aure Dei. Augustinus : « Quid valet strepitus ver- « borum, ubi mutum est cor ? » Et quidam dixit : « Non vox, sed votum : non « cordula musica, sed cor : non clamor, « sed amor clamat in aure Dei. »

« *Voce mea.* » Hic distinguit quo clamore clamaverit, quia clamore deprecationis, non murmuris, et blasphemiæ.

Ait enim : Sic clamavi ad Dominum, et « *voce mea deprecatus sum :* » unde clamor fuit deprecationis. Job, V, 8 : *Ego deprecabor Dominum, et ad Deum ponam eloquium meum.* II Paralip. XX, 3 et seq., Josaphat deprecatus est faciem Domini, et audivit eum Dominus. Sapient. XVIII, 21 : *Per incensum deprecationem allegans, restitit iræ,* Dei scilicet.

« *Effundo in conspectu ejus.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod orationem adhuc continuat : et dicuntur duo. Primum, quod adhuc orat, et qualiter. Secundum, quod Deum non lateat oratio, sed veraciter sciat quod sic est, ibi, in medio ℣. 4 : « *Et tu cognovisti.* » 3

In prima tria secundum triplicem orationis conditionem quam determinat. Primo, quod orat lacrymabiliter. Secundo, quod amare, ibi, « *Et tribulationem.* » Tertio, quod humiliter, ibi, ℣. 4 : « *In deficiendo.* »

Dicit ergo : Sic oravi, et etiam adhuc « *effundo orationem meam :* » copiose, dicit Glossa, ut purum fontem. Dicitur autem *oratio effundi,* quando in orando lacrymæ effunduntur, quæ sunt quasi quædam verba deprecatoria, ex oculis procedentia. Thren. II, 18 : *Neque taceat pupilla oculi tui.* Notandum enim hic, quod mali effundunt se per gulam, contra illud Eccli. XXXVII, 32 : *Non te effundas super omnem escam.* Jerem. L, 11 : *Effusi estis sicut vituli super herbam.* Per luxuriam, Genes. XLIX, 4 : *Ruben... effusus es sicut aqua. Non crescas :* aqua effusa terram convertit in lutum. Per cupiditatem, Thren. II, 11 : *Effusum est in terra jecur meum.* Judas in Canon. ℣. 11 : *Væ illis, qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt !* Per superbiam, et loquacitatem, Eccli. XX, 13 : *Sapiens in verbis se amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effunduntur.* Per invidiam, Act. I, 18, de invido Juda : *Suspensus crepuit medius, et effusa sunt omnia viscera ejus.* Sed boni effundunt se in conspectu Domini, per confessionem peccati, Thren. II, 19 : *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Per compassionem et pietatem, Isa. LVIII, 10 : *Cum effuderis esurienti animam tuam.* Per orationem, ut hic. I Reg. I, 15 : *Omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.*

Mali flent et boni se effundunt, sed diverso modo.

« *Et tribulationem.* » Ecce secundum.

Quasi diceret : Sic lacrymabiliter rogo, « *et* » etiam « *tribulationem meam,* » cordis scilicet mei amaritudinem, « *ante ipsum pronuntio.* » Osee, vi, 1 : *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Jonæ, ii, 3 : *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum.*

4 « *In deficiendo.* » Hic tertium, scilicet quod orat humiliter : defectio enim spiritus est humiliatio.

Ait ergo : Sic adhuc oro lacrymabiliter, oro amare, et etiam oro humiliter, quia « *in deficiendo spiritum meum,* » id est, dum deficit spiritus meus, alia littera : et hoc sui reputatione : Job, xvii, 1 : *Spiritus meus attenuabitur.* Dominus enim humilium aliquando totum spiritum sugit, et ad se trahit, ut nihil omnino se reputent. Job, xxxiv, 14 : *Si direxerit ad eum,* scilicet Deum, *cor suum, totum spiritum ejus et statum ad se trahet.* Et hoc per verbum prædicationis, Josue, ii, 11 : *Nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum,* dicitur exploratoribus Josue. Et per intuitum contemplationis, III Reg. x, 4 : *Videns autem* regina Saba *omnem sapientiam Salomonis, et cibos mensæ ejus, non habebat ultra spiritum.* Et, Matth. v, 3, dicitur : *Beati pauperes spiritu.*

« *Et tu cognovisti.* » Hic secundum totius hujus partis, in quo quasi affirmat quod præmisit, ostendendo quod hoc Deum non lateat, quod dixit.

Ait enim : Sic dico, nec mentior, quia « *et tu* » ipse, « *cognovisti semitas meas,* » strictas cogitationes et affectiones. Job, xxxiv, 21 : *Oculi* Domini *super vias hominum.* Supra, in Psal. cxxxviii, 4 : *Omnes vias meas prævidisti.* Vel sic secundum Glossam : Sic dico in me deficere spiritum, nec tamen propter hoc reprobus et perditus sum, sicut aliqui possunt credere : quia « *et tu* » ipse « *cognovisti* » cognitione approbationis, « *semitas meas,* » justitiæ scilicet, et præceptorum Dei. Proverb. iv, 27 : *Vias quæ a dextris sunt novit Dominus.*

« *In via hac.* » Præmissa oratione, et in quo oraverit, et quod adhuc orat, hic ostendit necessitatem orationis, scilicet insidias latentis et inimici, et persecutoris.

Ait enim : Sic oravi, et adhuc oro : Nec mirum, quia « *absconderunt,* » supple, adversarii, « *laqueum,* » fraudulentæ deceptionis, « *mihi.* » I Machab. i, 37 : *Facti sunt in laqueum magnum... in Israel.* Et hoc, « *in via qua ambulabam,* » æstimatione sua : in via enim qua itur ad Deum, laqueus nec est, nec esse potest. Supra, in antecedenti Psal. cxxxix, 6 : *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Hæc via potest dici Christus, juxta quam, nec in qua scandalum potest poni. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Vel, fides de Christo vera. II ad Corinth. v, 7 : *Per fidem ambulamus, et non per speciem.* Vel, charitas, de qua, I ad Corinth. xii, 31 : *Adhuc excellentiorem viam demonstro vobis.*

« *Considerabam ad dexteram.* » Præmissa orationis continuatione, subjungitur hic persuasio, ut acquiescat oranti, et persuadet a duobus : a contemplatione æternorum interna et occulta, et a singulari constantia, ibi, « *Periit fuga.* » 5

In prima duo tanguntur. Primo, æternorum meditatio. Secundo, meditationis occultatio, ibi, « *Et non erat.* »

Dicit ergo : Sic rogavi, et rogo, prædicta necessitate compulsus, et tu exaudire debes, quia in tanta impulsione « *considerabam,* » considerationem scilicet convertebam, « *ad dexteram,* » scilicet ad æterna, quæ sunt in dextera. Cantic. ii, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Proverb. iii, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus.* « *Et videbam,* » ipsam dexteram, sicut Stephanus in pugna vidit cœ-

los apertos, et Jesum statem [1]. In dextera enim vera illuminatio est. Job, XXXVIII, 18 et 19 : *Indica mihi, si nosti, omnia : in qua via lux habitet*. Et in eodem, ℣. 24 : *Per quam viam spargitur lux*. Et posset responderi : In dextera habitat, et spargitur lux per dexteram. Baruch, III, 14, monet nos ad illam remittere mentem : *Ut scias*, inquit, *ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax*.

« *Et non erat qui cognosceret me*, » sic considerantem. Supra, in Psal. LXXVI, 7 : *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar*, etc. Sic etiam posset legi ut persuadeat a raritate adjutorum, et sit verbum capitis morientis in cruce. Quasi diceret : « *Considerabam ad dexteram*, » ad litteram, « *et videbam*, » si forte adessent adjutores, si forte Apostoli mihi adhærentes : « *et non erat qui cognosceret me*, » etiam ipse Petrus negavit cum juramento dicens : *Non novi hominem* [2]. Isa. LXIII, 5 : *Circumspexi, et non erat auxiliator*. Eccli. LI, 10 : *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat*. Si objiciatur : Imo *stabant juxta crucem Jesu mater ejus*, etc [3]. Respondeo : Non adstabant ad defendendum : et de talibus loquitur hic.

« *Periit fuga*. » Hic persuadet a singulari constantia. Primo ergo tangit constantiam. Secundo, constantiæ singularitatem, ibi, « *Et non est*. »

Dicit ergo : Sic æterna meditabar, et etiam « *periit fuga a me*, » non quia conclusus, sed quia constans, et stabilis, et fortis. Amos, II, 14 : *Peribit fuga a veloce* : quia si bonus pastor est, debet stare, non fugere. Joan. X, 11 et 12 : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit*. Jerem. XXV, 35 : *Peribit fuga a pastoribus*. Et si opponatur illud Matth. X, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. II ad Cor. XI, 33, Paulus per murum in sporta dimissus est [1]. Responsio est in Glossa, quod loquitur de mentali fuga, quæ numquam debet adesse, non de corporali, quæ competit pro loco et tempore.

« *Et non est qui requirat*, » ad invitandum, « *animam meam*, » etsi bene sit qui quærat ad perdendum. Isa. LVII, 1 : *Justus perit*, scilicet in sua constantia, *et non est qui recogitet in corde suo*, imo magis expellitur. Constanti et firmata fide tendens ad patriam. Luc. IX, 53 : Samaritani *non receperunt eum*, scilicet Dominum, *quia facies ejus erat euntis in Jerusalem*.

« *Clamavi ad te*. » Hic est secunda pars totius Psalmi, in qua petit liberari penitus a præsenti miseria. Primo ergo ponitur persuasio ut judicem moveat. Secundo, petitio, ibi, ℣. 7 : « *Intende ad deprecationem*. » 6 Secunda pars Psalmi.

Persuadet autem a devotione, et hoc primo. Secundo, a confidentia, ibi, « *Dixi : Tu es spes mea*. » Tertio, a devotione longamini, et perseveranti, ibi, « *Portio mea*. »

Dicit ergo : Sic et petii, et adhuc peto liberari a culpa, et a laqueo adversarii, et etiam « *Domine, clamavi ad te*, » ecce cordis devotio in clamore. Thren. II, 18 : *Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Jerusalem*.

« *Dixi : Tu es*. » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic clamavi ad te : « *Dixi*, » in corde meo : « *Tu es spes mea*. » Jerem. XVII, 17 : *Spes mea tu in die afflictionis*. Esther, XIV, 19 : *Exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent nisi in te*.

[1] Cf. Act. VII, 55.
[2] Matth. XXVI, 72.
[3] Joan. XIX, 25.

[1] II ad Corinth. XI, 32 et 33 : *Damasci... per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi*.

« *Portio mea.* » Ecce tertium. Et dixi : Tu es « *portio mea,* » quam exspecto, quam desidero, ecce amor, non hic, sed « *in terra viventium,* » ecce longanimitas in amore. Supra, in Psal. xv, 5: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Numer. xviii, 20: *Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel.* Thren. iii, 24: *Pars mea Dominus, dixit anima mea.* Sed « *in terra viventium,* » non morientium, quæ est hic, et mortuorum, quæ est infernus. Supra, in Psal. xxvi, 13: *Credo videre bona Domini in terra viventium,* etc.

7 « *Intende ad deprecationem.* » Hic secundum, in quo subjungitur petitio. Petit autem tria. Attentionem judicis. Ereptionem a malis, ibi, « *Libera me.* » Et eductionem de habitaculo carnis, ibi, ỳ. 8 : « *Educ de custodia.* »

In prima, petitio. In secunda, quare ratio debeat audiri, ibi, « *Quia humiliatus sum.* »

Quasi diceret: Ad te clamavi, in te speravi, te elegi : ergo, Domine, « *intende ad deprecationem meam,* » ad implendum, et debes, « *quia humiliatus sum nimis,* » id est, valde, secundum morem Scripturæ. Vel, *nimis*, quia humiliatus sum interius in corde, et exterius in corpore. Primum est virtutis. Secundum, dejectionis et afflictionis. Judith, ix, 16 : *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Daniel. iii, 39: *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur,* scilicet a te, Domine.

« *Libera me.* » Hic secundum, in quo petit ab adversariis liberationem : et dicuntur duo. Primo, petitio. Secundo, ratio quare debeat audiri, ibi, « *Quia confortati sunt.* »

Ait enim : Sic intende ad deprecationem, et etiam « *libera me a persequentibus me.* » Jerem. xv, 15 : *Tuere me ab his qui persequuntur me,* sicut consuevisti. Jerem. xx, 13: *Liberavit animam pauperis de manu malorum.* Et est bene liberatus quem tu liberas. Joan. viii, 36 : *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis :* quod majus est quam liberari. Eccli. li, 12 : *Eruis sustinentes te, et liberas eos de manibus gentium.*

« *Educ de custodia.* » Hic tertium, in quo petit ereptionem de carnis habitaculo. Et ponit primo petitionem. Secundo, addit utilitatem duplicem, ibi, « *Ad confitendum.* 8

Prima est ut inde Deus laudetur, ibi, « *Ad confitendum nomini tuo.* » Secunda, ut proximus ædificetur, ibi, « *Me exspectant justi.* »

Dicit ergo : Sic peto a persecutoribus liberari, et etiam hoc peto : « *Educ de custodia,* » alia littera, « de carcere, » carnis : corpus enim carcer est animæ sanctæ ad æterna suspirantis. Job, vii, 12 : *Numquid mare ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere ?* Mare peccator, cetus diabolus, de quibus non est mirum si carcere circumdantur, cum tendant ad malum, sed de illo qui non tendebat nisi in bonum, mirum est. In hoc carcere gemebat qui dicebat, ad Roman. vii, 24 : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* Nec mirum, quia in hoc carcere fame et siti cruciatur, Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam,* in carcere corporis. Leonibus ad devorandum exponitur, scilicet motibus carnalibus, Daniel. vi, 16, Daniel missus est in lacum leonum. Tenebris excæcatur, Isa. xxi, 4 : *Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.* Luto sordidarum affectionum immergitur, In Psal. lxviii, 3, supra : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Et nota, quod si reus est, ad majorem pœnam custoditur : ad gloriam, si electus, sicut pincerna Pharaonis et pistor : quorum alter eductus de carcere suspensus est, alter vero pri-

Corpus est carcer animæ.

stino honori, et forte ampliori restitutus[1].

« *Ad confitendum nomini.* » Hic est secundum, finis eductionis. Primus scilicet ut laudetur Deus.

Ait enim : Sic educ animam meam de custodia : et hoc, « *ad confitendum,* » confessione laudis, « *nomini tuo,* » nominabili potentiæ et benignitati tuæ. Isa. xxxviii, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi.* Exod. xv, 1 et seq., Filii Israel liberati de Ægypto, cantaverunt canticum Domino. Isa li, 11 : *Venient in Sion gaudentes*[2].

« *Me exspectant justi.* » Ecce alius finis, et dicitur in persona capitis magis proprie.

Quasi diceret : Sic me libera de carcere ad laudem nominis tui, et etiam ad lætificandum justos, et ædificandum, quia « *me exspectant justi donec retribuas mihi,* » ut ædificentur, et exsultent. Hoc verum est de Martyribus, de quorum gloria post eductionem de corpore lætantur justi, et ædificantur, et potissime de capite, quorum gloria post mortem fuit ædificatio totius. Isa. lx, 9 : *Me insulæ,* sancti scilicet undique amaritudinibus tamquam quibusdam undis concussi, *exspectant.* Et, xxx, 18 : *Beati omnes qui exspectant eum.* Jerem. xiv, 8 : *Exspectatio Israel, salvator ejus in tempore tribulationis.* Exspectant me, ut reformentur anima et corpore. Ad Philip. iii, 20 et 21 : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ad quam reformationem gloriosam nos perducat gloriosus Filius Dei, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLII.

Persecutus ab Absalone, humiliter petit Dei auxilium.

1. Psalmus David,
Quando persequebatur eum Absalom, filius ejus. (II Reg. xvii).
Domine, exaudi orationem meam : auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua : exaudi me in tua justitia.
2. Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
3. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam :
Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi.
4. Et anxiatus est super me spiritus meus : in me turbatum est cor meum.
5. Memor fui dierum antiquorum : meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.
6. Expandi manus meas ad te : anima mea sicut terra sine aqua tibi.
7. Velociter exaudi me, Domine : defecit spiritus meus.

[1] Cf. Genes. xl, 20 et seq.

[2] Vulgata habet, Isa. li, 11 : *Venient in Sion laudantes.*

Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.

8. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

9. Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi.

10. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

11. Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me : in æquitate tua,

Educes de tribulatione animam meam :

12. Et in misericordia tua disperdes inimicos meos,

Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

IN PSALMUM CXLII

COMMENTARIUS.

« *Psalmus David, quando persequebatur eum Absalon, filius ejus*[1] ».

Propheta ad orationem et pœnitentiam confugit.

« *Domine, exaudi orationem.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus secundus in toto libro, in tertia vero parte libri quadragesimus secundus. Est autem inter Psalmos pœnitentiales septimus, et ultimus. Psalmi enim pœnitentiales in tali numero sunt, quia ad delendum in nobis septem peccata constituti sunt : vel ad satisfaciendum pro delictis septem, quibus obligamur in septem diebus, quibus currit totum hujus mundi tempus.

Quare Psalmi pœnitentiales sic appellantur ?

Si autem quæratur ab aliquo, quare hi Psalmi magis *pœnitentiales* appellantur quam alii ? Potest dici, quod in pœnitentia sunt duo, scilicet spes, et timor, inter quæ duo, tamquam inter duas molas molitur peccator, et conteritur. Quia ergo in hujusmodi Psalmis præmittuntur tristia procedentia ex timore, in fine vero subjunguntur læta procedentia ex certa spe, recte *Psalmi pœnitentiales* appellantur.

Titulus autem magis respicit ad primam partem : sic enim habet : « *Psalmus David, quando persequebatur eum Absalon, filius ejus.* » Et est sensus tituli : « *Psalmus* » subjectus, est « *David,* » materialis ut ministri a Spiritu sancto moti,

[1] Plusieurs manuscrits grecs, reproduits par la Vulgate, ajoutent au nom de David qui est dans le titre hébreu : ὅτε αὐτὸν ἐδίωκεν, Ἀβεσσαλὼμ ὁ υἱὸς αὐτοῦ. D'autres n'ont absolument aucun titre. Les sentiments de tristesse et d'abattement exprimés par le psalmiste sont bien en rapport avec la circonstance mentionnée. Un certain nombre d'auteurs tirent une objection du caractère même du texte dont presque tous les versets se retrouvent dans d'autres psaumes ou dans différents passages de la Sainte Ecriture. Peut-on prouver par là que le psaume n'est réellement pas de David ? Evidemment non. « Tous les psaumes qui ont « une ressemblance avec celui-ci sont de David. Comment donc peut-on savoir que celui-ci leur est antérieur plutôt que contemporain, ou bien que, tel qu'il est, il n'est « composé que d'emprunts ? Tout au contraire, « sa ressemblance avec les autres, pour qui « n'a égard à aucune théorie préconçue, est « un solide argument en faveur du titre : David « s'exprime naturellement lui-même de la « même manière que dans ses autres psaumes. » Jennings.

Ce psaume est le septième des pénitentiaux. Au sens spirituel, « prophetat David passionibus suis dominicas passiones. » S. Hilar.

H. Lesêtre.

« *quando persequebatur eum*, etc. » Et tangit historiam, quæ habetur II Reg. xv, xvi, xvii et xviii : etsi etiam potuit esse, quod tunc composuit Psalmum istum positus in angustia, et persecutione gravi: tamen magis respicit Psalmus ad significatum: magis enim agit de hoc quod in illa persecutione figuratum fuit, quam de eo quod litteraliter factum fuit. Notandum enim, quod David tres inimicos habuisse legitur, sive tria inimicorum genera : Alienigenas, Moabitas scilicet : et nos similiter dæmones, contra quos fuit specialiter oratio in Psalmo illo, *Domine, clamavi*[1]. Et Saulem, qui interpretatur *petitio*, et signat mundum : et contra hunc specialiter in illo, *Voce mea ad Dominum clamavi*[2]. Tertio Absalonem, proximum suum, et signat carnem : et hic proprie orat, et lamentatur pœnitens oppressus isto. Communiter oravit contra omnes in illo, *Eripe me, Domine*[3].

Dividitur autem Psalmus in duas partes principaliter, sicut tactum est. Primo, lamentabilis petitio ad Deum. Secundo, læta conclusio de certitudine impetrandi petitum, ibi, in fine ℣. 10: « *Spiritus tuus bonus.* »

In prima duo. Primo, petit non districte judicari in futuro. Secundo, sibi conferri bona, et non mala in præsenti, ibi, ℣. 6: « *Expandi manus.* »

In prima duo. Primo, petit. Secundo, necessitatem qua petit, ostendit, subjungens persuasionem, ibi, ℣. 3: « *Quia persecutus est.* »

In prima adhuc duo. Primo, postulat ut exaudiatur. Secundo, determinat in quo debeat exaudiri, ibi, ℣. 2: « *Et non intres.* »

In prima duo. Primo, petit efficaciter audiri. Secundo, addit rationes, quare sic audiri debeat, ibi, « *In veritate.* »

In prima duo. Primo, petit orationem suam audiri. Secundo, auditam clementer suscipi. ibi, « *Auribus percipe.* »

Dicit ergo : O « *Domine,* » cujus est potentia, « *exaudi orationem meam.* » III Reg. viii, 28 : *Respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus.* Daniel. ix, 17 : *Exaudi, Deus noster, orationem servi tui.* Nec tantum exaudi, imo **1** Prima pars Psalmi.

« *Auribus,* » clementiæ tuæ, « *percipe obsecrationem meam,* » orationem cum attestatione sacrorum tibi factam. Sic orabant sancti, Daniel. vi, 13 : *Tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.* Ad Philip. iv, 6 : *In omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

« *In veritate tua.* » Ecce quare debeat exaudiri, et allegat duo : Dei veritatem, qua promisit istud, et justitiam, quam infudit et dedit frustra, si humilem et justum damnare præsumit.

Ait enim : Sic exaudi, et benigne orationem recipe : et « *exaudi me in veritate tua,* » id est, propter veritatem tuam tenendam, ut semper inveniaris verax. Veritas autem falli non potest, fallere non novit. II ad Timoth. ii, 13 : *Fidelis permanet : negare seipsum non potest.*

« *In tua justitia exaudi me,* » id est, per tuam justitiam quam mihi infudisti, quæ est justitia fidei, quam pro nihilo habeo, si non exaudior. Isa. xlv, 25 : *Meæ sunt justitiæ et imperium.*

« *Et non intres.* » Ecce secundum, in quo determinat quid petat, non districte judicari, hoc est, judicari comparatione ad divinam puritatem. Et primo, petitio declaratur. Secundo, petitioni ratio assignatur, ibi, « *Quia non justificabitur.* » **2**

Dicit ergo : Sic peto ut audias, et at-

[1] Psal. cxl.
[2] Psal. cxli.
[3] Psal. cxxxix.

tendas, et hoc, o Domine,« *non intres in judicium cum servo tuo*, » ut comparatione tui me velis judicare. Notandum enim, quod Dominus bene vult subire nobiscum judicium. Isa. v, 3 : *Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam.* Job, xxxi, 13 : *Si contempsi subire judicium cum servo meo.* Nos tamen non debemus velle judicari cum ipso : tales enim arguit, Jerem. ii, 29 : *Quid vultis mecum judicio contendere ? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.*

« *Quia non justificabitur.* » Ecce causa. Quasi diceret : Non me judices tui comparatione : « *Quia omnis vivens*, » vita naturæ, « *non justificabitur in conspectu tuo*,» id est, tibi comparatus propter multiplicem rationem. Primo, propter peccati necessariam adhærentiam, originalis scilicet, Ad Ephes. ii, 3 : *Eramus natura filii iræ.* Etiam baptizati retinemus servitutem, Ad Roman. vii, 23 : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Secundo, propter peccatorum actualium superadditionem, I Joan. i, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Tertio, propter additorum multitudinem, II Paralip. in oratione Manassæ : *Peccavi super numerum arenæ maris : multiplicatæ sunt iniquitates meæ.* Quarto, propter peccandi continuitatem, Osee, iv, 10 : *Fornicati sunt, et non cessaverunt.* Quinto, esto quod nullum peccatum habemus, quia beneficiis Deo non respondemus, Job, ix, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Sexto, quia si responderemus, nullum tamen bonum a nobis haberemus, sed totum est ex Deo, I ad Corinth. iv, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Propter hoc dicitur, Job, iv, 17 : *Numquid homo, Dei comparatione, justificabitur ?* Et, xxv, 3 : *Numquid justificari potest homo comparatus Deo ?* Et infra, ℣. 5 : *Luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Job, ix, 30 et 31 : *Si lotus fuero quasi aquis nivis,... tamen sordibus intinges me.*

Multiplex causa quare nolit Propheta venire ad judicium cum Domino.

« *Quia persecutus est.* » Hic secundum, in quo præmissa petitione, subjungit necessitatem petitionis, secundum duplicem tribulationem : exteriorem ab inimico illatam, et interiorem ex meditatione æternorum contractam, ibi, ℣. 4 : « *Et anxiatus est super me.* » 3

Primam autem tribulationem aggravat a parte ipsius persequentis, et a parte ejus quod persequitur, ibi, « *Humiliavit animam meam.* »

Et ab intentione persequentium, quam tangit duplicem. Prima est ut immergat in amorem terrenorum. Secunda, ut spiritualem visum auferat, ibi, « *Collocavit me in obscuris.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, rogo, et clamo, et compellor : « *quia inimicus*, » id est, diabolus, « *persecutus est*, » non corpus tantum, sed « *animam meam.* » II Reg. xvii, 1 et 2 : *Dixit Achitophel ad Absalom*, diabolus ad carnalem concupiscentiam : *Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte, et irruens super eum, quippe qui lassus est et solutis manibus, percutiam eum*, et animam ejus. Genes. xiv, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gregorius : « Parum se fecisse æs-« timat, cum animam non sauciat. »

« *Humiliavit.* » Ecce intentio. Quasi diceret : Sic animam persecutus est, et quantum in se est, « *humiliavit animam meam in terra*, » ipsam inclinando ad terrena. Isa. xxix, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris,... et de humo audietur eloquium tuum.* Thren. ii, 10 : *Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Juda.* Nec est contrarium si mussitant, et loquuntur de terrenis, et conticescunt de æternis : imo unum sequens est ex altero.

« *Collocavit me.* » Hic secundum,

quod pertinet ad intentionem, quia ut possint excæcare : et tanguntur duo. Primo, intentio de excæcando. Secundo, de modo, ibi, « *Sicut mortuos sæculi.* »

Ait ergo : Sic quantum ad ipsos humilior ad terrena, et etiam quantum in se est, « *collocavit me,* » sic humiliatum, « *in obscuris,* » non sicut vivos, qui statim inde prodire possunt, sed « *sicut mortuos sæculi,* » qui in illis perseverant. Thren. III, 6 : *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.* Vere in tenebris sunt peccatores. Proverb. IV, 19 : *Via impiorum tenebrosa.* Quia ipsi non diligunt, nisi tenebras. Joan. III, 20 : *Qui male agit, odit lucem.* Nemo vadit libenter per viam quam odit. Ibi collocantur, ibi placitum est eis, tamquam in luce clara. Supra, in Psal. CXXXVIII, 11 : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Mich. III, 6 : *Nox vobis pro visione erit, et tenebræ vobis pro divinatione.*

4 « *Et anxiatus est.* » Hic tangitur interior tribulatio, propter quam necesse est orare, et petere. Tanguntur autem tria. Primo, interior anxietas et turbatio. Secundo, modus turbationis et finis, quia ad pœnitentiam, ibi, « *In me turbatum est.* » Tertio, causa et ratio turbationis, ibi, ỷ. 5 : « *Memor fui.* »

Dicit ergo : Sic exterius persecutus est inimicus, « *et spiritus meus super me,* » extensus et elevatus, « *anxiatus est.* » Hæc est synderesis, quæ super omnes animæ vires elevatur. Ezech. I, 10 : *Similitudo vultus eorum, facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor, facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor, et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Per hominem vis rationalis, per bovem concupiscibilis, per leonem irascibilis, per aquilam synderesis, quæ super omnes animæ vires elevatur. Ad Roman. VIII, 26 : *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.* Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me.* Thren. III, 28 : *Tacebit, quia levavit super te.*

« *In me turbatum.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic anxiatus est super me spiritus meus, et « *cor meum turbatum est,* » ad pœnitentiam, « *in me.* » Ecce bona anxietas et tristitia. II ad Corinth. VII, 10 : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Jerem. IV, 19 : *Sensus cordis mei turbati sunt in me.* Et hoc justissimum. Gregorius : « Justum est ut in se mœrores inveniat, qui relicto vero gaudio in se gaudia quærebat. »

« *Memor fui dierum.* » Hic tangit hujus anxietatis causam, et consolationem. 5
Et primo, causam. Secundo, consolationem, ibi, « *Meditatus sum.* »

Dicit ergo : Sic anxiatus est spiritus, et turbatum est cor, quia « *memor fui dierum antiquorum,* » judiciorum scilicet tuorum antiquorum, quibus tam potenter dæmonem in cœlo peccantem crudeliter punivisti [1]. Zachar. XIII, 5 : *Homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* In Psal. CXVIII, 52, supra : *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine.*

« *Meditatus sum.* » Hic tangit anxietatis suæ consolationem duplicem, scilicet operum Dei recordationem primo. Secundo, recordationis continuationem ibi, « *In factis.* »

Dicit ergo : Sic memor dierum timui, sed post in consolationem meam, « *meditatus sum in omnibus operibus tuis,* » quæ sunt proprie opera misericordiæ : et hoc continue, quia et « *in factis manuum tuarum meditabar,* » non sicut illi, quibus dicitur, Isa. V, 12 : *Opus Domini non respicitis, et opera manuum*

[1] Cf. Genes. III, 14 et seq.

ejus non consideratis. De quibus, Sapient. VIII, 18 : *In operibus manuum illius honestas sine defectione*. Psal. XCI, 5 : *Delectasti me, Domine, in factura tua*. Eccli. XLII, 15 : *Memor ero operum Domini*. Et Moyses dicit, Deuter. XI, 19 : *Docete filios vestros ut illa meditentur*. Valde enim bona sunt. Genes. I, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona*. Ducit enim talis meditatio ad cognitionem Dei, quæ est valde delectabilis. Sapient. XIII, 5 : *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia ipsius*, scilicet Dei, *a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas*.

6 « *Expandi manus*. » Hic secunda pars primæ partis totius Psalmi, in qua petit sibi conferri bona, et mala auferri : et dicuntur duo. Primo, modum orandi et dandi determinat. Secundo, specificat petitum, ibi, in medio ỳ. 7 : « *Non avertas*. »

In prima duo. Primo, modum orandi determinat. Secundo, dandi quod postulat, ibi, ỳ. 7 : « *Velociter exaudi*. »

Modum orandi duplicem tangit, cum bona operatione, et forti adhæsione cum Deo, ibi, « *Anima mea*. »

Dicit ergo : Sic petii, Domine, non judicari a te in judicio, et etiam « *expandi*, » bona faciendo, « *manus meas ad te*. » Thren. I, 17 : *Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam*. I Esdræ, IX, 5 : *Expandi manus meas ad Dominum Deum meum*. Bene autem ad Deum manum expandit, qui illam pauperi propter Deum porrigit. Proverb. XXXI, 20 : *Palmas suas extendit ad pauperem*. Matth. XII, 13 : *Extende manum tuam*, dictum est paralytico : *et extendit, et restituta est sanitati sicut altera*.

« *Anima mea*. » Hic secundum. Quasi diceret : Sic manus expandi, et etiam « *anima mea*, » supple, tibi hæret, « *sicut terra sine aqua*, » ut ipsam irriges, quia a me irrigari non potest. Numer. XXI, 5 : *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo*, et cito morietur nisi a te irrigetur. Job, VIII, 11 : *Numquid potest virere scirpus absque humore?* Quasi diceret : Non : *aut crescere carectum sine aqua ?* Sed cum Deus irrigat arida, tunc virent. Osee, XIV, 6 : *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium*. Propter hoc dicitur, Joel, I, 20 : *Sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te*. Dicitur enim, Isa. LV, 10, quod *imber*, gratiæ, *et nix* descendit *de cœlo*, et *inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit*.

« *Velociter exaudi*. » Hic determinat 7
audiendi modum : et dicuntur duo. Primo, tangit modum quo desiderat audire. Secundo, addit rationem illius modi, ibi, « *Defecit spiritus meus*. »

Dicit ergo : Sic peto, et, o Domine, rogo, « *velociter exaudi me*. » Supra, in Psal. CI, 3 : *In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me*, sicut promittit servus tuus Isaias, Isa. XXX, 19 : *Ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi*. Et, LXV, 24 : *Eritque antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam*.

« *Defecit spiritus meus*. » Hic ratio. Quasi diceret : Ideo audi, quia rogando, suspirando, « *defecit spiritus meus*. » Job, XVII, 1 : *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breviabuntur*. Supra, in antecedenti Psal. CXL, 4 : *In deficiendo ex me spiritum meum*. Spiritus, inquam, elationis, et superbiæ, de quo, Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu*.

« *Non avertas faciem*. » Hic determinat, et specificat petitum. Et primo, petit Dei certam notitiam. Secundo, de Dei misericordia certitudinem, ibi, ỳ. 8 : « *Auditam*. » Tertio, viæ qua itur ad Deum misericordem, notitiam, ibi, « *Notam fac*

mihi. » Quarto, ab inimicis ereptionem, ibi, ỷ. 9 : « *Eripe me de inimicis meis, Domine.* » Quinto, instructionem in facienda divina voluntate, ibi, ỷ. 10 : *Doce me facere.* »

In prima duo. Primo, petit sibi conferri Dei notitiam. Secundo, addit talis petiti causam, ibi, « *Et similis ero.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, velociter exaudi. In quo exaudiam? Ecce, « *Non avertas faciem tuam,* » quin te oculo interiori videam, et cognoscam, « *a me,* » humili, sicut fecisti a superbo aliquando, et peccatore. Dicit enim, Zachar. I, 3 : *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Exod. XXXIII, 13 : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam :* plena est enim gratia, Esther, XV, 17 : *Facies tua plena est gratiarum.* Plena vita, Osee, VI, 3 : *Vivemus in conspectu ejus.*

« *Et similis.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic non avertas, « *et,* » pro quia, si avertis, « *similis ero descendentibis in lacum,* » id est, in peccati profundum. Exod. XV, 5 : *Descenderunt in profundum*, supple, peccati, *quasi lapis.* Et tunc indurantur, Thren. III, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me*, hoc est, cordis duritiam : Et contemnunt, Proverb. XVIII, 3 : *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

8 « *Auditam fac.* » Hic secundum, in quo petit certam misericordiæ cognitionem. Et primo, petit. Secundo, rationem adjungit, ibi, « *Quia in te speravi.* »

Dicit ergo : Sic da tui cognitionem, vel in habita me conserva, et etiam « *fac mihi auditam,* » in aure cordis interiori, « *misericordiam tuam,* » ut possim dicere illud Psalmi : *Misericordia tua magna est super me* [1]. Et hoc, « *mane,* » in ortu scilicet gratiæ tuæ in corde meo. Exod. XIV, 24 : *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum*, etc. Osee, VI, 3 : *Quasi diluculum præparatus est egressus ejus*, ad animam per gratiam suam. Vel, « *mane,* » post finem sæculi hujus, in quo omnino recedent tenebræ : *mane* enim tantum propter hoc dicitur : plena autem meridies erit, quantum ad cognitionem, et ardorem. Isa. LVIII, 10 : *Tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* I Reg. XI, 9 : *Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.* Et tamen erit quasi mane, quia tunc orietur homo ad gloriam. Job, XI, 17 : *Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer.*

« *Quia in te speravi.* » Ecce causa quare confidenter peto. Eccli. II, 11 : *Nullus speravit in Domino, et confusus est.* Ad Roman. V, 5 : *Spes non confundit.*

« *Notam fac mihi viam.* » Hic tertium, in quo petit viæ qua itur ad misericordiam, ostensionem : et dicuntur duo. Primo, petit. Secundo, addit causam quare debeat obtinere, ibi, « *Quia ad te levavi.* »

Dicit ergo : Sic te cognoscere fac, et tuam misericordiam, et etiam « *notam fac mihi,* » tu, non alius, « *viam in qua ambulem,* » ad te. Isa. II, 3 : *Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Doce et ostende quia lux es. Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi.* Tob. IV, 20 : *Pete ab eo ut vias tuas dirigat.* Eccli. XXXVI, 19 : *Dirige nos in viam justitiæ.* Joan. XII, 35 : *Ambulate dum lucem habetis*, viam vobis ostendentem, et non offendetis [2]. Gregorius : « Inoffen-« so pede iter agitur, si Deus et proxi-« mus diligatur. »

« *Quia ad te,* » non ad alium, « *levavi animam meam,* » per desiderium. Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum*, quod facit Spiritus

[1] Psal. LXXXV, 13.

[2] Joan. XI, 9 : *Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Cf. etiam Joan. XI, 10.

sancti gratia. Ezech. III, 14 : *Spiritus levavit me, et assumpsit me.*

9 « *Eripe me de inimicis meis, Domine.* » Hic quartum, in quo petit ab inimicis liberari. Et primo, petit. Secundo causam addit, ibi, « *Ad te confugi.* »

Dicit ergo: Sic da tui cognitionem, et misericordiæ tuæ sensum, et experientiam, et ostende viam, sed ne impediar, o « *Domine, eripe me de inimicis meis,* » dæmone, et exercitu suo me vallante. IV Reg. XXV, 1 : *Venit Nabuchodonosor, rex Babylonis, ipse et omnis exercitus ejus in Jerusalem, et circumdederunt eam.* Eccle. IX, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri : venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, et perfecta est obsidio :* sed tu libera et eripe. II Reg. XXII, 18 : *Liberavit me ab inimico meo potentissimo.* Eccli. LI, 12 : *Eruis sustinentes te, Domine.*

« *Ad te confugi.* » Ecce secundum. Quasi diceret. Sic rogo quod eripias, et debes, supple, quia « *ad te,* » non ad alium, « *confugi.* » Jerem. XVI, 19 : *Refugium meum in die tribulationis.* « *Confugi,* » cum omnibus meis fugi, et sic ex toto fugi. Jerem. XVI, 19 : *Domine, fortitudo mea, et robur meum, et refugium meum*[1]. In Babylonia non remansi. Et, LI, 6 : *Fugite de medio Babylonis.* Tu civitas refugii[2].

10 « *Doce me facere.* » Hic est quintum petitorum. Et primo, petit. Secundo, addit causam, quare exaudiendus, ibi, « *Quia Deus meus.* »

Ait ergo : Sic eripe, ut in via possim libere ambulare, et « *doce me,* » ambulantem jam voluntate interiori, « *facere,* » in exteriori opere, « *voluntatem tuam :* » scire enim viam, et liberam esse, nisi contingat opere ambulare, parum prodest, imo forte plus nocet. Luc. XII, 47 : *Servus qui cognovit voluntatem domini sui..., et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Sed in Psalmo de facientibus dicitur : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*[3].

« *Quia Deus meus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic doce me, ideo « *quia Deus meus es tu.* » Et si non docueris me facere voluntatem tuam, faciam meam. Deuter. XXXII, 6 : *Numquid non ipse pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te ?* quod plus est etiam quam esse Deum. Isa. LXIV, 8 : *Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.*

« *Spiritus tuus bonus.* » Hic secunda pars totius hujus Psalmi, in qua postquam præcessit petitio, subjungitur læta conclusio de certitudine petitorum. Primo ergo ostendit se exaudiendum in deductione per viam ad Deum. Secundo, in largitione vitæ gratiæ, ibi, ℣. 11 : « *Vivificabis me.* » Tertio, in liberatione a tribulatione, ibi, « *Educes de tribulatione.* » Quarto, in inimicorum subjectione, ibi, ℣. 12 : « *Et in misericordia tua disperdes.* » Quinto, in ipsorum damnatione, ibi, « *Et perdes omnes qui tribulant animam meam.* » Secunda pars Psalmi

In prima duo. Primo, certitudo de deductione ipsius per viam ad Deum ducentem. Secundo, ratio tanti beneficii, sola ipsius misericordia, ibi, « *Propter nomen tuum.* »

Dicit ergo : Sic petii, nec in vanum, quia, o Domine, « *Spiritus tuus bonus,* » non meus malus. Sapient. XII, 1 : *O quam bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis !* « *Deducet me,* » viam ostendendo, in ostensa adjuvando, « *in terram rectam.* » Nehem. seu II Esdræ, IX, 20 : *Spiritum tuum bonum dedisti*

[1] Cf. Psal. XVII, 2.
[2] Cf. Numer. XXXV, 11 et seq.
[3] Psal. CX, 10.

eis, qui doceret eos, et duceret. Isa. LXIII, 14 : *Spiritus tuus ductor ejus fuit.* Jerem. XXXI, 9 : *Adducam eos per torrentes aquarum in via recta.* Sapient. X, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas,* etc. Qui ab illo non ducitur, errat in via supernæ civitatis, et affligitur in illa. Eccle. X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.*

11 Et hanc deductionem facies, « *Domine,* » non propter me, sed « *propter nomen tuum,* » propter nominabilem potentiam tuam. De hoc nomine, Isa. LVII, 15 : *Sanctum nomen ejus in excelso.*

« *Vivificabis.* » Ecce secundum, scilicet vivificatio per gratiam : et tangitur primo vivificatio. Secundo, ratio, ibi, « *In æquitate.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, spiritus tuus deducet me, et etiam, « *vivificabis me,* » vita gratiæ. Isa. XXXVIII, 16 : *Corripies me, et vivificabis me.* Ad Ephes. II, 5 : *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Et in eodem, ℣. 4 et 5 : *Propter nimiam charitatem suam.... convivificavit nos in Christo.* Et hoc, « *in æquitate tua,* » hoc est, propter æquitatem tuam, non propter mea merita. Et est æquitas justitia, tamen misericordia temperata. Ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed,* etc.

« *Educes de tribulatione.* » Hic tertium bonum. Quasi diceret : Sic etiam ostendes, sic præbebis vitam, et etiam « *educes animam meam de tribulatione.* » Isa. XLII, 7 : *Ut educeres... de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Job, V, 19 : *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.* Educes autem ad tranquillitatem. Tob. III, 22 : *Post tempestatem, tranquillum facis.* Educes ad lætitiam, Ibidem : *Post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.* Malach. IV, 2 : *Egrediemini, et salietis sicut vituli de armento.* Educes ad lucem, Mich. VII, 9 : *Educet me in lucem, videbo justitiam ejus,* quæ nunc me latet.

« *Et in misericordia tua.* » Hic quartum. Quasi diceret : Sic deducet spiritus vivificans, a tribulatione eripies, « *et disperdes omnes inimicos meos,* » ut nihil mihi nocere possint : et hoc, « *in misericordia tua.* » Zachar. IX, 6 : *Disperdam superbiam Philistinorum.* Jerem. XVII, 18 : *Confundantur qui me persequuntur.* Et, XX, 11 : *Qui persequuntur me cadent, et infirmi erunt.* 12

« *Et perdes omnes.* » Hic quintum, inimicorum perditio in futuro : et tangitur primo illorum perditio. Secundo, ratio sic perdendi eos, ibi, « *Quoniam ego servus.* »

Ait ergo : Sic liberabis a tribulatione, sic disperdes inimicos : « *Et perdes omnes qui tribulant animam meam,* » in infernum eos dejiciendo. Job, XXI, 30 : *In diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur,* quando dicet eis illud Matth. XXV, 34 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

Et merito eos perdes : « *Quoniam ego servus tuus sum,* » quem ipsi ita tribulant. Servus, inquam, tuus, non peccati, etsi aliquando fui. Ad Roman. VI, 20 : *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ.* Joan. VIII, 34 : *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Non mundi : quia, Matth. VI, 24, dicitur : *Nemo potest duobus dominis servire.* Non ventris, sicut illi, de quibus dicitur, ad Roman. XVI, 18 : *Hujuscemodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri.* Sed ego sum servus tuus, Sapient. IX, 5 : *Servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ,* quia tibi servire est regnare hic per gratiam, in præsenti, et meretur regnum gloriæ in futuro, ad quod nos perducat, etc.

PSALMUS CXLIII.

Gratias agit pro victoria: petit hostium exitium.

1. Psalmus David. Adversus Goliath. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, et digitos meos ad bellum.
2. Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et liberator meus :
Protector meus, et in ipso speravi : qui subdit populum meum sub me.
3. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?
4. Homo vanitati similis factus est : dies ejus sicut umbra prætereunt [1].
5. Domine, inclina cœlos tuos, et descende : tange montes, et fumigabunt.
6. Fulgura coruscationem, et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.
7. Emitte manum tuam de alto, eripe me : et libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum :
8. Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.
9. Deus, canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.
10. Qui das salutem regibus, qui redemisti David, servum tuum, de gladio maligno.
11. Eripe me,
Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.
12. Quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua :
Filiæ eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.
13. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud :
Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis :
14. Boves eorum crassæ.
Non est ruina maceriæ, neque transitus : neque clamor in plateis eorum.
15. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt : beatus populus cujus Dominus Deus ejus.

[1] Job, VIII, 9, et XIV, 2.

IN PSALMUM CXLIII

COMMENTARIUS.

« *Psalmus David, ad Goliam* [1]. »

« *Benedictus Dominus Deus meus.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus tertius. Postquam enim petivit ab inimicis liberari, et simul ab omnibus, et sigillatim et divisim ab unoquoque in quatuor præcedentibus Psalmis, hic petit figuratam liberationem adimpleri, agens gratias pro figura.

Propheta gratias agit, quod virtute Dei Goliath vicerit.

Sciendum enim, quod in illa victoria, qua devicit David Goliath [2], in funda, et lapide, et ei caput proprio gladio amputavit, figuratam intellexit victoriam de diabolo per Christum factam. Agens ergo gratias pro figura jam adimpleta, petit adimpleri figuratam in ea veritatem, promittendo laudem cum lætitia, si fuerit exauditus. Et patet titulus ex jam dictis : sic enim habet : « *Psalmus David, ad Goliam.* » Est enim sensus : « *Psalmus* » subditus « *David* » ut actoris, est « *ad Goliam,* » id est, contra Goliam editus : tangit enim dejectionem, et litteralis Goliæ a litterali David, et spiritualis a spirituali petit dejectionem.

Psalmus autem secundum quod jam tactum est, divisus est in tres partes. Primo, gratias agit pro victoria litterali. Secundo, petit spiritualem per illam figuratam, ibi, ℣. 5 : « *Domine, inclina cælos.* « Tertio, promittit se laudaturum si impetraverit, ibi, ℣. 9 : « *Deus, canticum novum.* »

In prima parte duo dicuntur. Primo, gratiarum actio pro beneficiis liberationis in pugna. Secundo, admiratio vel admirativa quæstio de tanta bonitate, qua tam gratis largitur bona, ibi, ℣. 3 : « *Domine, quid est homo ?* »

In prima tria. Primo, gratiarum actio pro liberatione. Secundo, probatio quod bene sunt agendæ gratiæ, quia non ex debito sunt exhibita, sed ex misericordia, ibi, ℣. 2 : « *Misericordia mea.* » Tertio, adhuc aliorum beneficiorum exspectatio ab excitato per illa, ibi, « *Et in ipso speravi.* »

[1] Vulg habet, *Psalmus David. Adversus Goliath.*

Comme le précédent, le psaume est composé en grande partie d'emprunts faits au psaume XVII et à II Reg. XXII. Il n'y a là aucune raison pour révoquer en doute son origine davidique, bien que Schegg croit devoir le rep rter au temps d'Ezéchias Plusieurs manuscrits des Septante, suivis par la Vulgate, ajoutent au nom de David, πρὸς τὸν Γολιάθ, et les Targumistes appuient cette donnée sur le ℣. 10. où il est parlé du « glaive pernicieux. » Cette addition n'est ni dans l'hébreu, ni dans les Hexaples d'Origène, ni même dans tous les manuscrits grecs, et S. Hilaire remarque que « nihil hic psalmus proprium habet, quod ad « gratulationem perempti Goliæ possit referri, « cum magis illic et gestis et tempori multa « contraria sint. » Il ressort du texte que David était roi, non seulement par le sacre, mais par le commandement effectif, et qu'il venait de remporter de grandes victoires, ℣℣. 2, 10. Le psaume se rapporte donc vraisemblablement aux guerres contre les Philistins qui suivirent la reconnaissance de David par toutes les tribus, II Reg. v, 17, (Thalhofer, Patrizi, Elhiott, etc.).

Il se compose de deux parties distinctes ; la première, ℣℣. 1-11, renferme les sentiments d'action de grâces et de confiance habituels au saint roi. La seconde, qui est un écho de Deuter. VII, 13 ; XXVIII, 4, 8, 51, 52, est absolument différente de ce qui précède par le style et les pensées ; elle ne peut se souder au psaume que très artificiellement ; aussi n'hésite t-on pas à voir dans ce morceau un fragment d'un autre chant, peut-être de David, peut-être aussi d'un autre poète, fragment accolé au psaume CXLIII par un rédacteur du psautier.

Au sens spirituel, « l'Eglise de la terre bé« nit Dieu qui la fait triompher, et qui seul lui « tient lieu de tout. » Le Hir.

[2] Cf. I Reg. XVII.

In prima duo. Primo, gratiarum actio pro liberatione sui, et pro instructione in pugna de propinquo : hæc enim dicitur *prœlium* proprie. Secundo, pro instructione in pugna a remoto, ibi, « *Et digitos meos.* »

In prima duo. Primo, gratiarum actio. Secundo, instructio ipsius in pugna de propinquo, ibi, « *Qui docet manus meas.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic cogitavi me ab inimicis liberari, et sigillatim et simul, et « *benedictus* » sit a me, et ab omni creatura, « *Dominus* » qui potuit, « *Deus* » qui scivit, « *meus* » qui voluit. Daniel. III, 57 : *Benedicite, omnia opera Domini, Domino.* Supra, in Psal. CII, 1 : *Benedic, anima mea, Domino.* Luc. I, 68 : *Benedictus Dominus Deus Israel.*

« *Qui docet manus meas.* » Ecce secundum « *qui,* » id est, quia ille « *docet manus meas ad prœlium,* » quod fit de propinquo. II Reg. XXII, 35 : *Docens manus meas ad prœlium.* Et, in eodem, ℣. 33 : *Deus qui accinxit me fortitudine*, scilicet ad prœlium. « *Et digitos meos,* » supple, docet ad bellum, quod fit a remotis. ubi doctrina et eruditione opus est. Proverb. XX, 18 : *Gubernaculis tractanda sunt bella.* Et, XXIV, 6 : *Cum dispositione initur bellum.* Prœlium de propinquo est infestatio carnis : bellum a remotis, infestatio dæmonis, de quo, Job, XL, 27 : *Memento belli, nec ultra addas loqui.*

Docet autem Dominus hominem in prœlio et bello multipliciter. Per propriam rationem, Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* Joan. IV, 16 : *Voca virum tuum.* Per internam inspirationem, Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Per gratiæ infusionem, I Joan. II, 27 : *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Per scripturam, Psal. XCIII, 12 : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum.* Per proprium verbum, Matth. X, 28 : *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, etc. Et per exemplum, Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis*, etc. Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum*, etc. Et per exercitium in tribulatione, Jerem. VI, 8 : *Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te.*

« *Misericordia mea.* » Hic secundum. 2
Postquam enim egit gratias pro instructione sui in pugna utraque, subjungitur hic probatio, quod vere sunt agendæ per gratias sibi factas a Deo, quas enumerat hic per ordinem. Prima misericordia est, quod ipsum præelegerit omnibus in regem[1]. Secunda, refugium, quando constantiam ei dedit contra Goliath[2], ibi, « *Et refugium meum.* » Tertia, susceptio ipsius quem sursum cepit, ei dando gratiam coram Saule ut ei daret filiam[3], ibi, « *Susceptor meus.* » Quarta, liberatio ipsius ab ira Saul, ipsum persequentis[4], ibi, « *Et liberator meus.* » Quinta, protectio ab impugnatione aliorum pro misericordia quam fecit in inimicum, ibi, « *Protector meus.* »

Dicit ergo : Sic gratias ago, et dignum est, quia Dominus Deus meus ipse est « *misericordia mea,* » me misericorditer eligendo in regem super omnes fratres meos. Sapient. X, 5 : *In filii misericordia fortem custodivit.* Vel, « *misericordia mea,* » per effectum. Quasi diceret : In me misericordiam infundis, qua me sanas a præcedentibus peccatis. Sapient. XVI, 10 : *Misericordia tua*, Domine, *adveniens sanabat illos.* Luc. X, 34, Samaritanus infundit sauciato vinum, et oleum. Vel, misericordiam contulisti, qua sum aliis pius, et misericors.

[1] Cf. I Reg. XVI, 13.
[2] I Reg. XVII, 41 et seq.
[3] I Reg. XVIII, 17.
[4] I Reg. XIX, 18 et seq.

Isa. LV, 3: *Feriam vobiscum... misericordias David* fidelis, vel *fideles*.

« *Et refugium meum*, » me ab impugnatione Goliath conservando. Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit justus, et exaltabitur*. Et hoc dignum erat, ut Dominus fieret illi refugium, quem ipse refugium aliis præparabat. De ipso enim David legitur postea, I Reg. XXII, 2 : *Convenerunt ad eum*, scilicet David, *omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno*, etc.

« *Susceptor meus*, » me usque ad hoc quod gener regis essem exaltando. Isa. XLII, 1 : *Ecce servus meus, suscipiam eum*. Suscepit etiam gratiam ad bene operandum, et propterea, quæ sursum sunt infundendo. Eccli. IV, 12 : *Suscipit inquirentes se*.

« *Et liberator meus*, » ab inimico meo Saule me persequente post exaltationem ex invidia. Supra, in Psal. XVII, 48 : *Liberator meus de inimicis meis iracundis*. Liberator etiam meus ab inimico spirituali, post datam gratiam magis fervente, et acrius impugnante. Genes. XIV, 16, Abraham liberavit Lot iterum ab impugnatione alienorum. Isa. XIX, 20 : *Mittet eis salvatorem et propugnatorem qui liberet eos*.

« *Protector meus*. » Ecce quintum. Quasi diceret : Sic liberator est a Saule persequente, et « *protector meus*, » ab omni alio me postea persequente, merito illo quo ei peperci cum inveni eum purgantem ventrem in fossa [1]. Supra, in Psal. LXIII, 3 : *Protexisti me a conventu malignantium*. Protector etiam, quia non solum liberasti me a dæmone post collatam gratiam impugnante, sed protexisti me a carne et mundo infestante. Eccli. II, 13 : *Protector est omnibus exquirentibus se in veritate*.

« *Et in ipso speravi*. » Hic secundum. Præmissa enim gratiarum actione, pro beneficiis acceptis, subjungitur aliorum exspectatio : et tanguntur duo. Exspectatio, et motivum ad ipsam, ibi, « *Qui subdit*. »

Ait ergo : Sic gratias ago pro dictis beneficiis, sicut dictum est, « *et* » etiam « *in ipso*, » adhuc « *speravi*, » quod accipiam alia. Quare ? « *Qui*, » id est, quia ille, « *subdit populum meum sub me*, » eos subjiciendo, me in regno confirmando. II Reg. XXII, 31 : *Scutum est omnium sperantium in se*. Et, ℣. 42 : *Dejicis populos sub me*. Signum autem, quod secure in Deo sperandum est, quando motus nostros arbitrio nostro subjicit, secundum illud Genes. IV, 7 : *Subtus te erit appetitus ejus*. Et tunc impletur illud Apostoli, ad Roman. V, 5 : *Spes non confundit*. Genes. XLI, 40 : *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*. Josue, X, 24 : *Ponite pedes super colla regum istorum*, motuum malorum regnare volentium.

« *Domine, quid est homo ?* » Præmissa gratiarum actione pro tantis beneficiis, et adhuc aliorum exspectatione, subditur hic admiratio de tanta Dei bonitate. Duo ergo dicuntur. Primo, admiratio. Secundo, ratio admirationis, ibi, ℣. 4 : « *Homo vanitati*. » 3

In prima duo. Primo, admiratio de bono cognitionis, quod homini se exhibuit cognoscendum. Secundo, de beneficio dilectionis, ibi, « *Aut filius hominis*. »

Dicit ergo : Hæc beneficia Dominus contulit, et adhuc spero alia, sed, o « *Domine, quid est homo*, » tam fragilis, et vanus per se, « *quia innotuisti*, » innotescere voluisti « *ei ?* » Quasi diceret : Nihil. Ad hoc, Eccli. XVIII, 7 : *Quid est homo, et quæ est gratia illius ?* Et posset responderi, vas luteum quoddam, et fragile, et immundum. Genes. II, 7 : *Formavit igitur Dominus hominem de*

[1] Cf. I Reg. XXIV, 4 et seq.

Deus variis modis innotescit homini.

limo terræ. Innotuisti autem ei per creaturas, et illarum pulchram ordinationem, et potissime per ipsam animam, ad Roman. I, 20 : *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Per prædicationem, Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium,* etc. Per præsentiam corporalem exhibitam, Baruch, III, 38 : *Post hoc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Per interiorem mentis illuminationem in adspectu, et gustationem in affectu, In Psal. XXVI, 1, supra : *Dominus illuminatio mea,* etc. In futuro per ipsam sui speciem, I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

« *Aut filius.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic miror de notitia, et etiam quid est « *filius hominis,* » de luto conditi, « *quia reputas eum,* » ad dilectionem : cum scriptum sit, Job, XXV, 6 : *Homo putredo, et filius hominis vermis.* Tantum autem reputas eum, ut proprium pro ipso tradas Filium. Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Job, VII, 17 : *Quid est homo, quia magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tuum ?* Et, in Psal. VIII, 5, supra : *Quid est homo, quod memor es ejus ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ?* illa visitatione, de qua, Luc. I, 78 : *Visitavit nos oriens ex alto.*

4 « *Homo vanitati.* » Præmissa admonitione, subjungitur ratio admirationis duplex. Hominis vanitas, et vitæ brevitas, ibi, « *Dies ejus.* »

Dicit ergo : Sic admirando quæsivi quid est quod homini innotescis, ipsum diligis, et bene admiror, quia « *homo similis factus est,* » peccando, « *vanitati.* » Job, XI, 11 : *Ipse novit hominum vanitatem.* In Psal. XXXVIII, 6, supra : *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.* Et omnia alia reddidit vana, Eccle. I, 2 : *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes : vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Propter hominis culpam, Ad Roman. VIII, 20 : *Vanitati creatura subjecta est non volens.*

« *Dies ejus prætereunt,* » et valde cito, quia « *sicut umbra.* Job, XIV, 1 : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Sapient. V, 9 : *Transierunt omnia tamquam umbra.* Dicturi sunt mali, Jacob, IV, 15 : *Quæ est enim vita nostra ? Vapor est ad modicum parens.* Isa. XXXVIII, 12 : *De mane usque ad vesperam finies me.* Et probat primo hoc secundum. Illud enim vere vanitas est, quod continue tendit in mortem, et dissolutionem. Augustinus : « Quid est vivere, nisi de « vita transire ? »

« *Domine, inclina cœlos.* » Hic secunda pars principalis totius hujus Psalmi. 5 Secunda pars Psalmi.
Postquam enim egit gratias pro beneficio figurante, supplicat et petit pro adimplenda figurata veritate. Et primo, dirigit petitionem ad Filium, ut carnem assumat. Secundo, quia scit Filium nihil habere nisi a Patre, nihil posse sine Patre, ad Patrem, ut ipsum Filium mittat, qui figuratum adimplebit, ibi, ℣. 7 : « *Emitte manum tuam.* » Vel, ut totum dirigatur ad Filium. Primo, petit adventum primum. Secundo, petit secundum.

In prima duo. Primo, petit Filii incarnationem ab ipso Filio. Secundo, supponit utilitatem, ut suadeat, ibi, in medio ℣. 5 : « *Tange montes.* »

Duo autem concurrunt ad Filii Dei incarnationem. Deitatis inclinatio, et assumptio carnis humilis in illa inclinatione, ibi, « *Et descende.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, gratias dico de beneficio, quo me erudisti ad bellum et prœlium : sed quia hoc figuratum intelligo victoriæ tuæ contra diabolum,

rogo, « *Domine, inclina cœlos tuos,* » deitatem tuam, quæ est casa tua : in ipsa enim habitas. I ad Timoth. vi, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Hoc est cœlum cœli, de quo supra, in Psal. cxiii, 16 : *Cœlum cœli Domino.* Hic petit cœlos inclinari, Isaias vero petit disrumpi, Isa. xliv, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes.* Quasi enim quædam cœlorum disruptio facta est, quando illa persona incarnata est, et aliæ non.

« *Et descende,* » carnem assumendo. Supra, in Psal. xvii, 10 : *Inclinavit cœlos, et descendit.* Joan. iii, 13 : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo,* etc.

« *Tange montes.* » Hic subjungit incarnationis fructum, et utilitatem, superborum scilicet commotionem, ad compunctionem : unde tanguntur tria. Infusio gratiæ in superbos prius. Secundo, illorum commotio ad compunctionem, ibi, « *Et fumigabunt.* » Tertio, compunctorum humiliatio, ibi, « *Fulgura coruscationem.* »

Dicit ergo : Sic descende, et « *tange,* » id est, tanges, « *montes,* » superbos, et claros gratia tua interius. Genes. xxvii, 21 : *Accede huc, ut tangam te, fili mi.*

« *Et fumigabunt,* » commoti compunctione præcedentium delictorum. Exod. xix, 18 : *Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* Placet Domino fumus iste. Isa. xlii, 3 : *Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet.* Isa. vi, 4 : *Domus,* Dei scilicet, *repleta est fumo.* Fumus magnus est signum magni ignis, et magni hospitis. Joan. xiv, 23 : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Apocal. viii, 4 : *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

6 « *Fulgura coruscationem.* » Hic tertium, ipsorum scilicet humiliatio, et per duo. Per miraculorum coruscationem primo. Secundo, per prædicationis instantiam, ibi, « *Emitte sagittas.* »

Dicit ergo : Sic tange montes, et fumigabunt, et etiam « *fulgura,* » id est, fulgora, id est, clarifica, « *coruscationem,* » id est, miracula, quæ sunt quædam coruscatio, declara et demonstra, sicut per Joel promissum est, ii, 30 : *Dabo prodigia in cœlo,* sursum, *et* signa *in terra,* deorsum. Eccli. xxxvi, 6 : *Innova signa, et immuta mirabilia.* Et sic factum est, Marc. xvi, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Job, xxxvi, 29 et 30 : *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.* Hoc est quod addit, « *Et dissipabis eos,* » qui prius erant contra te colligati. Judic. xv, 4, Vulpes Samsonis caudas habebant ad invicem colligatas. Job, xl, 12, Nervi testiculorum Behemoth perplexi sunt [1], nisi disrumpantur per miracula.

« *Emitte sagittas.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic corusca miracula, et etiam « *emitte sagittas,* » acutas auctoritates sacræ Scripturæ, de quibus, Isa. xiii, 18 : *Sagittis parvulos interficient.* « *Et conturbabis eos,* » ad bonum, et ad pœnitentiam. IV Reg. xiii, 17 : *Sagitta salutis* Domini *contra Syriam.* Habac. iii, 11 : *In luce sagittarum tuarum,* sacrarum scilicet auctoritatum, *ibunt.* Vel, *sagittas* appellat ipsos prædicatores, quos emittit de pharetra providentiæ. Isa. xlix, 2 : *Posuit me sicut sagittam electam.*

« *Emitte manum.* » Hic secundum, in quo petit a Patre ut mittat Filium, cui jam supplicavit ut descenderet : et dicuntur duo. Primo, petitio ad Patrem, 7

[1] Job, xl, 12 : *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.*

ut mittat Filium. Secundo, persuasio, vel ratio quare petit, ibi, « *Eripe me de aquis.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, rogavi Filium ut descenderet : et quid autem faceret sine voluntate tua, cum est una et eadem tecum voluntas ? Scio quod nihil : propter quod rogo, Domine Pater, « *Emitte,* » extra mitte. Sapient. IX, 10 : *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ.* Hæc est manus, quæ quamvis incurvetur, non tamen abbreviatur. Isa. L, 2 : *Numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere ?* Imo, multo melius et paratius potuit incarnata, quam ante. Hujus manus quinque sunt digiti. Pollex primus : quando enim Christus promittebat, quasi pollicem extendebat hæc manus : *pollex* enim a pollicendo dicitur. Matth. IV, 17 : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Secundus, *index*, quem extendit Christus nobis Patrem demonstrando. Joan. I, 18 : *Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit*, scilicet nobis. Tertius, *medius*. Hunc extendit hæc manus, quando orationibus et intercessionibus mediatorem se fecit nostri, et Dei. I ad Timoth. II, 5 : *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Quartus, *medicus*. Hunc extendit quando infirmitates sanavit, maxime spirituales. Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus.* Luc. V, 31, similiter. Quintus, *auricularis*, qui removet ab auribus impedimentum. Hunc extendit nostra manus, aperiendo aures et materiales, et spirituales. Isa. XXXV, 5, de primis : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt.* De secundis, Luc. XXIV, 45 : *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.*

Qui sint digiti manus Christi?

« *Eripe me.* » Hic secundum, in quo subjungitur ratio, quare petit, duplex. Prima est ereptio ab adversitatibus impugnantibus. Secunda, ab impugnatoribus, « *Et libera me de manu.* »

Ait ergo : Sic manum mitte, et per eam « *eripe me de aquis multis,* » tribulationibus scilicet et tentationibus : per Filium enim vera libertas. Joan. VIII, 36 : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Quare ? quia dabit spiritum libertatis. II ad Corinth. III, 17 : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* II Petr. II, 9 : *Novit Dominus pios de tentatione eripere.*

« *Et libera me.* » Hic secundum : hoc enim respicit ad sequens : singula enim verba singulis clausulis sunt reddenda. Et primo, petit ab inimicis ereptionem. Secundo, inimicorum subjungit descriptionem, ibi, ℣. 8 : « *Quorum os.* »

Ait enim : Sic eripe me de tribulationibus, « *et libera me,* » per eamdem manum, « *de manu,* » de potestate, « *filiorum alienorum,* » dæmonum scilicet, qui multos alios generant in hoc mundo tribulantes et affligentes bonos. Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis.* Ab his alienis libera me, ut sequar exhortationem illam Proverb. V, 9 : *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli.* Et, Baruch, IV, 3 : *Ne tradas alteri gloriam tuam, et dignitatem tuam genti alienæ :* ne fias alienus sicut ipsi. Osee, IX, 10 : *Abalienati sunt in confusionem, et facti sunt abominabiles.*

« *Quorum os locutum est.* » Hic se- 8
cundum, in quo subjungitur inimicorum descriptio a duobus. A vana loquacitate primo, et a perversitate operis secundo, ibi, « *Et dextera eorum.* »

Dicit ergo : Sic rogavi ut me liberes de manu filiorum alienorum, « *quorum os locutum est vanitatem.* In Psal. XI, 3, supra : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* I ad Timoth. I, 6 : *Conversi sunt in vaniloquium.* Vaniloquium est quidquid est impertinens ad scientiam, et scientiam Dei. Sapient. XIII, 1 : *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.*

« *Et dextera eorum,* » eorum scilicet

operatio, quæ judicio suo videtur dextera, « *dextera iniquitatis.* » Supra, in Psal. xxv, 10 : *In quorum manibus iniquitates sunt.* Isa. I, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.*

9 « *Deus, canticum.* » Hic tertia pars totius hujus Psalmi, in qua subjungitur laudis promissio, si impetrata fuerit ab hoste liberatio : unde dicuntur duo. Primo, promissio. Secundo, ut monstretur ad quid promittit hoc, petitionis de liberatione repetitio, ibi, ℣. 11 : « *De gladio.* »

Tertia pars Psalmi.

In prima autem dicuntur duo. Primo, promissio laudis. Secundo, ratio quare bene laudandus est, ibi, ℣. 10 : « *Qui das salutem.* »

In prima duo. Primo, promissio laudis, et cantici. Secundo, determinatio instrumenti in quo cantabit, ibi, « *In psalterio.* »

Dicit ergo : Sic gratias egi pro figura, petii veritatem adimpleri, et o « *Deus, cantabo tibi,* » non alii, nec etiam mihi. Sibi enim cantat, qui pro mercede temporali cantat, de quibus dicitur, Matth. vi, 2 : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Et hoc, « *canticum novum,* » novi scilicet hominis per gratiam renovati, non inveterati in peccato. Isa. XLII, 10 : *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.* Apocal. XIV, 3 : *Cantabant quasi canticum novum.* Laudare Deum in prosperis, hoc procul dubio canticum est, sed vetus est : ab antiquo enim benefici a recipientibus beneficia laudantur. Psal. VIII, 19 : *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Sed laudare in adversis, hoc est canticum novum : hoc enim Jacobus adinvenisse videtur, Jacob. I, 2 : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias,* etc. Et Paulus, ad Roman. XII, 12 : *In tribulatione patientes.*

« *In psalterio.* » Hic instrumenti determinatio. Quasi diceret : Sic canticum novum cantabo, et « *psallam tibi in psalterio decachordo,* » in operibus legis per decem præcepta distinctis : in lege enim præceptorum laudat, qui legem consummat, hoc est, qui diligit et amat. Ad Roman. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Aliter non impletur, I ad Corinth. XIII, 3 : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

« *Qui das salutem.* Hic secundum, 10
scilicet ratio quare laudandus, quia salvat reges : unde tanguntur duo. Primo, regum salvatio. Secundo, probatio quod ita sit per exemplum, ibi, « *Qui redemisti David.* »

Dicit ergo : Sic cantabo, et dignum est : « *Qui,* » id est, quia tu « *das salutem regibus.* » Proverb. XXI, 1 : *Cor regis in manu Domini.* Regibus etiam, hoc est, omnibus seipsos regentibus Job, III, 13 et 14 : *Requiescerem cum regibus et consulibus terræ :* omnes enim obtemperantes sibi, et reges sibi sunt, et ab eo salvantur. Ad Hebr. v, 9 : *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

« *Qui redemisti.* » Ecce secundum, in quo ponit exemplum. Quasi diceret : Bene dico, quod das salutem regibus, quia tu es « *qui redemisti David, servum tuum,* » quamvis rex esset. Supra, in Psal. XXX, 6 : *Redemisti me, Domine, Deus veritatis,* dixit David. David etiam potest accipi pro toto corpore Ecclesiæ cum ipso capite. Unde in Glossa, *David,* id est, totum Christum, caput scilicet cum corpore. Ergo Christus redemit seipsum. Ad hoc videtur facere quod dicitur, Ezech. XLV, 22 : *Et faciet princeps in die illa, pro se et pro universo populo terræ, vitulum pro peccato.* Contra, ad Hebr. IX, 7 : *Pontifex... offerat pro sua et populi ignorantia.* Glossa : « Christus pro populo obtulit, pro se vero non nisi in « membris. » Responsio. Redemit seipsum quantum ad pœnam, nos autem quantum ad culpam. Isa. XLIII, 7 : *Noli timere, serve meus Jacob, quia redemi*

te. I Petr. I, 18 et 19 : *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine,* etc.

11 « *De gladio*[1]. » Hic secundum, in quo subjungitur petitionis repetitio, ut monstretur ratio petitionis. Duo ergo dicuntur. Primo, petitio ereptionis ab adversariis. Secundo, diligens illorum descriptio, ibi, « *Quorum os locutum est.* »

Et in prima duo. Primo, petit eripi a malignis. Secundo, ab extraneis, ibi, « *Et erue me.* »

Dicit ergo : Sic promisi, et tu, Domine, « *de gladio maligno,* » id est, maligni, « *eripe me.* » Hic est gladius de quo, Job, XXVII, 14 : *Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt.* Gladius malignus est iniquitas. Eccli. XXI, 4 : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Et dicitur *malignus,* ad differentiam gladii boni, de quo, Matth. X, 34 : *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium.* Et de quo, ad Ephes. I, 17 : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Ad differentiam gladii justi, de quo dicitur, Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum est gladius.* Et, Apocal. I, 16 : *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.*

« *Et erue me.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic erue de gladio maligno, qui si familiaris esset, forte parceret: et propter hoc rogo, « *Erue me de manu filiorum alienorum* » (*filiorum,* pro nihilo sumitur) sicut promittis, Jerem. XV, 20 et 21 : *Eruam te, dicit Dominus : et liberabo te de manu pessimorum.* Osee, V, 7 : *In Dominum prævaricati sunt, quia filios alienos genuerunt.*

« *Quorum os locutum est.* » Hic subjungitur horum descriptio a tribus. Primo, a vanitate locutionis. Secundo, a perversitate operis ibi, « *Et dextera.* » Tertio, a falsitate prosperitatis, ibi, ℣. 12: « *Quorum filii.* »

Exponere autem non oportet duo prima, sed expone sicut fuere supra exposita, ℣. 8.

« *Quorum filii.* » Hic tertium, in quo describuntur a temporali felicitate : et dicuntur tria. Primo, abundantiam bonorum suorum describit. Secundo, hanc abundantiam ostendit esse felicitatem vulgari opinione, ibi, ℣. 15 : « *Beatum dixerunt.* » Tertio, diffinit quid inde sentit, ibi, « *Beatus populus.* » 12

In prima duo. Primo, ostendit abundantiam in prole. Secundo, in possessione, ibi, ℣. 13 : « *Promptuaria eorum.* »

Dicit ergo : Erue me de manu eorum, quorum os loquitur vanitatem, et dextera operatur iniquitatem. « *Quorum* » etiam « *filii,* » sunt « *sicut novellæ plantationes,* » constabilitæ, et firmæ « *in juventute sua.* » Job, XXI, 11 : *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exsultant lusibus.* Vel melius legatur sic : « *Quorum filii* » sunt « *in juventute sua sicut novellæ plantationes,* » quæ cito eradicantur. Sapient. IV, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt.* Ne discrepat a Glossa. Eccli. XL, 15 : *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos :* cito enim eradicantur, etsi ad modicum aliquid viroris habeant. Matth. XV, 13 : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus eradicabitur.*

« *Filiæ eorum compositæ.* » Hic felicitas quantum ad sexum fœmininum : et tanguntur duo. Primo, filiarum compo-

[1] Vulg. habet : *Qui das salutem regibus, qui redemisti David, servum tuum, de gladio maligno. Eripe me, et erue me de manu filiorum alienorum,* etc. Commentarius D. Alberti non curat de puncto, et jungit hæc verba *de gladio maligno,* cum verbis sequentibus *eripe me.*

sitio. Secundo, determinatio compositionis, et ornatus, ibi, « *Circumornatæ.* »

Dicit ergo : Sic filii eorum, et « *filiæ eorum* » sunt « *compositæ,* » id est, ornatæ sicut Jezabel, IV Reg. IX, 30 : *Jezabel... depinxit oculos suos stibio, et ornavit caput suum.*

« *Circumornatæ,* » et in capillis, et in capite, « *ut similitudo templi,* » auro scilicet et sericis, quibus ornatur templum. I ad Timoth. II, 9 : *Ornantes se, et non in tortis crinibus, et auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.* Talis enim Christo vana est. Jerem. IV, 30 : *Cum vestieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, et ornaveris stibio oculos tuos, frustra componeris.* Imo damnosa frequenter, quia raro fit quin fiat ut infirmis sit scandalum, et ruina. Isa. III, 16 et 17 : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant,... et composito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* I Petr. III, 3 : *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.*

13 « *Promptuaria eorum.* » Hic secundum, in quo ostensa fœcunditate in prole, addit de abundantia in temporali possessione. Primo, in mobilibus. Secundo, in immobilibus, ibi, in medio ỷ. 14 : « *Non est ruina.* »

In prima duo. Primo, abundantia mobilium interiorum. Secundo, exteriorum, ibi, « *Oves eorum.* »

In prima duo. Primo, tangitur mobilium interiorum abundantia. Secundo, abundantiæ vehementia, ibi, « *Eructantia.* »

Dicit ergo : Sic prosperantur in filiis, et filiabus, et etiam « *promptuaria,* » loca ad reponendum victualia, « *eorum plena,* » tritico, vino, et talibus, sicut illius, qui dicebat, Luc. XII, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Ita aliquando malorum abundant horrea et cellaria, sicut et justorum, quibus dicitur, Proverb. III, 9 et 10 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum da ei,* in persona pauperum : *et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.* Propter hoc dicitur, Job, XII, 6 : *Abundant tabernacula prædonum, et audacter provocant Deum.* Et rursus, XXI, 7 : *Sublevati sunt, confortatique divitiis.*

« *Eructantia,* » præ nimia plenitudine, « *ex hoc in illud.* » Jerem. V, 27 : *Domus eorum plenæ dolo,* id est, rebus per dolum acquisitis, vel in dolo retentis.

« *Oves eorum.* » Hic tangitur abundantia mobilium exteriorum, qualia sunt oves, et boves. Unde primo, ostendit felicitatem quantum ad greges. Secundo, quantum ad armenta, ibi, ỷ. 14 : « *Boves eorum crassæ.* »

Dicit ergo : « *Oves eorum fœtosæ,* » id est, fœcundæ. Sic Glossa. Sequitur : « *Abundantes in egressibus suis,* » in fœtibus qui ab eis egrediuntur. Genes. XIII, 5 : *Lot... fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula.* Job, XXI, 10 : *Bos eorum concepit, et non abortivit, et vinea eorum non est privata fœtu suo.*

« *Boves eorum crassæ.* » Ecce felicitas quantum ad armenta. Ita crassæ sicut illæ 14
quas videbat Pharao ascendere de flumine. Genes. XLI, 2 : *Ascendebant septem boves pulchræ, et crassæ nimis.*

« *Non est ruina maceriæ.* Hic est tertium, in quo tangitur prosperitas in habitatione. Et primo, tangitur habitaculorum firmitas. Secundo, tranquillitas ex illis habita, et pax, ibi, « *Neque clamor.* »

Ait enim : Sic felices sunt in filiis, et filiabus, et in rebus mobilibus, et quantum ad immobiles, « *non est ruina maceriæ,* » ut penitus et subito dissolvatur :

« *neque transitus*, » ut saltem successive dissipetur. Non accidit domui eorum sicut domui Job : in illam namque ventus vehemens irruit, et omnes occidit [1]. « *Neque clamor in plateis eorum*, » tanta est tranquillitas, et pax. Job, xxi, 9 : *Domus eorum securæ sunt, et pacatæ*.

Legi etiam potest totum ab illo loco : « *Quorum filii*, » de hæreticis, quorum filii sunt novellæ plantationes in novitate doctrinæ hæreseos generati, non in antiquitate doctrinæ sacræ, et Apostolicæ. Hanc novitatem Apostolus docet devitare discipulum, I ad Timoth. vi, 20 : *O Timothee*, inquit, *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*, etc. I Joan. ii, 7 : *Charissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio. Filiæ* autem *eorum*, animæ scilicet, et inconstantes animæ ab eis deceptæ, *compositæ* sunt et *circumornatæ*, in exteriori apparentia sanctitatem simulatam ostendendo, *ut similitudo templi*, non sicut verum templum, quod sunt veraciter sancti. I ad Corinth. iii, 17 : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. Hi ornantur veris virtutibus : sed hæreticorum filii, ut similitudo talium. Matth. xxiii, 27 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, qui a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia et immunditia. Promptuaria* autem *eorum*, id est, corda ad omne malum prompta, *plena*, malitia, et illam *eructantia*. Eccli. xi, 32 : *Sicut eructant præcordia fætentium*, malum scilicet verbum, sic bonorum bonum verbum, secundum illud Psal. xliv, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum*, sic malorum malum verbum, secundum illud Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur*. Et bene *ex hoc in illud*, supplendum enim est fugientes : cum enim eructantes malum in aliquo confusi fuerint, statim fugiunt ad aliud, tamquam vulpeculæ diversa quærentes diverticula, secundum illud Cantic. ii, 15 : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Oves* autem *eorum*, sunt simplices exterius inter eos, qui sua simplicitate falsa, multos generant et attrahunt : unde *oves fœtosæ* dicuntur. Propter hanc simplicitatem dicitur de eis, Matth. vii, 15 : *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Bene autem dicuntur in *egressibus abundare*, non in ingressibus : quia quos generant, non ingrediuntur, nec intrant ad vitam, sed magis ipsi cum suis Doctoribus excluduntur. Matth. xxiii, 13 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Boves* autem *eorum*, Doctores scilicet eorum, et prædicatores. Job, i, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos : crassæ*, ad litteram otio impinguati, vel magis pinguedine superbiæ inflati. Job, xv, 27 : *Operuit faciem ejus crassitudo. Non est ruina maceriæ*, id est, conjunctionis ipsorum ad invicem, sine charitatis cæmento. Vel, scientiæ eorum philosophicæ, nisi tu diruas illam qui solus potes, secundum illud Isa. v, 15 : *Diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem : murus tamen Jerusalem ab eis dissipatur*. Nehem. seu II Esdræ, ii, 13 : *Egressus sum... ad portam stercoris, et considerabam murum Jerusalem dissipatum*. Nec est inter eos *clamor*, ad exhortandum ad pugnam contra diabolum. Exod. xxxii, 18 : *Non est clamor adhortantium ad pugnam*, sed magis pax mala, de qua, Isa. xxxviii, 17 : *In pace amaritudo mea amarissima*.

« *Beatum dixerunt*. » Hic secundum 15
totius hujus partis, in quo descripta eorum prosperitate, ostendit ipsam esse beatitudinem vulgari æstimatione.

[1] Cf. Job. i, 18 et 19.

Ait enim : Hæc bona habent, in his temporalibus abundant. « *Et dixerunt,* » homines carnales terrena sapientes, « *populum cui hæc sunt, beatum,* » ipsum decipientes. Isa. III, 12 : *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt :* quia non beatitudo, sed infelicitas est. Augustinus : « Nihil infelicius felicitate « peccantium. » Proverb. I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos.*

« *Beatus populus.* » Hic tertium, in quo definit quid inde sentit. Quasi diceret : Sic talem populum beatum dicunt, vulgus, quod ego non dico. Imo « *populus* » ille « *beatus* » est, « *cujus est Dominus,* » faciens eos de familia sua, « *Deus ejus,* » creatione, et recreatione. Hæc est sententia reginæ Saba, III Reg. x, 8 : *Beati viri tui, et beati servi tui, qui stant coram te semper.*

[...]itiæ non [...]eunt fa[...]ere beatum.

Nota ergo, quod divitiæ non possunt facere beatum. Primo, quia cito transeunt, Job, v, 3 : *Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Steriles sunt, etiam quantumcumque durent, Sapient. v, 8 : *Quid nobis profuit superbia nostra? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ?* Introitum ad beatitudinem regni cœlestis impediunt, Matth. XIX, 24 : *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Contra possessorem testes sunt, quod non debeant recipi, Jacob. v, 3 : *Aurum vestrum, et argentum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit.* In infernum includunt, et sepeliunt, Luc. XVI, 22 : *Mortuus est autem et dives, et sepultus in inferno.*

Diffinitur qui sit vere beatus.

Sed beatum facit fidei auditus, secundum illud Proverb. VIII, 34 : *Beatus homo qui audit me.* Robur spei, Proverb. XVI, 20 : *Qui sperat in Domino, beatus est.* Reverentia timoris Domini, Eccli. XXV, 15 : *Beatus homo cui donatum est habere timorem Domini.* Et obedientia charitatis, Proverb. XXIX, 18 : *Qui custodit legem,* supple, ex charitate, *beatus est,* aliter non esset. Talium enim Dominus est : et ob hoc beati sunt jam in spe, postmodum beatificandi ab eo re ipsa, ipso præstante qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIV.

Canticum laudis quo prædicantur Dei bonitas et alia attributa.

1. Laudatio ipsi David.
Exaltabo te, Deus meus rex : et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.
2. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.
3. Magnus Dominus, et laudabilis nimis : et magnitudinis ejus non est finis.
4. Generatio et generatio laudabit opera tua, et potentiam tuam pronuntiabunt.
5. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt.
6. Et virtutem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam narrabunt.
7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt.

8. Miserator et misericors Dominus : patiens et multum misericors.
9. Suavis Dominus universis : et miserationes ejus super omnia opera ejus.
10. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua : et sancti tui benedicant tibi.
11. Gloria regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur :
12. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnificentiæ regni tui.
13. Regnum tuum regnum omnium sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem.
Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.
14. Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos.
15. Oculi omnium in te sperant, Domine : et tu das escam illorum in tempore opportuno.
16. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.
17. Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.
18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.
19. Voluntatem timentium se faciet : et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.
20. Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet.
21. Laudationem Domini loquetur os meum : et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum et in sæculum sæculi.

IN PSALMUM CXLIV

COMMENTARIUS.

« *Laudatio ipsi David* [1]. »

« *Exaltabo te, Deus meus rex.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus quartus in toto libro, quadragesimus quartus in tertia parte libri. Postquam enim in præcedenti Psalmo Filii Dei incarnationem petiit, et se promisit laudaturum, si assecutus fuerit petitum, ad ipsum Christum, tamquam jam videat incarnatum, sermonem convertit, promittens se laudaturum, et ostendens quod laudandus sit, et invitans alios ad laudandum. In septem Psalmis a perfectis viris divina laus completur, et maxi-

Argumentum Psalmi quod Deus laudandus sit, et ejus laus a novem locis petenda.

[1] Avec ce psaume, dit M. l'abbé Lesêtre, commence la série doxologique qui termine le livre; il est d'ailleurs le seul qui porte le nom *thehillah*, « louange, » dont le pluriel *thehillim* sert à désigner tout le psautier. Il est attribué à David, et aucune objection sérieuse ne peut être élevé contre l'indication du titre. Ce chant de louange est d'une grande beauté : le psalmiste y exprime de touchantes pensées sur la bonté et la miséricorde de Dieu, et sur les louanges qui lui sont dus à raison do ses divins attributs. Aussi la tradition juive en faisait-elle grande estime. « Chacun de ceux qui récitent trois fois par « jour la *thehillah* de David peut être certain « qu'il est un enfant du siècle futur, » Berachoth, 4, parce que, ajoute la Gémara, « non « seulement ce psaume est alphabétique (le « CXIX l'est aussi par série de huit vers), non « seulement il célèbre la providence de Dieu « sur toutes les créatures (ce que fait aussi le « *grand hallel*, CXXXVI), mais il réunit ces deux « caractères à la fois. » La forme alphabétique a été choisie par David, afin que ce chant, destiné à être répété souvent, restât plus fidèlement gravé dans la mémoire. Chaque lettre commande une distique octosyllabique, mais le כ fait défaut ; il manque dans Théodotion, Aquila, Origène, S. Jérôme et le Chaldéen ; les Septante suppléent à cette lacune en ajoutant

me Christi pro nobis incarnati, septem donis Spiritus sancti repleti, et replentis suos.

Unde titulus competens hic præponitur, qui talis est : « *Laudatio ipsi David.* » Sicut enim superius dictum fuit, quando ei quod est *David*, additur *ipsi*, tunc Christus designatur : ipse enim est verus David. Sensus ergo est : « *Laudatio,* » subjecto Psalmo expressa, convenit « *ipsi David,* » id est, Christo : ipsi enim debetur omnis laus, omnis gloria, sicut dicitur, II ad Timoth. IV, 18[1].

Dividitur autem Psalmus in tres partes. Primo, promittit se vehementer laudaturum. Secundo, distinguit diversos laudandi locos, id est, diversas causas, ex quibus laudes sumendæ sunt, ibi, ℣. 4 : « *Generatio et generatio.* » Tertio, exponit et explanat magis propositos locos, vel causas laudandi, ibi, ℣. 8 : « *Miserator et misericors.* »

In prima duo. Primo, promissio. Secundo, promissionis ratio, ibi, ℣. 3 : « *Magnus Dominus.* »

In prima duo. Primo, promittit laudis sublimitatem. Secundo, subjungit sic laudandi utilitatem, ibi, ℣. 2 : « *Per singulos dies benedicam tibi.* »

Dicit ergo : Sic, Domine, veni, et incarneris, et sic redime, et eripe, et ego o « *Deus meus,* » creatione, « *rex* » gubernatione, « *exaltabo,* » laude sublimi laudabo te. *Deus meus*, est Christus. Exod. XV, 2 : *Iste Deus meus,... et exaltabo eum.* Isa. XXV, 1 : *Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo.* Ipse rex natus de tribu Juda, radix David. Nec tantum rex, imo sicut Apocal. XIX, 16, dicitur : *Rex regum, et Dominus dominantium.* Rex, quia coronatur corona naturæ, mundissima et sanctissima carne, quam traxit de Virgine. Cantic. III, 11 : *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Corona miseriæ, Joan. XIX, 5 : *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam.* Et tandem corona gloriæ in resurrectione, Psal. VIII, 6 : *Gloria et honore coronasti eum, Domine.* Exaltetur ergo hic Rex. Eccli. XLIII, 33 : *Exaltate illum quantum potestis, major enim est omni laude.* Daniel. III, 52 : *Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, et laudabile, et superexaltatum in omnibus sæculis.*

Prima pars Psalmi.

« *Et benedicam.* » Ecce magnificæ laudis utilitas. Quasi diceret : Sic exalta-

un verset qui diffère peu du ℣. 17 ; mais on ne le lit que dans un seul manuscrit hébreu, et la tradition juive le repousse ; aussi n'est-on point sûr qu'il soit l'original.

Dans les psaumes alphabétiques, il ne faut pas s'attendre à trouver un ordre logique dans le développement des idées ; aussi la même pensée revient-elle plusieurs fois, et, dit Théodoret, « prophetæ desiderium docet. » 1°-3°, ℣℣. 1-6, je veux louer Jéhova, et toutes les générations le loueront à leur tour ; 4°-5°, ℣℣. 7-10, car il est bon et miséricordieux, 6°-7°, ℣℣. 11-13, et son règne est puissant, glorieux et éternel ; 8°-9°, ℣℣. 14-17, il prend soin de toutes ses créatures ; 10°-11°, ℣℣. 18-21, surtout de ses fidèles serviteurs : que toute chair le bénisse donc à jamais.

Ce chant d'actions de grâces est un des plus beaux que le chrétien puisse redire. « Ut « bene ab homine laudetur Deus, dit S. Augustin, laudavit se ipse Deus ; et quia di« gnatus est laudare se, ideo invenit homo « quemadmodum laudet eum... Laudando se « amabilem se facit, et in eo nobis consulit, « quia se amabilem facit. » Une partie des prières avant et après le repas sont empruntées à ce psaume. Dans un sens plus élevé, S. J. Chrysostôme l'entend de la sainte Eucharistie, et atteste en même temps l'usage qu'on en faisait dans la célébration des saints mystères : « Hic psalmus diligenter attendendus « est. Hic enim iis constat verbis, quæ qui sunt « mysteriis nostris initiati assidue succinunt « dicentes : *Oculi omnium...* Factus es filius, et « mensa spirituali frueris, comedens carnem « et sanguinem ejus qui te regeneravit : refer « itaque gratiam pro tanto beneficio. »

H. Lesêtre.

[1] Cf. etiam I ad Timoth. VI, 16.

bo, « *et* » merito hujus exaltationis, « *benedicam nomini tuo,* » tuæ gloriosæ notitiæ qua fruar : et hoc, « *in sæculum sæculi* » consecutivum, hoc est, in futuro sæculo. Isa. LXV, 14 : *Servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos præ contritione spiritus ululabitis.* Isa. XXV, 1 : *Confitebor nomini tuo,* non confessione benedictionis, et laudis : *quoniam fecisti mirabilia.* Daniel. III, 52 : *Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum.* Et hoc, « *in sæculum sæculi.* » Daniel. III, 74 : *Benedicat Israel Dominum, laudet et superexaltet eum in sæcula.*

2 « *Per singulos dies.* » Hic secundum. Præmissa enim laudis sublimitate, et excellentia, promittit laudis frequentiam et continuationem : et tanguntur similiter duo. Primo, promissio frequentiæ in laude. Secundo, fructus et utilitas sequens ex promissione, ibi, « *Et laudabo.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod exaltabo te Deus meus et rex, et etiam « *benedicam tibi per singulos dies.* » Quasi diceret : Benedicam tibi continue et frequenter. Eccli. XIV, 14 : *Non defrauderis a die bono, et particula boni diei non te prætereat,* quin semper Deum laudes, et ei pro beneficiis acceptis benedicas. Gregorius : « Non cessemus gratias agere, « quia non cessat bene facere. » Nehem. seu II Esdræ, IX, 3 : *Legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die : et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum.* Dies autem spirituales, in quibus benedicendus est Deus, sunt septem, sicut dies naturales, scilicet septem Spiritus sancti dona, quæ facit in nobis verus sol Christus, scilicet timor, pietas, scientia, fortitudo, consilium, intellectus, et sapientia. Vel septem virtutes, fides, spes, charitas, prudentia, fortitudo, temperantia, justitia.

« *Et laudabo.* » Ecce fructus, et utilitas.

Ait enim : Sic benedicam te per dies singulos, « *et laudabo nomen tuum,* » laude jucundissima, et suavissima, « *in sæculum* » futurum, « *et in sæculum sæculi* » consecutivum, hoc est, in æternitate : qui enim hic nititur Deum laudare continue, merebitur laudare in æternitate. Isa. XXXVIII, 20 : *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo,* etc. Et, LI, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.* Propter hoc dicebat Ecclesiasticus, LI, 8, volens ad hunc fructum pervenire : *Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum.* Et in eodem, ℣. 15 : *Laudabo nomen tuum assidue.*

« *Magnus Dominus.* » Hic secundum, 3
in quo subjungitur laudis ratio in generali triplex. Prima, ipsius magnitudo absoluta. Secunda, in bonitate excellentia, ibi, « *Et laudabilis nimis.* » Tertia, incomprehensibilitas in magnitudine dicta, ibi, « *Et magnitudinis.* »

Dicit ergo : Sic laudabo laude excellenti, et frequenti : et hoc quia « *magnus Dominus,* » supple, est. Jerem. XXXII, 18 : *Fortissime, magne et potens, Dominus exercituum nomen tibi.* Daniel. XIV, 40 : *Magnus es, Domine Deus Danielis.* « *Et laudabilis nimis,* » propter tui excellentiam in bonitate, et valore. Apocal. IV, 11 : *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem,* etc. Idem omnino, I Paral. XVI, 25 : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis.* « *Et magnitudinis ejus,* » quam jam tetigi absolute, « *non est finis.* » Eccli. XLIII, 31 : *Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius.* Job, XXXVI, 26 : *Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram, numerus annorum ejus inæstimabilis.* Nec solum carens fine in magnitudine potentiæ, sed in magnitudine regiæ dignitatis. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod*

non corrumpetur. Luc. I, 33 : *Regni ejus non erit finis*.

4 « *Generatio et generatio*. » Hic secunda pars principalis, in qua postquam promisit se magnifice laudaturum, distinguit locos ex quibus amanti sumenda est laus, et sunt novem loci. Et primus locus, divina operatio. Secundus, potentia, ibi, « *Et potentiam*. » Tertius, gloriosa magnificentia, ibi, ỹ. 5 : « *Magnificentiam*. » Quartus, sanctitas, ibi, « *Sanctitatis*. » Quintus, operatio miraculosa, ibi, « *Et mirabilia*. » Sextus, virtus deterrens malos, ibi, ỹ. 6 : « *Et virtutem terribilium*. » Septimus, magnitudo, ibi, « *Et magnitudinem*. » Octavus, suavitas, ibi, ỹ. 7 : « *Memoriam abundantiæ*. » Nonus, justitia, ibi, « *Et justitia tua exsultabunt*. » De his dicit Cassiodorus : « Hos novem « modos possumus appellare cata« ractas divini eloquii, fontes verbo« rum cœlestium, ubera beata præco« nii. »

Secunda pars Psalmi. Novem loci ex quibus petitur laus Dei.

Dicit ergo : Sic exaltabo, et benedicam te, Deus meus rex, « *et generatio*, » præterita, « *et generatio*, » futura, hoc est, omnis generatio : quia, sicut dicit Glossa, repetitio dicentis in infinitum misit animum cogitantis, « *laudabit opera tua*, » sibi narrata, a se visa. Deuter. IV, 9 : *Docebis ea filios ac nepotes tuos*, ut continuentur in generationibus, quæ operatus est Deus. Et, XI, 19 : *Docete filios vestros, ut illa meditentur*. Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur*. Et in his sic nuntiatis et visis laudandus est actor. Eccli. IX, 24 : *In manu artificum*, non in se, *opera laudabuntur*. Et e converso artifex in suis operibus. Eccli. XXXIX, 19 : *Benedicite Dominum in operibus suis*.

« *Et potentiam tuam*, » ut inde laudem sumant, « *pronuntiabunt*, » dicentes illud Eccli. III, 21 : *Quoniam magna potentia Dei solius*. Eccli. XLIII, 31 : *Mirabilis potentia ipsius*.

« *Magnificentiam gloriæ*. » Hic tertius locus. Quasi diceret : Sic opera laudabunt, et potentiam, et etiam « *loquentur*, » prædicando, enumerando, « *magnificentiam gloriæ*, » dicentes illud : *Cantate Domino, quoniam magnifice fecit*[1]. Eccli. XLIII, 32 : *Mirabilis magnificentia ejus*. Et loquentur, repete, « *magnificentiam sanctitatis tuæ*, » qua omnes sanctos excellis. I Reg. II, 2 : *Non est sanctus ut est Dominus*. Qua alios esse sanctos præcipis, Levit. XIX, 2 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Qua etiam alios magnifice sanctos facis, Exod. XV, 11 : *Quis similis tui, magnificus in sanctitate?* « *Et mirabilia tua*, » quæ super naturam operaris, « *narrabunt*, » inde sumentes laudis materiam, dicentes illud Eccli. XI, 4 : *Mirabilia opera Altissimi solius*. I Paral. XVI, 24 : *Narrate... in cunctis populis mirabilia ejus*. 5

« *Et virtutem*. » Hic sextus locus, virtus terrens malos. Quasi diceret : Sic opera, potentiam, magnificentiam gloriæ, et sanctitatem, et mirabilia narrabunt : « *Et dicent virtutem terribilium tuorum*, » terribilem virtutem tuam, malis timorem incutientem. Psal. LXXV, 8 : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi?* Quasi diceret : Nullus. Tantæ enim virtutis est terror ille, ut videatur semper malorum auribus insonare. Job, XV, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius*, supple, est. 6

« *Et magnitudinem*. » Ecce septimus locus.

Quasi diceret : Sic dicent virtutem

[1] Isa. XII, 5.

terribilem, « *et narrabunt*, » ad laudem tuam, « *magnitudinem tuam*, » scilicet virtutis tuæ, de qua prolocutus sum, excellentiam. Eccli. xviii, 4 : *Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit?* Sed si infinita est magnitudo sua, sicut dictum est supra, et magnitudinis ejus non est finis, quomodo poterit enarrare? Respondeo. Per hoc quod tactum est, quia secundum se ejus magnitudinis non est finis, sed non punit nisi secundum possibilitatem punitorum et merita, et sic est enarrabilis.

7 « *Memoriam abundantiæ.* » Hic est octavus locus.

Quasi diceret : Sic a præcedentibus laudabunt, et etiam « *eructabunt*, » laudando, et de cordis abundantia, tamquam ructum proferendo. Matth. xii, 34 : *Ex abundantia cordis os loquitur.* « *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*, » suavis enim es. Supra, in Psal. lxxxv, 5 : *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis.* Sapient. viii, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Ecce suavitatis abundantia, cujus memoria etiam suavis est, sicut visum est. Osee, xiv, 8 : *Memoriale ejus sicut vinum Libani.* Unde recordata tanta suavitate, tabescit justi anima desiderantis immergi in suavitate illa. Thren. iii, 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.*

« *Et justitia tua.* » Ecce ultimus locus et nonus.

Quasi diceret : Sic suavitatem eructabunt, quæ spectat ad bonos, sicut terror ad malos, et terroris magnitudo : « *Et exsultabunt justitia tua*, » id est, extra tantam prætendent ex justitia lætitiam, quod eam aperte commendabunt. Et justitiam tuam, qua punis malos, Psal. lvii, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Vel, justitiam cordibus suis infusam attendentes, te laudabunt, qui illam dedisti. Ad Roman. iii, 30 : *Quos vocavit, hos et justificavit.* Vel, retribuentem secundum merita, juxta illud Matth. xx, 4 : *Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.*

« *Miserator et misericors.* » Hic est tertia pars Psalmi, in qua explicat et proponit locos dispositos diligentius, et prolixius. Et primo, explicat primum, tangens quod pertinet ad opus recreationis. Secundo, creationis, ibi, « *Et misericors.* » 8 Tertia pars Psalmi.

Ait enim : Sic dixi, quod laudabunt, rationem laudis sumendo ab operibus, et dignum est, quia « *Dominus* » est « *miserator*, » in actu misericordiam exhibendo, quod facit cum nos recreat, « *et misericors*, » per naturam propriam, qua nos creavit. De primo, Isa. xlix, 10 : *Miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.* De secundo, Isa. liv, 10 : *Misericordia mea non recedet a te.* Quia hæc est natura sua, quia non potest relinquere creaturam suam.

« *Patiens et multum misericors.* » Hic explicatur quod pertinet ad potentiam, et sunt duo. Patientia et misericordiæ abundantia.

Quasi diceret : Vere etiam potentiam tuam pronuntiabunt, quia tu es patiens. Potentia enim sine patientia furor est. Eccli. v, 4 : *Altissimus patiens est redditor.* Ad Roman. ii, 4 : *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* « *Et multum misericors*, » quod non posset esse, nisi esset mirabilis potentiæ. Sapient. xi, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes.*

« *Suavis Dominus.* » Hic exponit quod pertinet ad magnificentiam, et sunt duo. Suavitas misericordiæ exhibitæ, et multiplicitas miserendi omnibus, ibi, « *Et miserationes.* » 9

Ait enim : Sic commendabunt opera, et potentiam, et etiam magnificentiam : quia « *Dominus* » est « *suavis universis,* » etiam malis, quos citra condignum punit. Sapient. xv, 1 : *Tu, Deus noster, suavis :* sed maxime gustantibus te, Sapient. xii, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus !*

« *Et miserationes ejus,* » non una tantum miseratio, hoc est, misericordiæ exhibitio, « *super omnia opera ejus,* » non tantum super quædam, ut major appareat suavitas miserendi. Eccli. xlvii, 24 : *Deus non relinquet misericordiam, et non corrumpet, nec delebit opera sua.* Psal. xviii, 7 : *Nec est qui se abscondat a calore ejus.*

10 « *Confiteantur tibi.* » Hic quod pertinet ad quartum locum, scilicet sanctitatem, qua exigit ab creatura confessionem laudis generaliter. Secundo, a creatura rationabili, et sanctificata a Deo specialiter, ibi, « *Et sancti tui.* »

Dicit ergo : Sic laudabunt propter magnificandam gloriam, et etiam propter magnificentiam sanctitatis tuæ, « *confiteantur tibi,* » confessione laudis, « *omnia opera,* » activa confessione quæ possunt confiteri : materiam laudis præstando, quæ non possunt. Supra, in Psal. cii, 22 : *Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus.* Et, Daniel. iii, 57 : *Benedicite, omnia opera Domini, Domino.*

« *Et sancti tui,* » tam homines quam Angeli, a te sanctitatis fonte sanctificati, « *benedicant tibi.* » Daniel. iii, 87 : *Benedicite, sancti et humiles corde, Domino.* Talium enim, qui sancti sunt, est benedicere, aliorum autem non. Eccli. xv, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.*

11 « *Gloriam regni.* » Hic quod ad quintum locum pertinet, quæ sunt duo. Gloria quam exhibet in regno æterno, et superiori, et potentia qua mirabiliter regit et ordinat inferiora, ibi, *Et potentiam.* »

Ait enim : Sic confitebuntur sanctitati tuæ omnia opera tua, homines scilicet et Angeli, et præcipue Sancti, et etiam volentes te ex mirabilibus laudare, « *gloriam regni tui,* » quam das salvatis, « *dicent.* » Proverb. iii, 35 : *Gloriam sapientes possidebunt.* Omnes enim Dominus gloriosos reges facit. Sapient. v, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.* Esther, i, 2 et seq., Assuerus *fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis,... ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ.*

« *Et potentiam tuam,* » qua regis et ordinas omnia, non solum superiora, sed etiam inferiora, « *loquentur.* » Supra, in Psal. cv, 2 : *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus ?*

« *Ut notam faciant.* » Hic explicat 12
quod pertinet ad sextum : ad virtutem enim Domini terribilem pertinet agnitio potentiæ affligentis per pœnam sensus. Et hæc tangitur primo. Et per pœnam damni, et hæc secundo, ibi, « *Et gloriam magnificentiæ.* »

Dicit ergo : Sic dicent, et loquentur quæ pertinent ad operationem mirabilium : et hoc, « *ut* » ulterius « *notam faciant filiis hominum,* » carnalibus scilicet, et terrenis, « *potentiam tuam,* » quia miseros crucias in inferno, et affligis quantumcumque potentes fuerint. Sapient. vi, 7 : *Potentes potenter tormenta patientur.* Ut terreantur, et timeant te. Luc. xii, 5 : *Timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.*

« *Et gloriam magnificentiæ regni tui,* » quam amittunt. Gloria regni, charitas regni æterni est. Gloria enim dicitur quasi *claria,* sicut dicit Isidorus. Ibi enim verum est quod dicitur, Eccli. xlii, 16 :

Gloria Domini plenum est opus ejus. Hanc ostendit prædicando, et notum facit, sicut Angelus Joanni, Apocal. XXI, 10 et 11 : *Ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei.*

13 « *Regnum tuum.* » Hic est quod pertinet ad septimum locum, scilicet ad Dei magnitudinem, scilicet regni ipsius æterna duratio, et ejusdem amplitudo, ibi, « *Et dominatio.* »

Ait ergo : Sic notam facient terribilem virtutem per prædicta, et etiam dicent, quod « *regnum tuum* » est « *regnum,* » non hujus temporis, sed « *omnium sæculorum,* » et sic æternum. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.*

« *Et dominatio tua,* » non in una tantum generatione, sed « *in omni generatione* » extensa « *in generationem.* » Psal. LXXI, 8 : *Et dominabitur a mari usque ad mare.* Et alibi, Psal. CII, 19 : *Et regnum ipsius omnibus dominabitur.* Daniel. VI, 19 : *Omnes populi, tribus, et linguæ servient ipsi.* Gloria ergo regni cœlestis est, ut hic dicitur, in duratione, et dilatatione, et præter hoc in multis aliis, quæ hic notanda sunt. Primo, in multorum Angelorum, et sanctorum societate, Ad Hebr. XII, 22 : *Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam.* Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabunt ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* In sapientia, et certa omnium cognitione, Isa. XXVI, 3 : *Vetus error abiit,* dicitur pro statu illo. Et, XXXIII, 19 : *Populum imprudentem non videbis.* Gregorius : « Quid est quod « ignoret, qui videntem omnia videt ? » In omni pulchritudine, et decore, Matth. XIII, 43 : *Fulgebunt justi, sicut sol in regno Patris eorum.* Dan. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt,* etc. In eorumdem nobilitate : omnes enim erunt filii Dei, Matth. V, 9 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Joan. I, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* In eorumdem perfecta libertate, Ad Roman. VIII, 21 : *Creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ad Galat. IV, 26 : *Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est : quæ est mater nostra.* In pacis tranquillitate, et summa concordia, Infra, in Psal. CXLVII, 14 : *Qui posuit fines tuos pacem.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus in pulchritudine pacis.* In omnium bonorum abundantia et plenitudine, Supra, in Psal. LXIV, 5 : *Replebuntur in bonis domus tuæ.* Et iterum, Psal. XVI, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

In quibus consistit gloria regni cœlestis.

« *Fidelis Dominus.* » Hic explicat quod pertinet ad octavum locum, scilicet ad abundantem suavitatem : et sunt quatuor. Fidelitas in reddendo quod promittit. Sanctitas in purificando quidquid facit, ibi, « *Et sanctus.* » Benignitas in cavendo illi qui ruere incipit, ne penitus ruat, ibi, ℣. 14 : « *Allevat Dominus.* » Et perfecta pietas, in relevando illum qui jam cecidit, et peccavit, ibi, « *Et erigit.* »

Dicit ergo : Sic laudabitur ex iis quæ pertinent ad Dei magnitudinem, et etiam ex iis quæ ad suavitatem. Dicent enim : « *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,* » ut impleat penitus quod promittit. Deuter. XXXII, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.* Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* I ad Corinth. X, 13 : *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

« *Et sanctus,* » firmus, et purus, « *in omnibus operibus suis,* » non sicut nos, qui si fideles sumus in reddendo quod promisimus, tamen multum impurum

est quod reddimus. Isa. LXIV, 6 : *Facti sumus ut immundus omnes nos : et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Exod. XV, 11 : *Quis similis tui, magnificus in sanctitate ?* Levit. XI, 44 : *Ego sum Dominus Deus vester : sancti estote, quia ego sanctus sum.*

14 « *Allevat Dominus.* » Hic monstratur benignitas in cavendo labenti, ne penitus ruat.

Ait enim : Sic est verax, et sanctus : et etiam « *allevat Dominus omnes qui corruunt,* » id est, qui in corruendo sunt. Joan. II, 7 : *Sublevabis de corruptione vitam meam.* Supra, in Psal. XXXVI, 24 : *Cum ceciderit*, id est, cadere inceperit justus, *non collidetur*, quia Dominus supponit manum suam. Sed secundum hoc videtur, quod nulli caderent in peccatum, si omnes allevantur. Propter hoc intelligendum est, *Allevat omnes qui corruunt*, qui allevantur, sicut illud Joan. I, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

« *Et erigit.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Suæ suavitatis est ut cadentes a casu eripiat, « *et* » etiam « *erigit omnes elisos* », qui jam ceciderunt, et in casu suo elisi sunt. Job, V, 11 : *Ponit humiles in sublime, et mærentes*, pro sua elisione, *erigit sospitate.* Suum enim est mentes erigere, sicut hic dicitur, et erectis hilaritatem infundere. Tob. III, 22 : *Post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.* Intelligi etiam potest de cadentibus in miseriam pœnæ, et de his, qui jam corruerunt in illam. Quasi enim jam ruebat in miseriam Tobias, qui erat excæcatus, vel vilipendebatur ab uxore, tamen adhuc filium bonum, et possessiones aliquas habebat : sed Job elisus erat, et in omnem miseriam ceciderat, qui et possessionem omnem, et liberos cum filiabus amiserat, et uxorem, et amicos contrarios, et impugnantes habebat, et toto corpore percussus erat vulnere pessimo, et in sterquilinio jacebat : unde gemens dicebat Job, XXX, 22 : *Et quasi super ventum ponens elisisti me valide.*

« *Oculi omnium.* » Hic quod pertinet 15
ad locum nonum, scilicet ad justitiam, explicatur. Et primo, ad generalem, qua providet omnibus creaturis animatis. Secundo, ad specialem, qua reddit debitum rationalibus, solis, ibi, ℣. 17 : « *Justus Dominus,* » vel ibi, secundum Glossam, ℣. 16 : « *Aperis tu manum tuam.* »

In prima duo. Primo, ostendit animalium omnium desiderium, et ordinationem quamdam ad Deum. Secundo, exhibitionem debiti, et justitiam, ibi, « *Et tu das escam.* »

Ait enim : Sic suavitas per antecedentia commendatur, et justitia per sequentia : quia dicunt volentes laudare justitiam, o « *Domine, oculi omnium sperant in te,* » omnium, inquam, animatorum pro cibo habendo. Natura enim est, ut oculos dirigamus ad illum, unde aliquid speramus, juxta illud Joel, I, 20 : *Sed et bestiæ agri, quasi area sitiens imbrem, suspexerunt ad te.*

« *Et tu das.* » Hic secundum, exhibitio debiti : et dicuntur duo. Primo, exhibitio. Secundo, modus exhibendi, ibi, ℣. 16 : *Aperis tu.* »

Dicit ergo : « *Et tu das,* » tamquam solvens eis debitum, « *escam illorum,* » non passim, et indifferenter, sed « *in tempore opportuno.* » Matth. VI, 26 : *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et Pater vester cælestis pascit illa*, magna scilicet abundantia, et etiam faciat illa pascere homines aliquando. III Reg. XVII, 6 : *Corvi deferebant ei*, scilicet Eliæ, *panem et carnes mane, similiter panem et carnes vespere.* Si sic animalia irrationalia debent dirigere ocu-

los ad Deum, multo fortius rationabilia debent hoc facere. Proverb. iv, 25 : *Oculi tui recta videant*, incedentes scilicet in Deum. Eccle. ii, 14 : *Sapientis oculi in capite ejus*, et Dominus dabit illi escam temporibus suis.

16 « *Aperis tu manum.* » Hic tangitur modus solvendi debitum, quia abundanter eis tribuit cibum. Primo ergo benignitatis et potentiæ larga expositio. Secundo, quod sequens est, veri sustentamenti abundans exhibitio, ibi, « *Et imples.* »

Ait ergo : Sic dixi, quod das escam : et verum dixi, quia « *aperis tu manum tuam,* » benignitatis tuæ potentiam quasi exponis. Proverb. i, 24 : *Extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret.*

« *Et imples omne animal benedictione,* » bonis temporalibus, quæ te benedicendum probant, et ostendunt. Supra, in Psal. ciii, 28 : *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Beneficia autem dicuntur benedictio, sicut eleemosyna. II ad Corinth. ix, 6 : *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, etc. Quia sicut dans eleemosynam a recipiente debet benedici, sic Deus in beneficiorum exhibitione, maxime in cibo. Supra, in Psal. xxi, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum.*

Vel, possunt hic tangi quæ pertinent ad justitiam specialem, justitiam scilicet rationabilibus exhibendam. Et primo, tangitur effectus justitiæ comparatione ad omnem creaturam rationabilem, tam bonam, quam malam. Secundo, comparatione ad justam, ibi, ỷ. 1 : « *Justus Dominus.* » Tertio comparatione ad impiam, ibi, in medio ỷ. 20 : « *Et omnes peccatores.* »

Dicit ergo : Sic manum benignitatis, et potentiæ aperis, « *et imples omne animal,* » benedictionis susceptibile, « *benedictione,* » vel cœlesti, quæ est benedictio gratiæ, de qua supra, in Psal. cxxxi, 15 : *Viduam ejus benedicens benedicam.* Vel temporalis substantiæ, et eorum quæ necessaria sunt, etiam impium, de qua dicitur ad Esau, Genes. xxvii, 39 et 40 : *In pinguedine terræ, et in rore cœli desuper, erit benedictio tua.* II Reg. vi, 11 : *Benedixit Dominus Obededon*, hoc est, bona ejus temporalia multiplicavit. Genes. xxx, 30 : *Benedixit tibi Dominus ad introitum meum,* dixit Jacob ad Laban.

« *Justus Dominus.* » Hic secundum, 17
in quo tanguntur effectus justitiæ quoad bonos. Primus est ipsorum correctio per pœnam inflictam. Secundus, correctorum purgatio per correptionem illam, ibi, « *Et sanctus.* » Tertius, promptitudo exaudiendi correctos, ibi, ỷ. 18 : « *Prope est Dominus.* » Quartus, desideriorum ipsorum adimpletio, ibi, ỷ. 19 : « *Voluntatem timentium.* » Quintus est post adimpletionem voluntatum, ipsorum conservatio, ibi, ỷ. 20 : « *Custodit Dominus.* »

Dicit ergo : Sic omne animal benedictione implet ejus justitia, et etiam « *Dominus justus,* » est puniendo, et flagellando, « *in omnibus viis suis :* » quia Daniel. iii, 27, dicitur : *Justus es, Domine, in omnibus quæ fecisti nobis*, nos scilicet affligendo, etc.

« *Et sanctus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic justus est affligendo, « *et* » etiam « *sanctus* » es non solum in te, sed etiam « *in omnibus operibus tuis,* » quibus nos corrigis : quia nos sanctos, et mundos facis. Isa. vi, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth*, hoc est, exercituum, bellorum, et tribulationum. *Sanctus* primo nos sanctificans a peccato cordis, *sanctus* secundo nos sanctificans a peccato oris, *sanctus* tertio nos sanctificans a peccato operis.

18 « *Prope est Dominus.* » Hic tertium, scilicet promptitudo ad audiendum : et dicuntur duo. Primo, promptitudo ad audiendum asseritur. Secundo, specificatur qui sunt qui audiuntur, ibi, « *Omnibus invocantibus,* » secundo repetitum.

Ait ergo : Sic juste affligit ad correctionem, sic sanctificat per illam, et etiam « *Dominus est prope,* » tamquam promptus ad audiendum. Omnibus invocantibus se prope est : quia, ad Philip. IV, 6, dicitur : *Dominus prope est, nihil solliciti sitis.* Act. XVII, 27 : *Quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum.* Tamen magis prope orantibus, Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.* Appropinquate per orationem, et ipse appropinquabit per petiti largitionem. Isa. LV, 6 : *Invocate eum dum prope est.*

« *Omnibus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic invocantibus prope est, « *omnibus,* » inquam, « *invocantibus,* » non tantum ore, sicut illi, de quibus, Isa. XXIX, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis me glorificat, cor autem ejus longe est a me.* Et, Jerem. XII, 2 : *Prope es tu, Domine, ori eorum, et longe a renibus eorum.* Sed « *in veritate,* » quales sunt invocantes intus in corde, et ex sincera et firmata fide. Joel, III, 32 : *Et erit : omnis qui invocaverit,* modo dicto, *nomen Domini,* hic *salvus erit.* Aliter prope non est, sed longe : quia, Proverb. XV, 29, dicitur : *Longe est Dominus ab impiis,* qui invocant eum in fidei falsitate.

19 « *Voluntatem timentium se.* » Hic est effectus divinæ misericordiæ quartus, adimpletio scilicet desideriorum justorum : et dicuntur duo. Primo, desideriorum adimpletio. Secundo, specificatio illorum, ibi, « *Et deprecationem.* »

Et tangitur duplex desiderium. Unum de malis præteritis amovendis, vel præsentibus. Secundo, de cavendo sibi a futuris, ibi, « *Et salvos.* »

Dicit ergo : Sic promptus est ad exaudiendum, et etiam « *voluntatem,* » id est, desiderium, « *faciet,* » non omnium, quia quorumdam mala sunt, « *sed timentium se.* » Eccli. II, 8 : *Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra.* Proverb. XXIII, 17 et 18 : *In timore Domini esto tota die : quia habebis spem in novissimo, et præstolatio tua non auferetur.*

« *Et deprecationem eorum,* » pro malis præsentibus amovendis, « *exaudiet.* » Unde supra, in Psalmo pœnitentiali, id est, postquam tremebundus præmisit pœnitens, *Domine, ne in furore tuo arguas me,* etc[1], subjunxit in fine, ℣. 10 : *Exaudivit Dominus deprecationem meam.* Eccli. XXXIV, 19 : *Oculi Domini super timentes eum,* ut a malis eripiat illos.

« *Et salvos faciet eos.* » Supra, in Psal. XVII, 28 : *Tu populum humilem* (hic est populus timens) *salvum facies.* Jerem. XXX, 7 : *Tempus tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur.*

« *Custodit Dominus.* » Hic est quin- 20
tus effectus, scilicet conservatio ipsorum in præmissis bonis.

Ait enim : Sic voluntatem faciet, etiam « *omnes diligentes* » (apparet de quibus diligentibus loquebatur, quia de timentibus timore filiali et casto, vel saltem initiali) « *custodit Dominus.* » Proverb. IV, 6, de sapientia : *Dilige eam, et conservabit te.* Et, II, 7 : *Dominus... custodiet rectorum salutem.* Recti autem sunt diligentes, Cantic. I, 3 : *Recti diligunt te.* Rem enim quam diligimus, custodimus. Et, Proverb. VIII, 17 : *Ego diligentes me diligo.*

« *Et omnes.* » Hic tertium, in quo ostenditur justitiæ effectus, comparatione

[1] Psal. VI, 2.

ad malos : et cum tetigerit plures effectus justitiæ quantum ad bonos, tamen non tangit nisi unum quantum ad malos, ut monstret Deum proniorem ad miserendum, quam ad affligendum.

Dicit ergo : Sic laudabitur justitia propter prædicta bona, quæ confert bonis, « *et* » etiam quia « *omnes peccatores disperdet.* » Perdet quidem eos, juxta illud Proverb. II, 22 : *Impii de terra perdentur.* Et, I, 32 : *Prosperitas stultorum perdet illos.* Et quod plus est, « *disperdet,* » in diversas partes perdet, in anima scilicet et corpore. Apocal. I, 16 : *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Vel, « *disperdet,* » quia per diversa tormenta perdet, juxta illud Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.*

21 « *Laudationem Domini.* » Hic secundum tertiæ partis totius Psalmi, in quo postquam distinxit quasi diversos locos laudandi Deum, sive causas distinctas explicavit, hic concludit divinam laudem, promittendo quod laudabit etiam alios ad hoc ipsum invitando : unde dicuntur duo. Primo, promissio. Secundo, aliorum invitatio ad laudandum, ibi, « *Et benedicat.* »

Dicit ergo : Sic omnis generatio præmissis rationibus laudabit, et a dictis locis per hæc quæ dixi laudem sumet, et ipsum « *os meum,* » nolo absolvi a Dei laude, « *laudationem Domini loquetur,* » ut mihi possit dici illud Isa. LX, 18 : *Occupabit salus,* salutifera laus, *muros tuos,* factos ex dentibus, *et portas tuas,* labia tua, *laudatio :* et impleatur quod supra petebas : *Repleatur os meum laude*[1]. Et alibi, Psal. LXII, 6 : *Labiis exsultationis laudabit os meum.*

« *Et benedicat omnis.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic laudabit os, « *et,* » exemplo meo, « *omnis caro,* » non tantum aliqui. Vel, de omni carne, id est, de omni gente aliqui, « *benedicat nomini sancto ejus,* » nominabili sanctitati ejus : et hoc, « *in sæculum* » præsens, « *et in sæculum sæculi* » consecutivum, ut sit laus perpetua : dignum enim est. Daniel. III, 52 : *Benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, et laudabile, et superexaltatum,* supple, sit in sæcula, et in hoc præsenti sæculo, et in futuro. Amen.

PSALMUS CXLV.

Solus beatus qui soli Deo fidit.

1. Alleluia, Aggæi et Zachariæ.
2. Lauda, anima mea, Dominum. Laudabo Dominum in vita mea[2]: psallam Deo meo quamdiu fuero.
   Nolite confidere in principibus,
3. In filiis hominum, in quibus non est salus.
4. Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.
5. Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius :
6. Qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt[3].
7. Qui custodit veritatem in sæcu-

[1] Psal. LXX, 8.
[2] Supra, CXLIV, 2.
[3] Act. XIV, 14; Apocal. XIV, 7.

lum : facit judicium injuriam patientibus : dat escam esurientibus.
Dominus solvit compeditos,
8. Dominus illuminat cæcos.
Dominus erigit elisos : Dominus diligit justos.
9. Dominus custodit advenas : pupillum et viduam suscipiet, et vias peccatorum disperdet.
10. Regnabit Dominus in sæcula : Deus tuus, Sion, in generationem et generationem.

IN PSALMUM CXLV

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [1]. »

« *Lauda, anima mea, Dominum* [2]. » Hic est Psalmus in toto libro centesimus quadragesimus quintus, in tertia vero parte quadragesimus quintus.

Argumentum Psalmi: Pars superior animæ invitat inferiorem ad laudem Dei.

Postquam enim in præcedenti Psalmo se laudaturum Deum vehementer promisit, quia vehemens laus non est nisi cum anima tota in Deum transit, et in omnibus quæ agit, Deum quærit, invitat in hoc Psalmo pars superior rationis inferiorem, ad Dei laudem. Laudat autem inferior pars animæ Deum, quando in agendis inferioribus, quibus intendit, in solo Deo spem ponit, et propter hoc ipsum cuncta facit.

Huic ergo Psalmo præponitur in titulo « *Alleluia,* » ac si pars superior rationis, dicat viribus inferioribus : Ego in Deum intendens, et ejus dulcedinem jam prægustans, vos moneo mecum laudare Deum, ut totum, quod meum est, laudet Deum, et transeat in ipsum.

Psalmus autem dividitur in duas partes principaliter. Primo, pars superior

[1] Vulg. habet, *Alleluia, Aggæi et Zachariæ.*

[2] Les derniers cantiques du psautier, à partir de celui-ci, ont en titre le mot *Alleluia*, qui résume leur contenu ; chez les Juifs, ils faisaient partie de la prière quotidienne, et formèrent dans les derniers temps l'*hallel* grec, différent de l'*hallel* égyptien (Psaumes CXII-CXVII) en usage aux grandes solennités. Le psaume CXLV porte dans le texte actuel des Septante les noms des prophètes Aggée et Zacharie ; ceci suppose qu'ils ont introduit ce cantique dans la liturgie du second temple, ou qu'à une certaine époque on a cru qu'ils en étaient les auteurs. On ne peut faire fond sur cette indication, car Théodoret constate que de son temps le nom des deux prophètes manquait non seulement dans le texte hébreu, mais aussi dans le grec des Hexaples. Toutefois, le psaume convient bien à l'époque supposée par l'inscription, et D. Calmet le rapporte avec grande vraisemblance à la période des persécutions qui suivit de près le retour des Juifs en Palestine. Quelques rationalistes le reculent jusqu'aux Machabées, parce que, I Machab. II, 63, il est fait allusion au ℣. 4. Le lecteur voit la force d'une pareille preuve. Le psalmiste s'inspirant beaucoup du psaume précédent, loue Dieu de la protection qu'il accorde à tout ce qui est faible en ce monde : opprimés, affamés, prisonniers, aveugles, décrépits, étrangers, orphelins et veuves. C'est bien là l'assemblage qu'offrait une grande partie d'Israel au retour de la captivité.

Les pensées se succèdent sans division strophique : ℣. 2, je veux louer Jéhova toute ma vie, ℣℣. 3,4, car on ne peut mettre sa confiance dans les hommes qui passent, ℣℣. 5, 6, mais seulement dans le Seigneur, créateur de toutes choses, ℣℣. 7-9, protecteur de tous les faibles, ℣. 10, et Dieu de Sion à jamais.

Tout ce qui est dit ici de Jéhova convient littéralement au Sauveur Jésus, qui physiquement et surtout spirituellement, vint au secours de toutes les misères énumérées par le psalmiste, et réalisa l'oracle d'Isaïe qu'il s'appliqua à lui-même dans la synagogue de Nazareth, Luc. IV, 18-19. A raison des ℣℣. 7 et 8, le psaume sert de prière à la fin des Vêpres des morts.

H. Lesêtre.

inferiorem admonet. Secundo, docet quomodo poterit laudare, si in ipso scilicet solo spem posuerit, ibi, « *Nolite confidere.* »

In prima duo. Primo, exhortatio partis inferioris a superiori. Secundo, responsio inferioris superiori consentientis, ibi, « *Laudabo Dominum.* »

1 Prima pars Psalmi

Dicit ergo : Sic superius promisi me magnifice laudaturum, et propter hoc, o « *anima mea,* » inferioribus rebus intenta, « *lauda Dominum.* » Supra, in Psal. CII, 2 : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia*, etc. Tob. XIII, 19 : *Anima mea, benedic Dominum.* Glossa Cassiodori : « Vox ista, in qua seipsam invitat anima, « musica salutaris est, quæ non solum « mortalium permulcet auditum, sed « etiam intellectum delectat angelicum. « Dicat ergo superior pars inferiori per « diversarum rerum creatarum distractæ « desideria, Isa. XXIII, 16 : *Sume cithа- « ram, circui civitatem, meretrix obli- « vioni tradita : bene cane, frequenta « canticum, ut memoria tui sit.* »

« *Laudabo Dominum.* » Hic secundum, scilicet inferioris responsio : et dicuntur duo in hac responsione. Primo, promittit se laudaturum veraciter. Secundo, quod perseveranter, ibi, « *Psallam Deo.* »

Dicit ergo : Sic mones ut laudem Deum, o pars superior, et ego respondeo : « *Laudabo Dominum,* » non tantum ore, sicut illi, de quibus, Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat, cor autem*, etc.[1], sed « *in vita mea :* » quia Eccli. XVII, 27, dicitur : *Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis*, Domino scilicet, *et laudabis Deum.* Et, Isa. XXXVIII, 19 : *Vivens, vivens*, vita naturæ et gratiæ, *ipse confitebitur tibi*, laudis confessione. Et tandem, in Psal. CXIII, 17, dicitur : *Non mortui laudabunt te, Domine.* Vel, ut ad futurum juxta Glossam referatur : « *Laudabo Deum in vita mea,* » in æterna vita, quæ vere vita est, et quæ mea, quia finis meus est : tunc enim veræ vitæ adhærebo, et sic laudare potero : illi, inquam, qui dicit, Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Et vere vivificabor ea, quia, Joan. XVII, 3, dicitur : *Hæc est vita æterna : ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.*

« *Psallam Deo meo.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic laudabo veraciter, quia in vita laudabo, non in ore tantum : et « *psallam Deo meo,* » operabor ad laudem Dei mei, « *quamdiu fuero,* » usque scilicet ad finem vitæ perseverando. Judicum, V, 3 : *Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* Quomodo? Usque ad finem. Quia, ad Hebr. XIII, 15, dicitur : *Offeramus hostiam laudis semper Deo.* Eccli. LI, 8 : *Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum.*

« *Nolite confidere.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua postquam superior inferiorem monuit ad laudem, nunc ipsam instruit quomodo etiam laudare possit, si spem suam non in semine, sed in Deo posuerit. Primo ergo monet, ut in homine spem non ponat. Secundo, beatificat sperantem in Deo, ut sic suadeat sperare in illo, ibi, ỳ. 5 : « *Beatus cujus Deus Jacob.* » 2 Secunda pars Psalmi.

In prima duo. Primo, docet spem non ponere in homine. Secundo, assignat rationes quare, ibi, « *In quibus non est salus.* »

In prima duo. Primo, docet non confidere in majoribus. Secundo, in omnibus generaliter, ibi, « *In filiis hominum.* »

[1] Cf. Isa. XXIX, 13 : *Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me*, etc.

Non confidendum in hominibus.

Dicit ergo : Sic moneo vos, vires inferiores animæ meæ, Deum laudare, quod ut possitis : « *Nolite confidere in principibus,* » in ipsis spem ponendo, quamvis principes sint, et majores. Supra, in Psal. CXVII, 9 : *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* Mich. VII, 5 : *Nolite confidere in duce.* Quare? quia, Exod. XV, 4, dicitur de mundi principibus : *Electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.* Et, ibidem, ℣. 10 : *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.*

3 « *In filiis hominum,* » quibuscumque : quia, Jerem. XVII, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.* Supra, in Psal. CXVII, 8 : *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.* Cito cadit et frangitur, et confidentia perit. Isa. XXXVI, 6 : *Ecce confidis super baculum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.* Isa. XXX, 4 : *Omnes confisi sunt*[1] *super populo qui ei prodesse non poterit.* Malitia enim plena sunt hominum corda, quæ solida non sunt, sed valde vana. Eccle. IX, 3 : *Corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua.*

« *In quibus non est salus.* » Hic multiplex ratio, quare non confidendum. Prima, salvandi impossibilitas. Secunda, mortalitas, ibi, ℣. 4 : « *Exibit spiritus ejus.* » Tertia, carnis corruptibilitas post mortem, ibi, « *Et revertetur.* » Quarta, cogitationum inutilitas, ibi, « *In illa die peribunt.* »

Dicit ergo : Nolite confidere in filiis hominum, « *in quibus,* » id est, quia in illis, « *non est salus.* » Supra, in Psal. LIX, 13 : *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.* Act. IV, 12 : *Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri,* quam Jesus : unde confidentes etiam in baptismis suis arguuntur[2].

« *Exibit spiritus ejus.* » Ecce ratio secunda. Quasi diceret : Sic non salvant, et etiam « *spiritus ejus,* » anima scilicet propria, « *exibit* » a domo proprii corporis, velit nolit. Eccle. VIII, 8 : *Non est in hominis potestate prohibere spiritum,* scilicet suum. Et exibit sine reversione, donec Deus voluerit. Sapient. XVI, 14 : *Cum exierit spiritus, non revertetur.* Noluisset exire spiritum suum dives plenus divitiis, Luc. XII, 20, sed ei dictum est : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ?* 4

« *Et revertetur* » Ecce tertium. Quasi diceret : Exibit spiritus, et sic morietur, « *et* » etiam « *revertetur,* » tunc corpus, vel homo secundum corpus, « *in terram suam,* » de qua primus habuit originem, unde omnes alii descenderunt. Eccle. XII, 7 : *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Genes. III, 19 : *Donec revertaris in terram de qua sumptus es : quia pulvis es,* etc. Eccle. III, 20 : *Omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.*

« *In illa die,* » qua spiritus exibit, « *peribunt omnes cogitationes eorum.* » Isa. LIX, 7 : *Cogitationes eorum cogitationes inutiles.* Mich. II, 1 : *Væ qui cogitatis inutile !* Nec mirum si pereant cogitationes, quoniam ipsimet peribunt. Jerem. X, 15 : *In die visitationis suæ peribunt.* Job, VI, 18 : *Ambulabunt in vacuum, et peribunt.* Supra, in Psal. I, 6 : *Iter impiorum peribit.*

[1] Vulg. habet, Isa. XXX, 4 : *Omnes confusi sunt super populo qui ei prodesse non poterit.*

[2] Cf. I ad Corinth. I, 13 et seq.

5 « *Beatus cujus Deus.* » Hic secundum, in quo sperantes in Deum beatificat. Duo ergo dicuntur. Primo, beatificat, vel beatum pronuntiat sperantem in Domino. Secundo, multiplicem causam assignat, ibi, ỳ. 6 : « *Qui fecit cœlum.* »

In prima duo. Primo, beatum pronuntiat adjutum a Deo sicut Jacob. Secundo, assignat causam, quia Dominum Deum posuit spem suam, ibi, « *Spes ejus in Domino Deo ipsius.* »

Dicit ergo : Dixi quod non est confidendum in homine, sed « *beatus cujus Deus Jacob,* » qui est Deus adjuvans, « *adjutor ejus. Ejus* superfluit more Hebraico. In Psal. xxxii, 12, supra : *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus.* Deuter. xxxiii, 29 : *Beatus es tu, Israel. Quis similis tui, popule, qui salvaris in Domino?* et a Domino, sicut pater tuus Jacob, cui dixit, Genes. xxviii, 15 : *Ero custos tuus quocumque perrexeris?* Jerem. xv, 20 : *Bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum, et eruam te, et salvabo te, dicit Dominus,* Deuter. xxxiii, 26 : *Ascensor cœli, auxiliator tuus.*

« *Spes ejus.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic dico beatum adjutum a Deo, quia « *spes ejus in Domino Deo ipsius.* » Proverb. xvi, 20 : *Qui sperat in Domino, beatus est.* Jerem. xvii, 7 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.*

6 « *Qui fecit.* » Hic secundum, in quo postquam sperantes beatificavit, causas beatificationis ostendit. Prima, Dei omnipotentia. Secunda, omnipotentis justitia, ibi, ỳ. 7 : « *Qui custodit.* » Tertia, æternitatis gloria in potente et justo, ibi, ỳ. 10 : « *Regnabit Dominus.* »

In prima monstratur primo omnipotentia a creatione continentium. Secundo, a creatione contentorum, ibi. « *Et omnia.* »

In prima tangitur primo creatio continentis superioris. Secundo, inferioris, ibi, « *Et terram.* » Tertio, medii, ibi, « *Mare.* »

Ait ergo : Sic dixi beatum qui sperat in Deo, « *qui,* » id est, quia ille, in quem sperat, « *fecit cœlum,* » superius continens, « *et terram,* » continens inferius, « *mare,* » continens medium. Genes. i, 1 : *In principio creavit Deus,* etc. Et infra, in eodem, ỳ. 10 : *Congregationesque aquarum appellavit Maria.*

« *Et omnia quæ in eis sunt,* » contenta. Isa. xl, 12 : *Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ?* Tales non sunt dii gentium. Jerem. x, 11 : *Dii qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra.* Esther, xiii, 10 : *Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur.*

7 « *Qui custodit veritatem.* » Hic ostenditur Omnipotentis justitia, vel magis veritas. Primo, in generali. Secundo, relatione ad diversos status, ibi, « *Facit judicium.* »

Dicit ergo : Sic Dominus omnipotentiæ ratione est in quo sperandum, et etiam ipse est, « *qui custodit veritatem,* » in se, non enim mentiri potest. Numer. xxiii, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Ad Roman. iii, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* Quomodo non custodiret seipsum? ipse enim veritas est. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Facit judicium.* » Hic secundum, in quo ostendit Dei veritatem comparatione ad statuum diversitatem. Primo, comparatione ad electos. Secundo, comparatione ad reprobos, ibi, in fine ỳ. 9 : « *Et vias peccatorum.* »

In prima tanguntur octo, secundum octo beneficia octo generibus miserorum exhibita. Primum est ultio oppressorum injuste. Secundum, refectio esurientium, ibi, « *Dat escam.* » Tertium, solutio

compeditorum, ibi, « *Dominus solvit.* » Quartum, ignorantium instructio, ibi, ℣. 8 : « *Dominus illuminat.* » Quintum, confractorum erectio, ibi, « *Dominus erigit.* » Sextum, directio jam justorum, ibi, « *Dominus dirigit.* » Septimum, conservatio advenarum, ibi, ℣. 9 : *Dominus custodit advenas.* » Octavum, susceptio pupillorum, et viduarum, ibi, « *Pupillum et viduam.* »

Dicit ergo : Sic veritatem custodit in æternum, et « *facit judicium,* » vindicando eos ab injuriantibus, « *patientibus injuriam,* » aliter injustus esset, si tandem non faceret judicium. Sed, Job, xxxiv, 12 : *Vere Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium.* Isa. xlix, 25 : *Eos qui judicaverunt te, ego judicabo.* Omnes enim injuriam patientibus facientes injuriam Dominus vindicabit. Proverb. xxiii, 22 : *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est : neque conteras egenum in porta, quia Dominus judicabit causam ejus :* et maxime Prælatos, qui ex officio tenentur facere justitiam. Sapient. vi, 6 : *Durissimum judicium his qui præsunt, fiet.*

« *Dat escam.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic judicabis pro patientibus, et etiam ipse « *dat escam* » temporalem. Supra, in Psal. cxxxv, 25 : *Qui dat escam omni carni.* « *Esurientibus.* » Isa. lviii, 7 : *Frange esurienti*, etc. Et etiam spiritualem esurientibus justitiam. Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, pane cœlesti. Sapient. xvi, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis.* Baruch, ii, 18 : *Anima esuriens dat tibi gloriam.* Jerem. xxxi, 12 : *Erit anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient.*

« *Dominus solvit.* » Hic tertium. Quasi diceret : Sic vindicat et reficit, et etiam « *Dominus solvit compeditos,* » sicut solvit tres pueros, qui missi fuerant in compedibus in fornacem. Daniel. iii, 92 : *Ecce ego video quatuor viros solutos, et ambulantes in medio ignis, et nihil corruptionis in eis est.* Et nota, quod sunt compedes pœnæ, Thren. iii, 7 : *Aggravavit compedem suum super me.* Et sunt compedes culpæ, Supra, in Psal. civ, 18 : *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus.* Jerem. xxxix, 7, Rex Babylonis oculos Sedeciæ eruit, *et vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem.* Sub his compedibus et culpæ et pœnæ gemebat Paulus, ad Roman. vii, 24 : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Dominus autem liberat a compedibus culpæ in præsenti per gratiam. Matth. xxi, 2 : *Solvite, et adducite mihi*, supple, eum. Psal. civ, 20 : *Misit rex, et solvit eum.* In futuro vero solvet a compedibus pœnæ per gloriam. Isa. li, 11 : *Fugiet dolor et gemitus.* I ad Corinth. xv, 53 : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.*

« *Dominus illuminat.* » Ecce quartum. 8
Quasi diceret : Sic solvit, unde confidendum in eo : et « *Dominus* » etiam « *illuminat cæcos,* » sapientiam infundendo cordibus. Joan. ix, 39, dicit Sapientia : *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant*, etc. Quippe ipse est lux, Joan, i, 9 : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

« *Dominus erigit.* » Ecce quintum, scilicet elisorum erectio.

Quasi diceret : Sic cæcos illuminat, et etiam « *Dominus erigit elisos,* » in terram. Elisi sunt in terram, per cupiditatem ad terrena inclinati. Nahum, iii, 10 : *Parvuli eorum elisi sunt in capite omnium viarum.* Job, xxx, 22 : *Quasi super ventum ponens elisisti me valide.* Hos erigit ad cœlestia, faciens terrena relinquere. Job, v, 11 : *Humiles ponit*

in sublime, et mœrentes erigit sospitate. Proverb. xxix, 4 : *Rex justus erigit terram.*

« *Dominus dirigit justos.* » Ecce sextum. Quasi diceret : Sic erigit elisos, et postquam illos erexerit, et justos fecerit, tunc dirigit eos : et hoc est quod dicit, « *Dominus dirigit justos,* » ad salutem ut proficiant et procedant. Osee, xiv, 9 : *Ego exaudiam, et dirigam eum ego.* Proverb. iv. 27 : *Ipse rectos faciet cursus tuos.*

9 « *Dominus custodit.* » Hic septimum, extraneorum conservatio, ne videatur apud eum acceptio personarum.

Ait enim: Sic dirigit justos : nec credas quod de Jerusalem tantum, et vicinos tantum templo suo, imo « *Dominus custodit advenas,* » ipsos advenas, inquam, Judæis, sed non sibi. Act. x, 34 : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Ad Galat. iii, 28 : *Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber,* etc.

« *Pupillum et viduam.* » Ecce octavum, et ultimum. Quasi diceret : Sic non accipit personam, cum hæc bona faciat, nec munera, quia » *pupillum et viduam,* » personas et pauperes et auxilio destitutas, « *suscipiet,* » sursum ad se capiet. Jerem. xlix, 11 : *Relinque pupillos tuos, ego faciam eos vivere : et viduæ tuæ in me sperabunt.* Et pro ipsis jubet, Isa. i, 17 : *Judicate pupillo, defendite viduam.* Et nocentibus adversatur, Exod. xxii, 22 et 23 : *Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum.*

« *Et vias peccatorum disperdet.* » Ecce veritas comparatione ad malos, et expone sicut supra, in antecedenti Psalmo [1].

« *Regnabit Dominus.* » Hic tangitur causa tertia beatitudinis sperantium in Deum, scilicet æternitatis ejus gloria : et tanguntur duo. Primo, asserit perpetuo regnaturum. Secundo, explanat et exponit quod dixerat, ibi, « *In generationem.* » 10

Dicit ergo : Tanta est ejus potentia, talis veritas et justitia, et etiam o « *Sion,* » non Babylonia, « *Dominus Deus tuus,* » quem colis, in quem credis, « *regnabit,* » non ad modicum sicut reges mundani. Eccli. x, 8 : *Regnum a gente in gentem transfertur.* Et Daniel. v, 28, dictum est Baltassar : *Divisum est regnum tuum a te,* etc. Et, iv, 28 : *Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : Regnum tuum transibit a te.* Sed, « *in sæcula.* » Et exponit se : « *in generationem,* » supple, consequentem « *generationem* » hanc præsentem, sed in æterna generatione. Sapient. iii, 8 : *Regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Ipsi etiam regnabunt. Daniel. vii, 18 : *Suscipient regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum usque in sæculum, et sæculum sæculorum.* Regnum, inquam, non terrenum, sed cœleste, de quo, Joan. xviii, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo,* sed de cœlo. De quo regno nos faciat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. Commentarium in ỳ. 20 Psalmi CXLIV.

PSALMUS CXLVI.

Hortatio ad laudandum Deum ob ejus beneficia.

1. Alleluia.
Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus : Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.
2. Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit :
3. Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum :
4. Qui numerat multitudinem stellarum : et omnibus eis nomina vocat.
5. Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus.
6. Suscipiens mansuetos Dominus : humilians autem peccatores usque ad terram.
7. Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.
8. Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam :
Qui producit in montibus fœnum, et herbam servituti hominum :
9. Qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.
10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.
11. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.

IN PSALMUM CXLVI

COMMENTARIUS.

« *Allelluia.* »

« *Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus* [1]. » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus sextus in toto libro, in tertia vero parte libri quadragesimus sextus. Postquam enim propriam animam ad Dei laudem excitavit, et instruens eam de modo laudis, hic subjungit aliorum invitationem loquens ad omnes generaliter. Et quia ad laudem est invitatio, recte præponitur titulus, qui prius, scilicet « *Allelluia.* »

Prophetа monet omnes generaliter ad laudem Dei.

Psalmus autem dividitur secundum

[1] Les derniers cantiques du psautier sont de l'époque qui suivit le retour des Juifs de Babylone. Il est possible qu'ils aient pour auteur Esdras ou Néhémie, quoique les Septante continuent à les mettre sous les noms d'Aggée et de Zacharie. Ils célèbrent tous la restauration de Jérusalem ; les Psaumes CXLVI-CXLVII se rapportent au rétablissement de la cité avec son enceinte et ses portes ; le Psaume CXLVIII à la reconstitution de la nationalité Juive, et le Psaume CXLIX aux triomphes remportés contre les peuples voisins. Le Psaume CXLVI et le Psaume CXLVII ne sont qu'un même cantique en hébreu ; aussi dans la Vulgate les versets du Psaume CXLVII font-ils suite à ceux du précédent. D'autre part, la liaison des idées confirme l'unité des deux morceaux. Ils furent probablement chantés pour la première fois à

Glossam. Primo quidem simpliciter invitat ad Dei laudem jucundam et decoram. Secundo, informat de modo laudandi, et pigritiam excitat, ibi, ℣. 7 : « *Præcinite Domino.* »

In prima duo. Primo, invitat ad laudem simpliciter. Secundo, ad laudis jucunditatem, et decentiam, ibi, « *Deo nostro.* »

In prima duo. Primo, invitatio. Secundo, ratio quare acquiescendum, quasi quædam persuasio, ibi, « *Quoniam bonus est psalmus.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo : Sic animam meam monui ut laudet, quod et ipsa promisit : sed omnibus dico, « *laudate Dominum.* » Isa. XLIX, 13 : *Laudate, cœli, et exulta, terra : jubilate, montes, laudem.* Et, XLIV, 23 : *Jubilate, extrema terræ : resonate, montes, laudationem, saltus et omne lignum ejus, quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur.*

« *Quoniam bonus est.* » Ecce secundum, scilicet ratio quare laudandus.

Quasi diceret : Sic moneo, ut laudetis, et debetis, « *quoniam psalmus,* » psalmodia scilicet et cordis et oris, « *est bonus :* » et etiam operis, quia habet suavitatem et dulcedinem jam hic annexam, et meretur æternam jucunditatem. Propter hoc dicebat Paulus, I ad Corinth. XIV, 15 : *Psallam spiritu, psallam et mente.* Et de laude et psalmodia oris dicitur, Job, XXXIX, 19 : *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum ?* Et, Isa. XLIII, 21 : *Populum istum formavi mihi, laudem meum narrabit.* De psalmodia operis, supra, in Psal. XLVI, 8 : *Psallite sapienter.*

« *Deo nostro.* » Hic secundum, in quo invitat ad laudis jucunditatem et decentiam. Et primo, invitatio. Secundo, ratio invitationis, ibi, ℣. 2 : « *Ædificans Jerusalem.* »

Dicit ergo : Sic laudate, et etiam « *laudatio jucunda et decora,* » aliter enim jucunda non est, « *sit Deo nostro.* » Primo enim oportet orationem esse decoram per peccati remotionem, quod fit in confessione, et postmodum est Deo placens, et jucunda. Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam,* primo in confessione : *sonet vox tua in auribus meis,* postmodum in oratione. Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Oratio enim non libenter in immunditiis se ingerit : mundissimum enim quid est. Thren. III, 44 : *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.*

« *Ædificans Jerusalem Dominus.* » Hic secundum, in quo subjungitur multiplex ratio, quare ei fienda sit talis laudatio, et tangitur quadruplex. Prima est Ecclesiæ ædificatio. Secunda, meritorum distinctio in ædificata, ibi, ℣. 4 : « *Qui numerat.* » Tertia, mansuetorum exaltatio in merito super alios, ibi, ℣. 6 : « *Suscipiens.* » Quarta et ultima, malorum depressio, ibi, « *Humilians autem.* » 2

In prima duo. Primo, tangitur ædificatio. Secundo, modus ædificandi, ibi, « *Dispersiones Israelis.* »

Dicit ergo : Sic sit laudatio jucunda et decora Deo meo, quia « *Dominus,* » qui

l'inauguration des murailles nouvellement reconstruites, II Esdræ, XII, 27. L'auteur a grand soin de célébrer à la fois les merveilles de la puissance divine dans la nature et la conduite d'Israël, pour inspirer confiance à ses compatriotes et terreur à leurs ennemis, en rappelant que le Dieu des Juifs n'est autre que le Maître de l'univers. Les Pères appliquent le psaume à la Jérusalem spirituelle, l'Eglise, et à la Jérusalem céleste. S. Hil., S. Aug., de Civ. Dei, XIX, 11. S. J. Chrys., etc. L'Eglise se sert du *Lauda, Jerusalem,* aux fêtes du Saint Sacrement, de la Sainte Vierge, de la Dédicace, etc.

H. LESÊTRE.

est Deus noster, est « *ædificans Jerusalem,* » id est, Ecclesiam et militantem, et triumphantem. Proverb. IX, 1 : *Sapientia ædificavit sibi domum.* Et, alibi, XIV, 1 : *Sapiens mulier ædificat domum suam.* Amos, IX, 11 : *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit : et reædificabo aperturas murorum ejus.* Ædificat autem eam de vivis lapidibus, ordinans eam super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, seipso omnibus supposito. Ad Ephes. II, 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Sed quando ædificat ex una parte, multi destruunt ex altera. Eccli. XXXIV, 28 : *Unus ædificans, et unus destruens : quid prodest illis, nisi labor ?*

« *Dispersiones.* » Hic tangitur modus et ordo ædificandi. Primo ergo congregatio dispersorum per prædicationem. Secundo, sanatio congregatorum post contritionem de peccatis, ibi, ℣. 3 : « *Qui sanat.* » Tertio, alligatio sanatorum per sacramentorum appositionem, ibi, « *Et alligat contritiones.* »

Dicit ergo : Sic dico, quod ædificans est, et erit Ecclesiam : et hoc modo « *dispersiones Israelis,* » fidelis scilicet populi, hoc est, ad fidem electi, « *congregabit* » in unitatem fidei. Thren. IV, 1 : *Dispersi sunt lapides sanctuarii,* ex quibus scilicet est sanctuarium ædificandum, *in capite omnium platearum.* Sed ipse congregabit eos. Ezechiel. XI, 17 : *Congregabo vos de populis, et adunabo de terris in quibus dispersi estis.* Osee, I, 11 : *Congregabuntur filii Juda et filii Israel pariter : et ponent sibimet caput unum.* Unde, Isa. XI, 12 : *Levabit signum in nationes procul, et congregabit profugos Israel.*

3 « *Qui sanat contritos corde.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic dico, quod congregabit, « *qui sanat,* » postquam ad fidem congregaverit, aliter non conterentur, « *contritos corde.* » Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me : ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* Osee, XIV, 5 : *Sanabo contritiones eorum.* Ad hos enim proprie venit summus medicus. Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Propter hoc dicebat Azarias, Daniel. III, 39 et 40 : *In animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur,* scilicet a te, Domine, *sicut in holocausto arietum, et taurorum,* etc.

« *Et alligat.* » Ecce tertium. Quasi diceret : Sic fideles primo, et per fidem contritos de peccato sanat, « *et alligat,* » sacramenta apponendo, « *contritiones eorum.* » Eccli. VI, 31 : *Vincula illius, alligatura sanitatis.* Propter hoc miratur de nostra plaga et confractura, Jerem. VIII, 22 : *Numquid resina non est in Galaad ?* id est, in Ecclesia ? Galaad enim interpretatur *acervus testimonii,* et Ecclesiam signat. Resina, quæ corruptionem attrahit, confessionis et pœnitentiæ sacramentum. *Aut medicus,* Christus vel Prælatus, qui resinam apponat, *non est ibi ?* Quasi diceret : Imo est. *Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei ?* Ezechiel. XXXIV, 16 : *Quod confractum fuerat, alligabo.* Isa. LVII, 15 : *In sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu : ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.*

4 « *Qui numerat.* » Hic secundum, scilicet meritorum distinctio in ædificata : et tanguntur duo. Distinctio meritorum, et ordinatio ad distinctionem præmiorum. Secundo, probatio quod hoc possit Dominus, et sciat, ibi, ℣. 5 : « *Magnus Dominus.* »

In prima duo. Primo, tangitur meritorum distinctio absoluta. Secundo, in comparatione ad præmia, ibi, « *Et omnibus.* »

Dicit ergo : Sic ædificat Ecclesiam, et etiam ipse est, « *qui numerat,* » distin-

guendo, discernendo, « *multitudinem stellarum,* » hoc est, sanctorum ex quibus est ædificata Ecclesia Isa. xl, 26 : *Educit in numero militiam eorum,* loquitur de stellis. II ad Corinth. xv, 41 : *Stella a stella differt in claritate.* In tantum has stellas distinguit, et discernit, ut omnia eorum merita cognoscat et videat. Ad Hebr. iv, 12 : *Discretor cogitationum, et intentionum cordis.* Novit enim quo tendant corda, et quantum. Proverb. xvi, 2 : *Spirituum ponderator est Dominus.* Hanc numerationem figurabat illa numeratio Numer. xxvi, 63 : *Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote.* Hanc audivit Joannes, Apocal. vii, 4 : *Audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati.*

« *Et omnibus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic distinguit merita, « *et* » etiam « *omnibus eis,* » stellis scilicet, et sanctis, « *nomina vocat.* » Nominum vocatio est ipsorum adscriptio in æternitate. Exod. xxxiii, 17 : *Teipsum novi ex nomine,* id est, teipsum approbans adscripsi in mea prædestinatione ab æterno. Luc. x, 20 : *In hoc gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Ad Philip. iv, 3 : *Quorum nomina sunt in libro vitæ.* Isa. lxv, 4 : *Servos suos vocabit nomine alio,* alio quam sibi a patrinis imposito nomine, scilicet meriti ad præmium ordinato.

5 « *Magnus Dominus.* » Hic secundum, in quo ostendit, quod hoc possit Dominus, et sciat : et secundum hoc dicuntur duo. Primo, quod possit, ostendendo ejus magnitudinem. Secundo, quod sciat, ostendendo sapientiæ infinitatem, ibi, « *Et sapientiæ ejus.* »

In prima autem, primo ostendit magnitudinem Dei simpliciter. Secundo, in operatione specialiter, ibi, « *Et magna.* »

Dicit ergo : Sic dixi, quod multitudinem stellarum dinumerat, et ad præmium ordinat. Et hoc potest, quia « *Dominus,* » supple, est « *magnus,* » in se, « *et magna virtus ejus,* » in operatione. Eccli. xliii, 31 : *Magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius.* Eccli. iii, 21 : *Quoniam magna potentia Dei solius !* Et ab humilibus honoratur, II Machab. vii, 17 : *Videbis magnam potestatem ipsius.*

« *Et sapientiæ.* » Quasi diceret : Sic potest cum sit tantæ potentiæ : « *Et sapientiæ ejus non est numerus,* » ut sit impossibile dicere, tantum sapit, nec plus. Eccli. i, 3 : *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigabit ?* Isa. xl, 28 : *Non est investigatio sapientiæ ejus.* Ad Roman. xi, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei !* ascendit super omnem numerum.

« *Suscipiens mansuetos.* » Hic tertium, 6
scilicet mansuetorum in merito exaltatio.

Ait enim : Sic Ecclesiam ædificat, in ædificata distinguit merita, et ordinat, et etiam « *Dominus* » est « *suscipiens,* » sursum scilicet capiens, ad domum præmii, et meriti altitudinem, « *mansuetos.* » Proverb. iii, 34 : *Mansuetis dabit gratiam :* ad cumulum meriti dat et sapientiam. Numer. xii, 3 : *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.* Et data est sapientiæ divinæ præeminentia. Eccli. v, 13 : *Esto mansuetus ad audiendum verbum,* Dei scilicet, *ut intelligas.* Jacob. i, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Et in die judicii, sicut dicitur, Isa. xi, 4 : *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Et post judicium implebitur illud Matth. xxi, 5 : *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.*

« *Humilians autem.* » Hic quartum, scilicet malorum depressio, et hoc in futuro.

Ait enim : Sic mansuetos suscipit,

« *humilians autem* » est « *peccatores,* » immittes mansuetis contrarios, et immisericordes, « *usque ad terram,* » in præsenti, ut jam nihil nisi terrena sapiant, et loquantur. Isa. XXIX, 4 : *Humiliaberis, de terra loqueris, et de humo audietur eloquium tuum.* In futuro usque ad gehennam. Isa. XLV, 2 : *Gloriosos terræ humiliabo.* Sed quantum? Isa. XXV, 12, dicitur : *Humiliabuntur, et detrahentur in terram,* veram et ultimam, quæ est infernus.

7 Secunda pars Psalmi. « *Præcinite Domino.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua quasi pigritantes excitat, et ad laudandi modum informat. Primo ergo cum intentione sive incitatione informatio. Secundo, ratio multiplex quare laudandus, ibi, ỷ. 8 : « *Qui operit cœlum.* »

In prima duo. Primo, quod laudant Deum, in confessione peccati præcedente. Secundo, quod in bono opere subsequente, ibi, « *Psallite Deo.* »

Dicit ergo : Sic monui ad laudem Dei : sed pigri estis, et de modo forsitan dubitatis, propter hoc dico : « *Præcinite Domino.* » Quasi diceret : Cantate Deo, sed præcinite « *in confessione* » peccati : confessionis enim est præcedere. Judicum, I, 1 : *Quis ascendet ante nos contra Chananæum, et erit dux belli ? Dixitque Dominus : Judas ascendet.* Et Genes. XLVI, 28, Jacob ante se præmisit Judam ad Joseph. I Machab. II, 66 : *Judas Machabæus... sit vobis princeps militiæ.* Proverb. XVIII, 17 : *Justus prior est accusator sui.*

« *Psallite Deo.* » Hic secundum, in quo monet laudare etiam bona operatione.

Quasi diceret : Sic prius peccata confitemini, et laudate, et post « *psallite,* » bonum operamini, hoc est enim veraciter psallere : et hoc, « *in cithara,* » in decem mandatorum adimpletione. Lex enim de decem mandatis est quasi cithara in decem chordis. Supra, in Psal. XCVII, 5 : *Psallite Domino in cithara.* Isa. XXIII, 16 : *Sume citharam,* legem decem mandatorum. Qui in hac cithara citharizat, dulciter Deo cantat. Apocal. XIV, 2 : *Et vocem quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.*

« *Qui operit cœlum.* » Hic secundum, 8
scilicet causa et ratio sic laudandi Deum, scilicet beneficiorum exhibitio, quibus sunt, et non exhibitio, quibus non sunt exhibenda. Duo ergo dicuntur in hac parte. Primo, quibus qualia exhibet beneficia, et quibus non. Secundo, quare talibus, ibi, ỷ 11 : « *Beneplacitum est Domino.* »

In prima duo. Primo, quæ beneficia exhibet. Secundo, quibus, ibi, ỷ. 10 : « *Non in fortitudine.* »

In prima tria. Primo, beneficii spiritualis præparatio, scilicet Scripturarum. Secundo, corporalis exhibitio, ibi, « *Qui producit.* » Tertio, exhibitio spiritualis, ibi, ỷ. 9 : « *Qui dat escam jumentis.* »

In prima duo. Primo, veritatis repositio in Scripturis. Secundo, ratio et finis repositionis illius, ibi, « *Et parat.* »

Dicit ergo : Sic illi præcinite, « *qui,* » id est, quia ille, « *operit cœlum,* » sacræ Scripturæ veritatem, in qua latet Deus tamquam in cœlo, « *nubibus,* » sacramentalibus scilicet figuris. Quod enim cœlum sit veritas Scripturarum, habetur, Apocal. VIII, 13 : *Audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli.* Sed Dominus hoc cœlum nubibus operit. Isa. L, 3 : *Induam cœlos tenebris.* Job, XXXVI, 32 : *In manibus abscondit lucem, et præcipit illi ut rursus adveniat.* Daniel. XII, 4 : *Claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum* [1].

« *Et parat.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic veritates in sacra Scriptura re-

[1] Cf. Apocal. V, 1 et seq., de libro signato.

ponit, « *et* » sic « *parat terræ pluviam,* » id est, doctrinam Ecclesiæ sanctæ. Psal. LXVII, 10 : *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ: et infirmata est*. Job, XXXVIII, 28 : *Quis est pluviæ pater, et quis genuit stillas roris ?* Ezechiel. XXXIV, 26 : *Pluviæ benedictionis erunt*.

« *Qui producit in montibus*. » Hic secundum, exhibitio beneficii corporalis : et tanguntur duo. Primo, temporalium bonorum productio. Secundo, quibus, ibi, « *Servituti*. »

Dicit ergo : Sic Scripturam præparavit, « *et* » etiam ipse est, « *qui producit in montibus,* » in magnis hujus mundi, et divitibus, « *fœnum,* » jam magis maturum, ut sit sustentamentum majorum, « *Et herbam,* » magis teneram, ut sit sustentamentum minorum : hoc est breviter, abundantia temporalium. Proverb. XXVII, 25 : *Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes, et collecta sunt fœna de montibus*. Montes enim sunt alti in mundo, et potentes, de quibus, Isa. LIV, 10 : *Montes commovebuntur, et colles contremiscent*. Sed isti ferunt herbas et fœna rerum temporalium. Job, XL, 15 : *Huic*, scilicet Behemoth, *montes herbas ferunt*.

« *Servituti hominum*. » Ecce quibus, ut serviant in istis hominibus prædicatoribus, et doctoribus, ut impleatur illud Genes. XXV, 23 : *Major serviet minori*, in temporalibus, *et minor*, humilis et pauper, *majori*, in spiritualibus. I ad Corinth. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus ?* Isa. XLIX, 23 : *Erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ*.

9 « *Qui dat jumentis*. » Hic tertium, scilicet beneficii spiritualis exhibitio. Et primo, exhibitio spiritualis cibi simplicibus. Secundo, peccatorum successoribus, ibi, « *Et pullis corvorum*. »

Dicit ergo : Sic dat doctoribus beneficium corporale a montibus : et ipse est etiam, « *qui dat escam ipsorum jumentis,* » simplicibus in Ecclesia, de quibus supra, in Psal. XXXV, 7 : *Homines et jumenta salvabis, Domine*. Et, Joel, II, 22 : *Nolite timere, animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti*. Jonæ, V, 11 : *Et ego non parcam Ninive, civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam, et jumenta multa ?*

« *Et pullis corvorum,* » repete, dat escam, id est, filiis gentilium, peccatis nigrorum et horribilium, « *invocantibus eum*. » Corvi fuerunt patres nostri, qui morientes in peccato idololatriæ, noluerunt ad arcam reverti (Genes. VIII, 7, Corvus non est reversus ad arcam), quorum filii sunt qui converti tardant, vel procrastinant. Sophon. II, 14 : *Vox cantantis in fenestra, corvus in superliminari*, contra illud Eccli. V, 8 : *Non tardes converti ad Dominum :* sed sunt filii corvorum conversi, et clamantes ad Deum, pro cibo spirituali, de quibus hic loquitur. Isa. LX, 14 : *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te*.

Corvi etiam boni, quia sunt reputatione sua peccatis nigri, sunt Doctores, et Apostoli sancti, quibus Deus escam præparat, et filiis eorum. Job, XXXVIII, 41 : *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus ad ipsum clamant, vagantes, eo quod non habeant cibos ?* Luc. XII, 24 : *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, nec horreum : et Deus pascit illos*.

« *Non in fortitudine equi*. » Hic secundum, in quo ostenso quibus talia beneficia exhibet, ostendit quibus non. Primo, quod non præparat contumacibus, et superbis. Secundo, quod non audacibus, et incompositis hominibus, ibi, « *Nec in tibiis*. » 10

Ait ergo : Sic dat escam simplicibus filiis peccatorum petentibus, sed « *non*

habebit voluntatem, » conferendi hoc, « *in fortitudine equi,* » id est, illi qui habet equi fortitudinem, quales sunt contumaces et superbi. Eccli. x, 7 : *Odibilis coram Deo est et hominibus superbia.* Et propter hoc talibus magis resistit. Jacob. iv, 6 : *Deus superbis resistit,* quia et ipsi illi. Job, xv, 25 : *Cucurrit adversus eum,* scilicet Deum, *erecto collo.*

« *Nec in tibiis.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic non complacet in superbia, et contumacibus : « *Nec beneplacitum erit ei in tibiis viri,* » in viris audacibus, et incompositis, qui ostendunt tibias suas tamquam sint fortes et validi. Ipse enim incessus multorum ostendit corda illorum. Eccli. xix, 27 : *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Isa. iii, 16 : *Pro eo quod ambulaverunt filiæ Sion extento collo,* etc.

II « *Beneplacitum est.* » Hic est secunda pars totius illius partis in qua tanguntur beneficia. Ostensa enim collatione beneficiorum aliquibus, et aliquibus non, subjungitur hic ratio conferendi talibus. Primo, complacentia Dei, et voluntas in timentibus. Secundo, in sperantibus simul, ibi, « *Et in eis qui sperant.* »

Ait ergo : Sic confert prædicta, et talibus non : cur hoc? Ecce : « *Beneplacitum est Domino super timentes eum,* » quales sunt illi. Eccli. i, 13 : *Timenti Dominum bene erit, et in diebus consolationis illius benedicetur.* Et dicitur *dies consolationis,* dies judicii, vel dies mortis. Eccli. xxv, 15 : *Beatus est, cui donatum est habere timorem Dei.* Hoc ergo est beneplacitum, de quo Paulus, ad Ephes. v, 10 : *Probantes quid sit beneplacitum Deo.* »

« *Et in eis qui sperant super misericordia ejus :* » aliter timor non placeret, si sine spe esset. Propter hoc dicit Ecclesiasticus, Eccli. ii, 9 : *Qui timetis Dominum, sperate in illum.* Deuter. xxiv, 6 : *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam.* Superior est spes, inferior vero est timor. Gregorius : « Spes « ad alta subvehit, timor desursum premit : et sic homo molitur ut fiat cibus « Dei, et transferatur ad æternæ gloriæ « mensam : » ad quam nos perducat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVII.

Ecclesiam invitat ad laudandum Deum qui eam bonis cumulavit.

Alleluia.

12. Lauda, Jerusalem, Dominum : lauda Deum tuum, Sion.
13. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.
14. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.
15. Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus.
16. Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.
17. Mittit crystallum suam sicut buccellas : ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?
18. Emittet verbum suum, et liquefaciet ea : flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

19. Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel.

20. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.

IN PSALMUM CXLVII

COMMENTARIUS.

« *Allelluia Aggæi et Zachariæ*[1]. »

« *Lauda, Jerusalem, Dominum.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus septimus. Postqam enim invitavit ad laudem Dei omnes generaliter, hic invitat filios Ecclesiæ specialiter. Et primo, invitatio eorum ad laudem Dei. Secundo, enumeratio beneficiorum Ecclesiæ collatorum, propter quæ est laudandus Dominus : et illa beneficia potissime tangit, quæ pertinent ad reædificationem Ecclesiæ, sicut ea quæ tacta sunt in præcedenti ad ædificationem. Reædificatio autem figurata fuit in illa reædificatione templi, quæ fuit facta tempore Aggæi et Zachariæ Prophetarum, et ad illam reædificationem exhortantium. Et hoc est quod innuitur in titulo qui talis est : « *Alleluia Aggæi et Zachariæ,* » hoc est, hic, id est, in Psalmo subjecto, est laus Dei, qualis fuit Aggæi et Zachariæ Prophetarum, qui Deum laudaverunt pro templi reædificatione, vel reparatione, hanc reædificationem figurante, de qua hic agitur.

Propheta hortatur specialiter fideles ad laudem Dei.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo enim invitat ad laudem non omnes jam generaliter, sed tantum illos qui sunt de Ecclesia. Secundo, assignat pro causa laudis, multiplicia beneficia a Deo suæ Ecclesiæ exhibita, ibi, ỷ. 13 : « *Quoniam confortavit.* »

In prima duo. Possumus enim dicere, quod primo invitat ad laudem Ecclesiam triumphantem. Secundo, militantem, ibi, « *Lauda Deum.* »

12 Prima pars Psalmi.

Dicit ergo : Sic monui omnes generaliter laudare Dominum, sed nunc dico tibi specialiter, o « *Jerusalem,* » superna scilicet civitas, quæ etsi fuisti hic in perturbatione, et afflictione modo in pace et suavitate summa, « *lauda Dominum.* » Tob. XIII, 11 et 12 : *Jerusalem, civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Dominum*, confessione laudis, *in bonis ejus, et benedic Deum sæculorum.* Et ita fit, et implebitur illud Tob. XIII, 22 : *Per vicos ejus*, supernæ scilicet Jerusalem, *Alleluia cantabitur.*

« *Lauda Deum tuum, Sion.* » Ecce secundum. Sic lauda, o Jerusalem, et o tu, « *Sion,* » Ecclesia scilicet militans adhuc in terris, « *lauda Deum tuum.* » Sophon. III, 14 : *Lauda, filia Sion, jubila, Israel.* Zachar. II, 10 : *Lauda, et lætare, filia Sion.* Per Jerusalem autem bene superior Ecclesia designatur. Jerusalem enim *visio pacis* interpretatur, et ibi aperte videtur ille, de quo dicitur, ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Sion autem *specula* vel *speculatio* interpretatur, et signat illam, quæ tamquam de longinquo, et per creaturas tamquam per speculum Deum contemplatur, secundum illud Pauli, I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

13 Secunda pars Psalm

« *Quoniam confortavit.* » Hic secundum, in quo assignat beneficia multa pro

[1] Vulgata habet tantum « *Alleluia.* »

ratione lapidis. Et primo, exhibita Ecclesiæ triumphanti : secundo, exhibita militanti, ibi, ỿ. 15 : « *Qui emittit.* »

In prima quatuor secundum quatuor beneficia quæ tangit. Primum est in gratiis confirmatio. Secundum, multiplicatio confirmatorum, ibi, « *Benedixit.* » Tertium, perfecta pax, et securitas, ibi, ỿ. 14 : « *Qui posuit fines.* » Quartum, delicata satietas, ibi, « *Et adipe frumenti.* »

Dicit ergo : Sic lauda, o Jerusalem, et debes laudare, « *quia Dominus confortavit,* » vel « confirmavit, » secundum aliam litteram, « *seras portarum tuarum,* » gratias Angelorum, qui in te sunt. Portæ enim sunt Angeli sancti, et animæ quæ ibi sunt. Psal. XXIII, 7, supra : *Elevamini, portæ æternales.* Et, Isa. LX, 10 : *Occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio.* Harum portarum feræ sunt gratiæ, Dei scilicet cognitio et dilectio, quas confortavit et confirmavit, ne aliquando desistere possent cognoscere vel amare. Eccli. XLIX, 15, de Nehemia : *Stare fecit seras, et portas.*

« *Benedixit.* » Ecce secundum beneficium. Quasi diceret : Sic confirmavit in gratiis portas, Angelos, et homines sanctos, et etiam « *benedixit,* » dando multiplicia bona spiritualia, et æterna, « *filiis tuis in te,* » supple, existentibus. Tob. XIII, 17 : *Lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum.* Isa. LXI, 9 : *Isti sunt semen, cui benedixit Dominus.*

14 « *Qui posuit.* » Hic tangitur tertium. Quasi diceret : Sic confirmavit in bonis, et multiplicavit bona, et etiam ipse est, « *qui posuit fines tuos pacem,* » ut ex nulla parte possis concuti vel turbari, ut impletum sit in te illud Levit. XXVI, 6 : *Dabo pacem in finibus vestris.* Et illud Isa. XXVI, 12 : *Domine, dabis pacem nobis.* Pacem dabis interius, et pacem dabis exterius in finibus. Tob. XIII, 19 : *Anima mea, benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem, civitatem suam, a cunctis tribulationibus ejus Dominus Deus noster,* ut sit in summa pace et quiete. Isa. LXVI, 12 : *Declinabo super eam quasi fluvium pacis.*

« *Et adipe.* » Ecce quartum. Quasi diceret : Sic est in te perfecta securitas, et pax a Domino Deo tuo : et etiam ipse est, qui « *satiat te,* » dando securitatem plenam : et hoc, « *adipe frumenti,* » intima scilicet dulcedine Christi Filii Dei, qui de seipso dixit, Joan. XII, 24 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit,* etc. Supra, in Psal. LXXX, 17 : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra,* etc. Sed numquid non est ibi satietas nisi de frumenti adipe? Porro, Deuter. VIII, 3, et Matth. IV, 4, et Luc. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo.* Responsio. Primum et præcipuum inter reficientia nominavit, non totum dixit. Jerem. XXXI, 12 : *Et venient, et laudabunt in monte Sion : et confluent ad bona Domini, super frumento, et vino, et oleo,* bonitate, veritate, et misericordia. Frumentum, Dei bonitas : vinum, ipsius veritas : oleum vero, pietas. Proverb. I, 33 : *Qui audierit me, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.*

« *Qui emittit eloquium.* » Hic secundum, in quo tangit beneficia Ecclesiæ militanti exhibita, et tangit quatuor. 15
Primum est Filii Dei incarnatio. Secundum, verbi Dei prædicatio, ibi, « *Velociter currit.* » Tertium, peccatorum conversio, ibi, « *Qui dat nivem.* Quartum, judiciorum suorum revelatio suis, ibi, ỿ. 19 : « *Qui annuntiat verbum.* »

Dicit ergo : Sic lauda, o Jerusalem, propter prædicta beneficia, et tu, lauda, Sion, militans scilicet Ecclesia. « *Qui,* »

id est, quia ille « *emittit eloquium suum,* » Filium scilicet suum, « *terræ.* » Ad litteram ad terram voluit Filium venire. Hanc emissionem petebant antiqui modo sub typo manus divinæ, Psal. CXLIII, 7, supra : *Emitte manum tuam de alto.* Modo sub nomine sapientiæ, Sapient. IX, 10 : *Mitte illam de cœlis sanctis tuis.* Modo sub figura agni, Isa. XVI, 1 : *Emitte agnum, Domine.* Et sic fecit, ad terras Filium misit. Sapient. XVIII, 14 et 15 : *Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo, a regalibus sedibus... prosilivit*[1]. Baruch, III, 38 : *Post hoc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Antiqui sub diversis figuris petebant incarnationem.

« *Velociter.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic mittit Filium, et « *sermo ejus,* » eloquii scilicet a Deo Patre emissi, « *currit velociter :* » modo reprehendit, modo de reprehensione ad admonitionem transilit, modo ab admonitione ad consolationem, de consolatione ad comminationem salit, et currit de vitio ad virtutem, modo de virtute ad virtutem, ubique penetrat, ubique se ingerit. Ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est sermo ei, Dei efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti.* Job, XXXVIII, 25 : *Quis dedit vehementissimo imbri cursum suum?* Et Paulus petebat, II ad Thessal. III, 1 : *Orate ut sermo Dei currat, et clarificetur.* Nec mirum si currit, et clarus fit, quia ignitus est, Psal. CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Proverb. XXX, 5 : *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se.* Imo ignis, Jerem. XXIII, 29 : *Numquid non sunt verba mea quasi ignis?*

16 « *Qui dat nivem.* » Hic tertium beneficium, peccatorum scilicet conversio : et tanguntur duo. Primo, conversio. Secundo, conversionis modus, ibi, ℣. 18 : « *Emittet verbum suum.* »

In prima duo. Primo, tangitur peccatorum conversio. Secundo, exaggeratio peccati eorum, et culpæ, ut appareat majus beneficium, ibi, in medio ℣. 17 : « *Ante faciem frigoris.* »

In prima tria, secundum tria genera peccatorum, quorum tangit conversionem. Primo, conversio peccantium per fragilitatem. Secundo, peccantium per ignorantiam, ibi, « *Nebulam.* » Tertio, peccantium per obstinationem, et certam malitiam, ibi, ℣. 17 : « *Mittit crystallum.* »

Dicit ergo : Sic Filium mittit, vel misit, et sermo cucurrit, et etiam ipse est « *qui dat nivem,* » peccatorem frigidum et fragilem qui sicut nix est, « *sicut lanam,* » ut sit quasi lana, quæ est materia vestis, ut inde vestiatur Deus. Peccatores ergo nix sunt, quos Deus reservat, ut in lanam convertat. Job, XXXVIII, 22 : *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis adspexisti?* Psal. XXXII, 7 : *Ponens in thesauris abyssos.* Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium,* a statu scilicet peccatorum, ad calorem nimium charitatis.

Ecce vestis.

« *Nebulam,* » nebulosum et obscurum peccatorem per ignorantiam, « *spargit sicut cinerem,* » id est, sic vere pœnitentem, quod se reputat cinerem. Nebula dicitur peccator : quia a Deo cito solvitur, sicut a sole nebula. Isa. XLIV, 22 : *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua.* Eccli. XLIII, 15 : *Aperti sunt thesauri,* divinæ misericordiæ, *et evolaverunt nebulæ sicut aves,* id est, peccatores ad alta sunt elevati. Hoc est quod hic dicuntur *spargi sicut cinis,* id est, pœnitens verus, quia Jonæ,

[1] Cf. Introitum in missa de Vigilia Epiphaniæ : « Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlis a regalibus sedibus venit. »

III, 6, dicitur : *Abjecit* rex *vestimentum suum a se, et indutus est sacco et sedit in cinere.* Et Abraham vere humilis dicebat, Genes. XVIII, 27 : *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.*

17 « *Mittit crystallum suam.* » Hic tertium, scilicet obstinatorum ipsorum conversio.

Ait enim : Sic nivem in lanam, nebulam vero convertit in cinerem, et « *mittit* » per mundum ad alios reficiendum et pascendum, « *crystallum suam,* » vel « suum » (melius enim dicitur *hoc crystallum* secundum Priscianum, quam *hæc crystallus,* vel *hic*) « *sicut buccellas,* » quæ reficiunt, vel panis frusta. Crystallus ergo dicitur peccator obstinatus et in malitia flante diabolo congelatus. Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* Sed hunc aliquando Dominus convertit, non tantum ut sit fidelis, sed ut sit doctor. Job, XXVIII, 2 : *Lapis,* supple, crystallinus, *calore* sancti Spiritus *solutus, in æs convertitur,* quod sonat. Et, XII, 22 : *Producit in lucem,* ut alios illuminet verbo, et doctrina, *umbram mortis,* obscurissimum peccatorem. Sic factum fuit in Paulo, I ad Timoth. I, 12 et 13 : *Fidelem me existimavit, ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum,* etc.

Peccatoris comparatio cum crystallo.

« *Ante faciem frigoris.* » Hic secundum, in quo subjungitur peccati eorum exaggeratio, ad ostendendam majorem gratiam.

Ait enim : Sic convertit nivem in lanam, nebulam in crystallum, quæ non modica frigiditate constricta sunt in malo : quia « *quis sustinebit,* » id est, sustinere poterit, « *ante faciem,* » id est, præsentiam, « *frigoris ejus ?* » peccati scilicet infrigidantis, quod dicitur Dei permissione immissum. Matth. XXIV, 12 : *Refrigescet charitas multorum.* Jerem. VI, 7 : *Sicut frigidam fecit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam.*

« *Emittet verbum suum.* » Hic secundum, in quo tangitur conversionis modus, et per quid fit, quia per duo. Per Filii Dei incarnationem, et Spiritus sancti insufflationem, ibi, « *Flabit spiritus ejus.* » 18

Ait enim : Sic convertuntur maxime peccatores, sed quomodo ? Ecce : « *Emittet verbum suum,* » sicut paulo ante dictum est : « *et liquefaciet ea,* » talium scilicet peccatorum corda emittet de sinu suo, sed tamen non amittet, quia remanebit in sinu. Joan. I, 18 : *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* etc. I Joan. III, 8 : *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Ad hoc verbum ignitum, imo igneum liquescit nix, et crystallus. Cantic. V, 6 : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus.* Et impletur illud Eccli. III, 17 : *Sicut in sereno glacies, solvuntur peccata tua.*

« *Flabit spiritus ejus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic mitte Filium, et liquefient : et etiam « *flabit,* » interius in hujusmodi corda, « *spiritus ejus,* » qui flat ubi vult. Joan. III, 8 : *Spiritus ubi vult spirat.* « *Et fluent aquæ,* » cordibus congelatis resolutis. Hunc flatum quærebat qui dicebat, Cantic. IV, 16 : *Surge, Aquilo,* ventus frigide, et perniciose, *et veni, Auster.* Et, Job, XXXIX, 26 : *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad Austrum ?* Nec tantum fluent aquæ lacrymarum interiores, seu etiam exteriores, sed doctrinarum, ut ipsi quoque fiant doctores. Joel, II, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ.* Et secundum hoc tanguntur tres causæ conversionis Filii : Incarnatio, Spiritus sancti missio, et prædicatio.

19 « *Qui annuntiat.* » Hic tangitur quartum beneficium militanti Ecclesiæ exhibitum, scilicet judiciorum Dei revelatio. Primo ergo ostenditur beneficium. Secundo, ostensum extollitur, ibi, ỳ. 20 : « *Non fecit taliter.* »

In prima dicuntur duo. Primo, verborum annuntiatio. Secundo, expositio quorum, scilicet judiciorum, et justitiæ, ibi, « *Justitias.* »

Ait ergo : Sic præmissa fecit beneficia, et etiam ipse est, « *qui annuntiat verbum suum Jacob,* » junior scilicet populus Christianorum. Isa. IX, 8 : *Verbum misit Dominus in Jacob.* Baruch, III, 37 : *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et tradidit illam Jacob puero suo.* Verbum etiam incarnatum annuntiavit per Angelos Jacob, scilicet laborantibus pastoribus et vigilantibus. Luc. II, 10 : *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum.*

« *Justitias.* » Hic secundum. Quasi diceret : Sic annuntiat verbum : quod est illud verbum? *Justitias suas,* » quibus discernit et bonos et malos, « *et judicia sua,* » ex illis justitiis procedentia, « *Israel,* » populo fideli et Deum videnti. Intelligere enim eos facit illud Proverb. XVI, 11 : *Pondus et statera judicia Domini sunt.* Unde dicunt illud Apostoli, ad Roman. II, 6 : *Reddet unicuique secundum opera sua.* Imo, facit etiam eos intelligere, quod affligit bonos etiam sine culpa, ut augeantur eorum merita. Jerem. XLIX, 12 : *Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent.* Isa. XIX, 17 : *Erit terra Juda Ægypto in pavorem.*

« *Non fecit taliter.* » Hic attollitur be- 20
neficium, quia alii ab illo sunt exclusi. Duo ergo dicuntur. Primo, quod alii sunt exclusi a beneficio. Secundo, specificatur a quo, ibi, « *Et judicia sua.* »

Ait ergo : Sic revelavit Jacob, et Israel hæc beneficia, sed « *non fecit taliter omni nationi,* » sicut Jacob, et Israel, quos redemit. II Reg. VII, 23 : *Quæ est, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit Deus ut redimeret eam sibi in populum,* etc., et redemptam instrueret. Deuter. IV, 8 : *Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia,* etc.?

Unde specificando subdit :

« *Et judicia sua,* » quæ facit in bonis et malis, « *non manifestavit eis,* » sicut populo huic sibi speciali. Deuter. XXVI, 18 : *En Dominus Deus tuus elegit te, ut sis ei populus peculiaris.* Et huic revelavit, Deuter. XII, 1 : *Hæc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis :* ad hoc enim revelata sunt. Baruch, IV, 4 : *Beati sumus, Israel, quoniam quæ Deo placent, manifesta sunt nobis,* ut illa facientes beatificemur in gloria, ipso præstante qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLVIII.

Invitat omnes creaturas ad laudandum Deum.

1. Alleluia.
Laudate Dominum, de cœlis : laudate eum in excelsis.

2. Laudate eum, omnes angeli ejus . laudate eum, omnes virtutes ejus.

3. Laudate eum, sol et luna : laudate eum, omnes stellæ et lumen.
4. Laudate eum, cœli cœlorum[1] : et aquæ omnes quæ super cœlos sunt
5. Laudent nomen Domini.
Quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt.
6. Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.
7. Laudate Dominum, de terra : dracones et omnes abyssi :
8. Ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus :
9. Montes, et omnes colles : ligna fructifera, et omnes cedri :
10. Bestiæ, et universa pecora : serpentes, et volucres pennatæ :
11. Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ.
12. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini,
13. Quia exaltatum est nomen ejus solius.
14. Confessio ejus super cœlum et terram : et exaltavit cornu populi sui.
Hymnus omnibus sanctis ejus : filiis Israel, populo appropinquanti sibi !
Alleluia.

IN PSALMUM CXLVIII

COMMENTARIUS.

« *Alleluia Aggæi et Zachariæ*[2]. »

« *Laudate Dominum, de cœlis.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus octavus in toto libro.

Cum enim in Psalmo antecedenti invitaverit ad laudem Dei Ecclesiam, tam militantem quam jam in cœlis triumphantem, et hoc pro reparatione ipsius Ecclesiæ, in reparatione sub Aggæo et Zacharia figurata, hic invitat omnem creaturam, quæ invitatio non est, nisi quædam ostensio, quod omnis creatura divinæ laudis sit materia, ex eo quod erit reparata a corruptione, in illa reædificatione, in qua est ut Ecclesia reædificata et restituta post judicium. Unde

Monet omnem creaturam laudare Deum, vel materia laudis esse ostenditur.

[1] Daniel, III, 59, 60.

[2] Vulgata habet tantum *Alleluia*.

Le psalmiste remercie le Seigneur d'avoir relevé la puissance de son peuple, ℣. 14, et pour chanter son hymne de reconnaissance, il invite tous les êtres de la création à joindre leur voix à la sienne. Il imite en cela les trois enfants de la fournaise, Daniel. III, 57-88, et lui-même sera imité plus tard par Saint François d'Assise dans son cantique du Soleil. S'il interpelle les êtres inanimés, ce n'est point évidemment qu'il leur prête l'intelligence ou le sentiment ; mais sa magnifique prosopopée donne à entendre qu'il désespère d'égaler la louange aux bienfaits reçus. « Quia admodum « exiguum est quod per nos possumus, conemur supplere per amicos, et accersamus in « societatem angelicos spiritus, cœlestia corpora, sublunaria omnia, et universam crea« turam animatam et inanimatam, ut nobiscum et pro nobis Deo de infinita ipsius in « nos misericordia gratias agat... Sunt enim « ejusmodi affectus, etsi inefficaces et rei im« possibilis, summi meriti, et signa summi in « Deum amoris ac gratitudinis ; quia ex qua« dam redundantia amoris sequuntur, animo « in hujusmodi vota præ affectus ardore ex« æstuante » Lessius, Perf. divin. XII, 19, 170, 171. Les créatures angéliques répondent à l'invitation de l'homme, et s'associent à ses louanges ; les êtres sans raison ne servent qu'à exciter l'homme à mieux servir le Créateur, mais « cum per ipsa laudatur Deus quodammodo et « ipsa laudant Deum » S. Aug. L'homme, du reste, est le roi de la création, et à l'époque où écrit le psalmiste, le seul peuple digne d'exer-

idem titulus præponitur, qui et prius, « *Alleluia Aggæi et Zachariæ,* » pro reparatione templi facta, plena scilicet et perfecta.

Et dividitur Psalmus in duas partes. Primo quidem invitat ad laudem Dei creaturas sigillatim. Secundo, conjunctim, ibi, ℣. 14 : « *Confessio ejus.* »

In prima duo. Primo, invitat creaturas superiores. Secundo, inferiores, ibi, ℣. 7 : « *Laudate Dominum, de terra.* »

In prima duo. Primo, invitantur. Secundo, subditur ratio invitationis, ibi, ℣. 5 : « *Quia ipse dixit.* »

Iterum in prima, primo invitatio creaturarum superiorum spiritualium. Secundo, corporalium, ℣. 3 : « *Laudate eum, sol et luna.* »

In prima tria. Primo, invitat spirituales creaturas, tangendo illarum originem. Secundo, tangendo dignitatem, ibi, « *Laudate eum in excelsis.* » Tertio, tangendo officium et operationem, ibi, ℣. 2 : « *Laudate eum, omnes Angeli.* »

Dicit ergo : Sic supra monui ad laudem Jerusalem, et Sion : sed vos « *de cœlis,* » origine scilicet Angeli, qui facti fuistis in cœlis empyreis, « *laudate Dominum.* » Sed quia quamvis omnes de cœlo origine estis, non tamen ibi habitatis, sed quidam corruerunt, qui non ascenderunt postea, nec ascendent, vos « *in excelsis,* » invito : vos, inquam, « *laudate Dominum,* » sicut a principio est factum. Job, xxxviii, 7 : *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei?* Sicut facturi estis in Salvatoris nativitate, Luc. ii, 13 : *Facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in excelsis Deo,* etc. Aure cordis has laudes audiebat Joannes, Apocal. xix, 1 : *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia. Salus et gloria et virtus Deo nostro est.* Et, Isa. vi, 2 et 3 : *Seraphim... clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Et nota, quod

1 Prima pars Psalmi.

cer les droits de cette royauté, à raison de sa connaissance et de son amour du Seigneur, c'est le peuple hébreu. Aussi est ce lui, dit Delitzsch, qui « semble ici conduire le chœur « de l'univers ; il sait que ses épreuves ont une « importance intime et universelle pour tout « ce qui vit dans la création, et que la grâce qui « lui revient est digne d'exciter une joyeuse « émotion dans tous les êtres célestes et ter- « restres. Pour louer Dieu, il ne convoque pas « seulement tout ce qui, dans le ciel et sur la « terre, possède comme lui la pensée, la pa- « role et la liberté, mais aussi le soleil, la lune « et les étoiles, etc. » Tous ces êtres, réduits en servitude par le péché de l'homme, ad Roman. viii, 19-21, préludent ainsi à la glorieuse délivrance qui les attend, d'abord aux jours du Messie, et plus tard à la fin des temps. Aussi S. Hilaire, se transportant au jour où cette délivrance sera complète et définitive, met-il le psaume sur les lèvres ces élus : « Jam in æterna « beatitudine omnibus constitutis, ad canendas « Dei laudes chorus cœlestium virtutum pote- « statumque contrahitur ; ut ob depulsam sæ- « culi vanitatem creatura omnis ex magnis « officiorum suorum laboribus absoluta, et in « beato regno æternitatis aliquando respirans, « Deum suum et læta prædicet et quieta. »

Dans son énumération des créatures, l'auteur suit l'ordre de l'Hexaméron mosaïque, mais avec une certaine indépendance. Ainsi, il parle en premier lieu des astres, dont l'apparition est assignée seulement au quatrième jour par Moïse, et il nomme dans le même verset les océans et les monstres marins. Tout en ayant sous les yeux le texte de la Genèse, il introduit un certain ordre logique dans le groupement des êtres, sans qu'on puisse tirer de là aucune conclusion scientifique.

Ce psaume et les deux suivants sont des chants d'actions de grâces qui conviennent encore mieux aux chrétiens qu'aux Juifs, aux élus du ciel qu'aux exilés de la terre. L'Eglise les récite dans son office des Laudes de temps immémorial. Cf. Cassien, Inst. cœnob. iii, 6. Arnobe, cité par Thalhofer, dit aussi : « Quotidie « hujus psalmi tuba per totum mundum, mox « ut cœperit auroræ diei inchoare principium, « universa, quæ in cœlo et in terra sunt, ad « laudandum et benedicendum Deum provoca- « mus. »

H. Lesêtre.

quidam sunt naturaliter de cœlis, et per gratiam manent in excelsis, sicut boni Angeli : quidam naturaliter de cœlis, nec manent per gratiam in excelsis, sicut mali Angeli : quidam non sunt naturaliter de cœlis, et tamen manent per gratiam in excelsis, scilicet homines sancti : quidam nec sunt per naturam de cœlis, nec manent per gratiam in excelsis, sicut homines mali. Et nota, quod verbum imperativi modi, non est imperativum proprie hic, sed congratulativum, sicut jam dicetur.

2 « *Laudate eum, omnes Angeli ejus.* » Hic tertium. Et primo, tangit officium. Secundo, quod respicit proprie actum, ibi, « *Laudate eum, omnes virtutes.* »

Dicit ergo : Sic laudate de cœlis existentes generaliter, qui tamen ibi per gratiam habitatis, et etiam « *laudate eum, omnes Angeli,* » id est, nuntii, « *ejus,* » ad revelandum ipsius bonitatem. Daniel. III, 58 : *Benedicite, Angeli Domini, Domino.* Angelus autem nomen est officii. Supra, in Psal. CIII, 4 : *Qui facis Angelos tuos spiritus* [1]. Gregorius : « Cœlestis patriæ spiritus semper spiritus sunt, « sed Angeli semper vocari non possunt. « Tunc autem recte Angeli nominantur, « cum per eos nobis aliqua nuntiantur. » Ecce quod revelant. Supra, in Psal. CII, 20 : *Benedicite Domino, omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.*

« *Laudate eum, omnes virtutes,* » id est, ipsi Angeli, ad exercendas operationes mirabiles constituti, « *ejus,* » creatione et regimine. Supra, in Psal. CII, 21 : *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis,* etc. II Paralip. in oratione Manassæ : *Te laudat omnis virtus cœlorum.* Daniel. III, 61 : *Benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.*

[1] Cf. ad Hebr. I, 7.

Verbum imperativi modi multipliciter sumitur.

Sed quomodo hic imperat Angelis, cum non videatur major illis? Responsio est, quod verbum imperativi modi aliquando sumitur proprie, seu imperative, Exod. XX, 12 : *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Luc. X, 28 : *Hoc fac, et vives.* Aliquando consultive, Matth. XIX, 21 : *Vade, vende quæ habes, et da pauperibus.* Aliquando hortative, Ad Ephes. V, 15 et 17 : *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis,... et nolite fieri imprudentes.* Aliquando prædictive, Joan. II, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Joan. XIII, 27 : *Quod facis, fac citius.* Aliquando ironice, et irrisorie, III Reg. XXII, 15, respondit Michæas regi Israel quærenti si ascenderet in Ramoth Galaad : *Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis.* Aliquando deprecatorie, Supra, Psal. L, 1 : *Miserere mei, Deus.* Job, VII, 16 : *Parce mihi,* Domine. Aliquando congratulatorie, sicut hic, sicut vult Glossa. Aliquando detestative, Matth. VII, 23 : *Discedite a me, omnes operarii iniquitatis.* Aliquando invitatorie, vel ad gratiam, Matth. XXV, 34 : *Venite ad me, omnes qui laboratis.* Vel ad gloriam, Matth. XI, 28 : *Venite, benedicti Patris mei.*

« *Laudate eum, sol et luna.* » Hic se- 3
cundum, in quo invitat ad laudem superiores creaturas corporales : et dicuntur tria secundum triplicem cœli differentiam quam tangit. Primo, sidereum in ornatu suo. Secundo, empyreum, ibi, ℣. 4 : « *Laudate eum, cœli cœlorum.* » Tertio, crystallinum, quod est medium inter duos, ibi, ℣. 5 : « *Et aquæ quæ super cœlos.* »

Et in prima parte tangit primo luminare majus, scilicet solem. Secundo, mediocre, scilicet lunam. Tertio, minimum, scilicet stellas.

Ait ergo : Sic laudate, creaturæ spiri-

tuales superiores, et etiam « *laudate eum,* » vos scilicet, « *sol,* » luminare majus. « *et luna,* » luminare mediocre. « *Laudate eum, omnes stellæ.* » Et non solum vos in vestris substantiis laudetis, sed in ipso effectu : unde addit, « *Et lumen,* » quod causatur a sole, luna, et stellis : creator enim vester est. Genes. I, 16 : *Fecit Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas.* Daniel. III, 62 : *Benedicite, sol et luna, Domino : benedicite, stellæ cœli, Domino.* Nec mirum si hic addit *lumen*, cum ibi etiam tenebræ invitentur ad laudem. Daniel. III, 72 : *Benedicite, lux et tenebræ, Domino.*

4 « *Laudate eum, cœli cœlorum.* » Hic tangit secundum, cœlorum differentiam.

Quasi diceret : Sic laudate pertinentia ad cœlum sidereum, et etiam « *cœli cœlorum,* » scilicet cœli empyrei, qui estis super omnes cœlos, et illos continentes, « *laudate eum,* » cujus magnitudinem capere non potestis. III Reg. VIII, 27 : *Cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt.* Sed sunt alii cœli his in infinitum excellentiores, cœli Trinitatis, qui ipsam comprehendunt. Deuter. X, 14 : *En Domini Dei tui cœlum est, et cœlum cœli,* etc. Supra, in Psal. CXIII, 16 : *Cœlum cœli Domino.*

5 « *Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* » Ecce quod pertinet ad cœlum aqueum : aquæ enim ponuntur a Sanctis, super cœlum sidereum, ad modum crystalli solidissimæ, et ex omni parte ab influentia lucis empyrei illustratæ. Daniel. III, 60 : *Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino.*

Sol, Christus. Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Hic laudat, Matth. XI, 25 : *Confiteor tibi, Pater. Luna*, Maria. Cantic. VI, 9 : *Pulchra ut luna.* Luna quæ non eclipsatur, Psal. LXXXVIII, 38 : *Luna perfecta in æternum.* Hæc laudat, Luc. I, 46 : *Magnificat anima mea Dominum.* Per *stellas*, Sacerdotes et Prælati. Baruch, III, 34 : *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis.* Istæ laudant, Eccli. XLVII, 10, de David in figura Prælatorum : *De omni corde suo laudavit Dominum.* Per *luminare*, boni subditi, qui quasi effectus sunt bonorum Prælatorum. Ad Ephes. V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et isti laudant, Luc. XVIII, 43 : *Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.* Per *cœlos cœlorum*, Apostoli, et Prophetæ. Job, XXVI, 13 : *Spiritus*, Domini scilicet, *ornavit cœlos.* Hi laudant, II Paral. XX, 19 : *Porro Levitæ... de filiis Core*, decalvati in Calvaria, Core enim interpretatur *Calvaria*, *laudabant Dominum Deum Israel voce magna.* Per *aquas super cœlos*, Sancti minores. Apocal. XV, 17 : *Aquæ, quas vidisti, populi sunt*, etc. Hi laudant, Eccli. XXIV, 4 : *In multitudine electorum habebit laudem.* Isa. XLIII, 2, de omnibus simul : *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.* Apocal. XIX, 5 : *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus : et qui timetis Deum, pusilli et magni.* Isa. LXV, 14 : *Servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos,* etc.

« *Quia ipse dixit.* » Hic secundum, scilicet quare laudandus ab iis : et tangitur duplex ratio. Prima, collatio essendi simpliciter. Secunda, essendi ordinabiliter, ibi, ℣. 6 : « *Statuit ea.* »

In prima, primo tangit naturale esse corporalium. Secundo, spiritualium, ibi, « *Ipse mandavit.* »

Dicit ergo : Laudate, creaturæ corporales superiores, « *quia ipse dixit, et facta sunt,* » corporalia. Genes. I, 3 et 6 : *Dixit Deus : Fiat*, et factum est. Suum autem dicere est velle ut ita sit, vel verbum ab æterno generare, in quo omnia facta sunt. Augustinus in libro

Confessionum : « Verbo tuo æterno dicis « omnia quæ dicis, nec aliter quam di« cendo facis. »

« *Ipse mandavit,* » rationabilibus : talibus enim fit mandatum, « *et creata sunt.* » De hac creatione in principio Genes. I, 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* De utroque simul, Judith, XVI, 17 : *Tibi,* Domine, *serviat omnis creatura tua, quia dixisti, et facta sunt : misisti spiritum tuum, et creata sunt.* Et supra, in Psal. XXXII, 9, omnino simile. Sed quare non primo dicuntur creata quam facta, cum creatio sit prius quam factio, et etiam spirituales creaturæ prius sunt dignitate, quam corporales? Responsio : Quia Propheta sensibiliter procedit, et secundum quod est via cognoscendi in nobis : corporalia autem priusquam spiritualia sentimus. I ad Corinth. XV, 46 : *Non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale.*

6 « *Statuit ea.* » Hic tangitur collatio essendi ordinabiliter. Et primo, creatis irrationabilibus superioribus. Secundo, rationabilibus, ibi, « *Præceptum posuit.* » Statutum enim proprie fit creaturæ irrationabili corporali, præceptum rationabili.

Dicit ergo : Sic laudate, quia dedit esse simpliciter : et etiam « *statuit ea,* » corpora scilicet superiora in locis suis, ut ibi immutabiliter perseverent, et in ordinibus suis : unde addit, « *In æternum, et,* » id est, « *in sæculum* » consecutivum, « *sæculi.* » Non est contrarium quod dicitur, Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt.* Transibunt enim non secundum suam substantiam, sed secundum suam figuram. I ad Corinth. VII, 31 : *Præterit figura hujus mundi.* Jerem. XXXI, 35 et 36 : *Hæc dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ et stellarum in lumine noctis... : Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus,* etc.

« *Præceptum posuit,* » creaturis superioribus rationabilibus, « *et non præteribit,* » ipsum præceptum illa creatura. Sed quod est hoc præceptum ? Ut illi obediant, ipsum laudent, quod faciunt in æternum. Eccli. XLII, 24 et seq. : *Omnia hæc vivunt, et manent in sæculum, et in omni necessitate omnia obaudiunt ei... Non fecit quidquam deesse.... Uniuscujusque confirmavit bona.*

« *Laudate Dominum.* » Hic secunda 7
pars primæ partis Psalmi, in qua indistincte invitat ad laudem, vel monstrat esse laudis materiam creaturas inferiores. Et primo, creaturas habentes monstruosam generationem. Secundo, habentes regularem, ibi, « *Et omnes abyssi.* »

Dicit ergo : Sic vos, superiores creaturæ, laudate, et etiam « *dracones, laudate Dominum.* » Dracones tangit pro omni monstruosorum genere, quia sicut dicit Glossa, « ingentissimi sunt inter omnia « animalia. » Dracones, inquam, « *de terra* » orti : habent enim originem de terra, sed versantur in aquis, et prodeuntes de speluncis volant per aera, et ipsum inficiunt. Isti sunt creatura ista, de qua, supra, in Psal. CIII, 26 : *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.*

« *Et omnes abyssi.* » Hic invitat regulariter generata. Et primo, inanimata. Secundo, animata, ibi, « *Ligna fructifera.* »

In prima quatuor secundum quatuor elementa quæ tangit. Primo, aquam. Secundo, ignem, ibi, « *Ignis.* » Tertio, aerem, ibi, « *Grando, nix.* » Quarto, terram, ibi, « *Montes et omnes colles.* »

Dicit ergo : Sic laudate, dracones, et etiam vos, « *omnes abyssi,* » omnia maria, omnium aquarum profunditates. Daniel. III, 77 : *Benedicite, fontes, Domino : benedicite, maria et flumina, Domino,* qui vos creavit. II Paral. in oratione Manassæ : *Domine... qui ligasti mare verbo præcepti tui : qui conclusisti abyssum, et signasti eam terribili et lau-*

dabili nomine tuo : quem omnia pavent, etc.

8 « *Ignis.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Et tu, ignis, lauda. Daniel. III, 66 : *Benedicite, ignis et æstus, Domino.*

« *Grando.* » Hic tangit aerem per quatuor differentias impressionum, quæ in ipso fiunt, « *grando, nix,* » et « *glacies* » in aere ex vaporibus frigidis et humidis, « *spiritus procellarum,* » ex vaporibus frigidis et siccis : grando enim fit in parte aeris superiori, glacies in inferiori, et nix in media. Hæc autem omnia, sicut vult Glossa, etsi mutabilia et turbida sint, habent tamen locum, et ordinem suum, et creaturæ sunt. Exod. IX, 24 : *Grando et ignis mista pariter ferebantur.* Unde patet, quia etiam obediunt. Job, XXXVII, 6 : *Præcipit nivi ut descendat super terram.* Et in eodem, ỳ. 10 : *Flante Deo concrescit gelu.* Ezechiel. XIII, 13 : *Erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea.* Et hoc est quod addit, hic : « *Quæ faciunt verbum ejus.* » In Psal. CVI, 25, supra : *Dixit, et stetit spiritus procellæ*, etc.

9 « *Montes et omnes colles.* » *Montes*, majores elevationes terræ, *colles* vero, minores. Daniel. III, 75 : *Benedicite, montes et colles, Domino.* Isa. LV, 12 : *Montes et colles cantabunt coram vobis laudem.*

« *Ligna fructifera.* » Hic invitat animata, vel materiam laudis esse monstrat. Et primo, vegetabilia. Secundo, sensibilia, ibi, « *Bestiæ.* » Tertio, rationabilia, ibi, ỳ. 11 : « *Reges terræ.* »

Vegetabilium tangit duo genera. Primo, quæ sunt ad esum. Secundo, quæ ad ædificium, ibi, « *Et omnes cedri.* » Prima contra consumptivum interius data sunt homini : alia contra afflictivum exterius.

Et hæc omnia sunt creaturæ. Genes. II, 9 : *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave*, et dedit homini in esum. Genes. II, 16 : *Ex omni ligno paradisi comede*, scilicet dedi vobis omnia ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam. Similiter cedros, et talia ligna, in ædificium apta creavit, et homini dedit. Isa. XLI, 19 : *Dabo in solitudine cedrum, et spinam.* Et maxime cedri debent laudare, quæ fuerunt in ædificatione templi Dei[1].

« *Bestiæ, et universa pecora.* » Hic invitat sensibilia. Et primo, gressibilia. 10
Secundo, reptilia, ibi, « *Serpentes.* » Tertio, volatilia, ibi, « *Et volucres.* »

Et in prima, tangit primo majora gressibilia, ibi, « *Bestiæ.* » Secundo, minora, ibi, « *Et universa pecora.* »

Hæc enim sunt creaturæ. Genes. I, 24 : *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ.* Et, paulo supra, ỳỳ. 21 et 22 : *Creavit Deus... omne volatile secundum genus suum... Benedixitque eis, dicens :... Aves multiplicentur super terram.*

Aliter, ab illo loco : « *Laudate Dominum, de terra, dracones*, etc. » *Draco*, diabolus. Apocal. XII, 3 : *Et cauda ejus*, scilicet draconis, *trahebat tertiam partem stellarum*, de terra viventium in qua conditus fuit, *et misit eas in terram*, scilicet mortuorum et tenebrosam, et opertam mortis caligine[2]. Sed hic est laudis materia cum omnibus suis, qui ordinatus est a Deo in pœna. Ezechiel. XXIX, 3 : *Ecce ego ad te,... draco magne, qui cubas in medio fluminum Ægypti.* Et, Apocal. XX, 2 : *Apprehendit* Angelus *draconem, serpentem antiquum,... et ligavit eum.* Et, infra, ỳ. 9 : *Missus est in stagnum ignis et sulphuris,*

Alia expositio versets 7 et 8.

[1] Cf. III Reg. V, VI et VII.

[2] Job, X, 21 : *Antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine.*

ubi cruciabitur in sæcula sæculorum.

« *Omnes abyssi.* » *Abyssi* sunt peccatores, maxime voluptuosi. Job, xxviii, 14 : *Abyssus dicit : Non est in me*, vera scilicet sapientia : et verum dicit. Eccli. i, 2 : *Profundum abyssi quis dimensus est?* Ille qui etiam talium opera in laudem suam convertit, unde ipsa quodammodo laudant, quia secundum ipsorum delicias, illos punit. Apocal. xviii, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Et sequitur, xix, 1 et 2 : *Salus, et gloria, et virtus Deo nostro est,... qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram.*

« *Ignis.* » Hic tanguntur cupidi per quinque differentias tentationum in hoc peccato. Per *ignem*, fervens appetitus. Proverb. xxx, 16 : *Ignis numquam dicit : Sufficit.* Per *grandinem*, labor et anxietas in acquirendo. Exod. ix, 25 : *Percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris,* in laboribus acquirendi. Et nota quod dicitur ibi, Exod. ix, 24, quod *grando et ignis mista pariter ferebantur*, quia ardentem appetitum habendi comitatur anxietas acquirendi. Per *nivem* significatur metus amittendi. De hac, Proverb. xxxi, 21 : *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis*, dicitur de sancta anima temporalia contemnente. Per *glaciem*, avaritia in retinendo, quæ non potest dissolvi, sicut nec glacies, quidquid habuerit. Sapient. xvi, 29 : *Ingrati spes*, divitiæ in quibus sperat, *tamquam hiemalis glacies tabescet.* Per *spiritum procellarum*, dolor in amittendo, et commotio, et tempestas. III Reg. xix, 11 : *Post spiritum commotio : non in commotione Dominus.* Isa. xix, 3 : *Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus.* Hi autem sunt materia laudis, quando convertuntur, quia eorum malum Deus convertit in bonum. Genes. l, 20 : *Vos cogitastis de me malum, sed Deus convertit illud in bonum.* Vel, quando in pœnis ordinabuntur, sed non permanebunt, cum implebitur illud quod dicit supra, in Psal. x, 7 : *Pluet super peccatores laqueos, ignis, et sulphur*, etc.

Per *montes et colles* tangitur tertia differentia peccatorum, scilicet superbi, qui similiter sunt laudis materia, quando sunt humiliati, vel per gratiam humilitate quæ virtus est, vel per pœnam humilitate quæ dejectio est. Isa. xl, 4 : *Omnis mons et collis humiliabitur.* Et, xliv, 23 : *Resonate, montes, laudationem.* Et, xlix, 13 : *Jubilate, montes, laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur.* Humiliati etiam in pœna, laudis materia fuerunt, et laudaverunt, sicut habetur exemplum de Antiocho, qui percussus ait, II Machab. ix, 12 : *Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.* Et Nabuchodonosor, postquam percussus est, dixit : *Oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi : et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi* [1].

« *Ligna fructifera*, » Prælati per fructificationem. Ad Coloss. i, 10 : *Fructificantes, et crescentes in scientia Dei. Cedri* per odorem bonæ vitæ. II ad Corinth. ii, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Hæc laudant, Isa. lv, 12 : *Omnia ligna regionis plaudent manu.*

Per *bestias*, et *pecora*, activi, sed per *gressibilia*, proficientes de bono in melius. Per *serpentes*, cauti. Hæc autem laudant Deum, Isa. xliii, 20 : *Glorificabit me bestia agri*, majores in laborando, et universa pecora, minores. Isa. ix, 7 : *Omne pecus Cedar congregabitur tibi.* Serpentes, cauti. Matth. x, 16 : *Estote prudentes sicut serpentes.* Per *volucres pennatas*, contemplativi. Proverb. i, 17 :

[1] Daniel. iv, 31.

Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Propter hoc debent laudare, Daniel. III, 80 : *Benedicite, omnes volucres cœli, Domino.*

« *Reges terræ.* » Hic invitat rationabi-
11 lia, sive homines, quos describit tripliciter. Primo, per dignitatem. Secundo, per sexum, ibi, ỷ. 12 : « *Juvenes.* » Tertio, per ætatem, ibi, « *Senes cum junioribus.* » Et quarto, addit rationem laudis, ibi, ỷ 13 : « *Quia exaltatum.* »

In prima tria secundum triplicem præeminentiam quam tangit : potestatis primo per reges, bonitatis secundo per principes, sapientiæ tertio per judices.

Ait ergo : Sic laudate, præcedentia, et vos, « *reges terræ,* » laudate : et addit respectu cujus est præeminentia, ibi, « *Et omnes populi.* »

Reges laudant. Exemplum David, I Paral. XXIX, 9 et 10 : *David rex lætatus est cum gaudio magno. Et benedixit Domino coram universa multitudine, et ait : Benedictus es, Domine.* Daniel. IV, 34, de Nabuchodonosor : *Ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico Regem cœli.*

« *Et omnes populi.* » Isa. XLIII, 21 : *Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.*

« *Principes.* » I Paral. XV, 16 : *Dixit David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum.*

« *Et omnes judices terræ.* » Judices laudant Deum, cum recte judicant, facientes quod dicitur, Deuter. XVI, 18 et 19 : *Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis..., ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent.* Blasphemant, qui male judicant, sicut illi, de quibus, Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas de Babylone a senioribus judicibus,* etc. Et de quibus, Sophon. III, 3 : *Judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.*

« *Juvenes et virgines.* » Hic quantum ad sexum, primo tangens masculinum, secundo, fœmininum. 12

Laudare debent juvenes. Eccle. XI, 9 : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua : et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ.*

« *Et virgines.* » Exod. XV, 20 et 21 : *Sumpsit Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua : egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinabat, dicens : Cantemus Domino, gloriose enim,* etc.

« *Senes cum junioribus.* » Hic respicit ad ætatem, secundum duplicem differentiam senectutis et juventutis. Senes debent laudare pro data sibi sapientia. Job, XII, 12 : *In antiquis est sapientia.* Eccli. XXV, 8 : *Corona senum multa peritia.* « *Cum junioribus,* » simul : in ipsis enim divina laus consummatur. In Psal. VIII, 3, supra : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* Supra, in Psal. CXII, 1 : *Laudate, pueri, Dominum.* Jerem. XXXI, 13 : *Lætabitur virgo in choro, juvenes et senes simul.*

« *Quia exaltatum est.* » Hic ratio. 13
« *Quia exaltatum est nomen ejus solius,* » Filius scilicet, qui est nomen, quia per ipsum divinitas innotuit. Joan. I, 18 : *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* nobis scilicet. Ad Philip. II, 9 : *Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Isa. LII, 13 : *Ecce puer meus, exaltabitur, et sublimis erit valde* [1] : et sublimitate singulari. Isa. II, 11 : *Exaltabitur Dominus solus in die illa.*

« *Confessio ejus.* » Hic secunda pars 14
Psalmi. Postquam enim ostendit creaturas esse divinæ laudis materiam, et divisim, hic idem ostendit conjunctim, non exprimendo aliquam nominatim et

Secunda pars Psalmi.

[1] Vulg. habet, Isa. LII, 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur,* etc.

specialiter : et dicuntur tria, propter quæ maxime Deus laudandus est. Primo scilicet opus creationis. Secundo, recreationis, ibi, « *Et exaltavit cornu.* » Tertio, glorificationis, ibi, « *Hymnus omnibus.* »

Dicit ergo : Sic laudate sigillatim, et etiam laudate omnes simul, quia « *confessio ejus,* » supple, est « *super cælum et terram,* » id est, super omnia creata, id est, de omnibus creaturis, tam superioribus quam inferioribus est laudandus. Et etiam, « *super cælum et terram,* » id est, plusquam cœlestis, vel terrena posset exprimere creatura. Habacuc, III, 3 : *Operuit cælos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra.* II Paral. in oratione Manassæ, passim : *Domine omnipotens, Deus patrum nostrorum,... qui fecisti cælum et terram cum omni ornatu eorum,... laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ.*

« *Et exaltavit.* » Hic tangitur opus recreationis. Quasi diceret : Sic cœlum et terram tu fecisti, unde laudandus : « *Et* » etiam « *exaltavit cornu,* » id est, Christum, per propriam passionem. I Reg. II, 10 : *Dominus... dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu Christi sui.* Et in eodem, ℣. 1 : *Exaltatum est cornu meum in Deo meo.* « *Populi sui,* » supple, redemptorem in ipsa sua exaltatione. Joan. III, 14 et 15 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Ad quid ? *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et, XII, 32 : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.*

Vel, *cornu* appellat potestatem et dignitatem nominis Christiani, quam multum exaltavit. Luc. I, 69 : *Erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui,* id est, in Ecclesia.

« *Hymnus omnibus.* » Hic subditur pro glorificatione laus, et tangitur quasi triplex glorificandorum differentia. Sancti, filii Israel, et appropinquantes Deo. Et innuuntur in his subtiliter considerantis tres animæ dotes. Sancti enim sunt qui purgati sunt ab omni amore terreno, et per amorem sincerum inhærent æternis : filii autem Israel, illi iidem sunt per visionem, et cognitionem plenam summæ veritatis : appropinquantes autem, et quasi se totos ingerentes, per fruitionem divinæ bonitatis.

Dicit ergo : Sic laudate propter opera creationis, et recreationis, et etiam, quoniam « *hymnus,* » et lætitia, laus scilicet Dei cum cantico. I Machab. IV, 24 : *Hymnum canebant, et benedicebant Deum in cælum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Et rursus de hymno, II Mach. X, 38 : *In hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel.* Judith, XVI, 15 : *Hymnum novum cantemus Deo nostro.* Est, et erit « *omnibus sanctis ejus,* » omnibus scilicet puro et sancto amore ei inhærentibus. Apocal. XIX, 5 : *Vox de throno exivit, dicens : Laudem dicite Deo, omnes servi ejus, et qui timetis Deum,* etc.

« *Filii Israel.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Hymnus erit Sanctis. Sanctis, inquam, « *filiis Israel,* » id est, Deum aperte videntibus. Tob. XIII, 3 : *Confitemini Domino, filii Israel.* Isa. LI, 11 : *Venient in Sion,* in speculatione æternorum, *laudantes.* Et, LII, 8 : *Simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt,* etc.

« *Populo appropinquanti sibi,* » scilicet per æternam fruitionem : fruens enim totus transit in Deum. Eccli. XXIV, 26 et 27 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini : spiritus enim meus super mel dulcis.* Jerem. XXXI, 14 : *Populus meus bonis adimplebitur meis.* Jacob. IV, 8 : *Appropinquate Deo,* desiderium extendendo, sancti qui estis in patria : *et* ipse *appropinquabit vobis,* suam dulcedinem infundendo, quam et ipse tandem nobis infundere dignetur, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PSALMUS CXLIX.

Gratiarum actio pro insigni victoria.

1. Alleluia.
Cantate Domino canticum novum : laus ejus in ecclesia sanctorum.
2. Lætetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exsultent in rege suo.
3. Laudent nomen ejus in choro, in tympano et psalterio psallant ei.
4. Quia beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.
5. Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.
6. Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum :
7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis :
8. Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis :
9. Ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus ejus.
Alleluia.

IN PSALMUM CXLIX.

COMMENTARIUS.

« *Alleluia*[1]. »

« *Cantate Domino.* » Hic est Psalmus centesimus quadragesimus nonus in toto libro, in tertia vero parte quadragesimus nonus. Postquam enim invitavit omnes creaturas generaliter ad Dei laudem, et hoc propter ipsius laudandi gloriam, hic invitat populum Dei specialiter ad laudandum pro justitia Dei in impios exercenda, in sequenti vero pro misericordia justis impendenda.

Argumentum Psalmi: Hortatio ad laudem Dei ex justitia in impios exercenda.

Nihil autem novi innuitur in hoc titulo, sed tantum ibi ponitur « *Alleluia.* » Quasi diceret : In subjecto Psalmo laus

[1] Dans ce cantique, contemporain des deux précédents l'Israélite remercie le Seigneur des victoires remportées contre les ennemis qui l'avaient assailli au retour de la captivité, et voulaient l'empêcher de rebâtir le temple et la ville. Cette opposition jalouse a été surmontée, par la grâce de Dieu ; aussi Israël reconnaissant se déclare-t-il prêt à être désormais le justicier de Jéhova dans le monde.

Elliott reconnaît que ce psaume, comme tous ceux qui parlent d'un « chant nouveau », a trait aux jours du Messie et à sa victoire finale. C'est là en effet le sens spirituel : « Dieu sauve « et exalte les humbles et les saints, il les « comble de joie, il achève leur gloire en les « associant à Jésus-Christ dans le jugement « qu'il exerce sur le monde, et surtout dans « le jugement solennel qu'il exercera à la fin « des temps. » Le Hir. Cf. Sapient. III, 8 ; Matth. XIX, 28 ; I ad Corinth. VI, 2.

H. Lesêtre.

Dei continetur, et hoc verum est pro justo judicio, et justitia quam in reprobis exercebit. Apocal. XVI, 5 et 6, dicturi sunt sancti[1]: *Justus es, Domine, qui es, et qui eras: sanctus, qui hæc judicasti: quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt.*

Duo autem dicuntur in hoc Psalmo. Primo, invitat ad laudem. Secundo, subdit invitationis rationem, ibi, ℣. 4: « *Quia beneplacitum est Domino in populo suo.* »

In prima autem parte, primo tangitur materia laudis. Secundo, locus in quo laudandus, ibi, « *Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* » Tertio, affectus laudantis, ibi, ℣. 2: « *Lætetur Israel.* » Quarto, modus laudis, ibi, ℣. 3: « *Laudent nomen ejus in choro.* »

1 Prima pars Psalmi. Dicit ergo simul jungens invitationem, et laudis materiam: O vos, Israelitæ, « *cantate Domino,* » ipsum laudando: et quid? « *canticum novum.* » Isa. XLII, 10: *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.* Judith, XVI, 2: *Modulamini illi psalmum novum.* Canticum vetus est cantare pro vanis, et de vanis, et noxiis hujus mundi, sed tale non curat. Amos, V, 23: *Aufer a me tumultum carminum tuorum, et cantica lyræ tuæ non audiam.* Amos, VIII, 10: *Convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum.* Vult autem novum canticum de novis, et pro novis miraculis a Deo Patre tempore gratiæ factis, Joan. IX, 32: *A sæculo non est auditum, ut aperiret quis oculo cæci nati.* Novum pro novis et inauditis factis, Matth. V, 44: *Benefacite his qui oderunt vos.* Pro novis et inauditis patientiis, Matth. V, 39: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram.* Pro novis et inauditis consiliis, Matth. XIX, 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes... et veni, sequere me.* Pro novis et inauditis promissis, Matth. XIX, 28: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede,* etc.

« *Laus ejus.* » Ecce secundum, scilicet locus laudis aperte. Supra, in Psal. XXV, 12: *In Ecclesiis benedicam te, Domine.* Et iterum, Psal. XXI, 23: *In medio Ecclesiæ laudabo te.* Et rursus, in alio Psalmo LXVII, 27: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.* Eccli. XXIV, 4: *In multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur.* Sola enim Ecclesia locus laudis est. Alii autem blasphemant, ut sic possit dici: *Inter gentes nomen meum jugiter tota die blasphematur*[2].

« *Lætetur Israel.* » Hic tertium, in quo tangitur affectus laudantis, scilicet effectus lætitiæ et exsultationis. Lætitia interior est, cujus effectus est exsultatio exterior: lætitia interior in Deo proprie, exsultatio vero exterior proprie in homine Christo. Secundum, ibi, « *Et filiæ Sion.* » 2

Dicit ergo: Sic monui ad canticum novum cantandum, et determinavi locum cantus, et etiam « *Israel,* » populus videns Deum, hic per speculum, et tandem per speciem in futuro, « *lætetur,* » interiori cordis lætitia, et hoc in præsenti, et tandem in futuro plene, et perfecte, « *in eo qui fecit eum,* » et secundum id quod est, et secundum quod Israel est. Sophon. III, 14: *Lauda, filia Sion: jubila, Israel: lætare, et exulta in omni corde, filia Jerusalem.* Isa. LVI, 7: *Lætificabo eos in domo orationis meæ.* Isa. LXI, 10: *Gaudens gaudebo in Domino.*

[1] Verba sunt tertii Angeli, scilicet Angeli aquarum.

[2] Isa. LII, 5.

« *Et filiæ Sion,* » animæ Deum speculantes, hic per fidem, ibi per speciem, « *exsultent,* » extra saltent, « *in rege suo,* » Christo, videntes ejus humanitatem gloriosam. Isa. xxxiii, 17 : *Regem in decore suo videbunt oculi ejus,* et tunc non se continebunt ab exteriori jucunditate, dicentes illud Apocal. xix, 7 : *Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam ei.* De utroque dicitur, Isa. lxi, 10 : *Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo.* Habac. iii, 18 : *Ego autem in Domino gaudebo : et exsultabo in Deo Jesu meo,* et rege meo, sicut dictum est, et sacerdote meo. Ad Hebr. vii, 1 : *Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi.*

3 « *Laudent nomen ejus.* » Hic determinat modum laudis. Primo, ut sit in choro charitatis, et concordiæ quoad proximum. Secundo, in tympano mortificationis carnis quantum ad seipsum, ibi, « *In tympano.* » In obedientia decem præceptorum quantum ad obedientiam ad Deum, ibi, « *Et psalterio.* »

Dicit ergo : Sic moneo ad canticum novum cantandum, et determinavi locum, et etiam moneo : « *Laudent nomen ejus in choro.* » Glossa : « In concordia morum, et unitate charitatis. » Chorus est consona humanarum vocum relatio, et signat concordiam morum, quam multum diligit. Eccli. xxv, 1 et 2 : *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus. Concordia fratrum, et amor proximorum,* etc. Et hanc in suis facit. Job, xxv, 2 : *Qui facit concordiam in sublimibus suis,* quam diabolus abhorret et fugit. Cantic. vii, 1 : *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum ?* armatos charitate et concordia contra diabolum.

« *In tympano,* » carnis scilicet mortificatione, sicut ille cum tympano laudabat, qui dicebat, I ad Corinth, ix, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo,* Et, ad Galat. vi, 17 : *Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Hoc est de quo, Exod. xv, 20 : *Sumpsit Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua : egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris.*

« *Et psalterio,* » decem mandatorum adimpletione, « *psallant ei.* » Supra, in Psal. xxxii, 2 : *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Et in alio Psal. xxix, 5 : *Psallite Domino, sancti ejus, et confitemini,* etc. Et rursum, Psal. lxxx, 3 : *Sumite psalmum, et date tympanum : psalterium jucundum cum cithara.*

« *Quia beneplacitum est.* » Hic est secundum, scilicet ratio et causa laudis, justitia scilicet divina in punitione reproborum, quæ fiet per sanctos tamquam per ministros : unde hic introducuntur sancti judices et ministri. Duo ergo dicuntur. Primo, sanctorum gloria pro collatione potestatis eis a Deo datæ de judicandis impiis. Secundo, pro exsecutione, ibi, ℣. 7 : « *Ad faciendam vindictam.* » 4 Secunda pars Psalmi.

In prima tria. Primo, causa collationis tantæ potestatis, divinum scilicet beneplacitum. Secundo, collatio ipsa, ibi, « *Et exaltabit.* » Tertio, lætitia et exsultatio pro collatione illa, ibi, ℣. 5 : « *Exsultabunt sancti.* »

Dicit ergo : Sic laudetur Deus, « *quia beneplacitum est Domino in populo suo.* » Supra, in Psal. cxlvi, 11 : *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis,* etc. Sapient. iv, 10 : *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est.* Ex hoc enim quod placeo Deo, confert bona, non meo merito. Luc. xii, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum,* id est, potestatem et judicium super impios. Sapient. iii, 8 : *Judicabunt,* Sancti scilicet, *nationes, et dominabuntur populis.*

« *Et exaltabit mansuetos.* » Hic se-

cundum. Quasi diceret : Sic est beneplacitum, et propter hoc « *exaltabit mansuetos,* » perfectos qui in manu Dei assueti sunt accipere ab eo æterna et interna bona : et hoc in die judicii, quando eos faciet assessores. I Petr. v, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Luc. xiv, 11, et xviii, 1 : *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur :* tunc enim deponentur potentes de sede, et exaltabuntur humiles [1]. Esther, xi, 11 : *Humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.* Hæc autem exaltatio erit « *in salutem,* » quando salus æterna dabitur justis. Isa. xlvi, 13 : *Dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloriam meam.* Et erunt sic exaltati mansueti. In Psal. cxlvi, 6, supra : *Suspiciens,* sursum capiens, *mansuetos.* Et in alio Psalmo xxxvi, 11 : *Mansueti autem hæreditabunt terram,* etc.

5 « *Exsultabunt sancti.* » Hic est tertium, sanctorum scilicet lætitia et exsultatio pro exaltatione illa. Et ostenditur primo lætitia, sive exsultatio in corde. Secundo, in ore, ibi, ỳ. 6 : « *Exsultationes Dei.* » Tertio, in opere, ibi, « *Et gladii ancipites.* »

In prima autem tangitur lætitia in intellectu. Secundo, in affectu, ibi, « *Lætabuntur in cubilibus suis.* »

Dicit ergo : Sic Domino beneplacent sancti, propter quod et ipsos exaltabit, et tunc « *sancti in* » hac « *gloria* » exaltationis suæ « *exsultabunt,* » in datore illius gloriæ, ipsum commendantes, dicentes illud Apocal. xix, 6 : *Regnavit Dominus Deus noster omnipotens : gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam ei.* Isa. xxxv, 2 *: Exsultabit lætabunda et laudans : gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron : ipsi videbunt gloriam Domini,* in seipsis : *et decorem Dei nostri,* in seipso.

« *Lætabuntur,* » lætitia inenarrabili, de qua, Isa. xxxv, 10 : *Venient in Sion cum laude, et lætitia sempiterna super caput eorum.* In eodem, li, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.* Et hoc pro justitia divina. Psal. lvii, 11 : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Et hoc, « *in cubilibus suis,* » id est, in quiete internæ consolationis, et æternæ in affectu suo interiori. Tunc plene implebitur quod dicit Apostolus, II ad Corinth. i, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Hi sunt, de quibus Dominus, Luc. xi, 7: *Ostium clausum est,* ut jam non sit introitus ad regnum, *et pueri mei mecum sunt in cubili.* Cantic. viii, 2 : *Apprehendam te, et ducam in domum matris meæ.* Et, iii, 4 : *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Isa. lvii, 1 et 2 : *A facie malitiæ collectus est justus. Veniat pax, requiescat in cubili suo.* Et, Isa, xxxv, 7 : *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci.*

« *Exaltationes Dei.* » Hic lætitia quantum ad os. 6

Ait ergo : Sic lætabuntur in corde, et etiam « *exaltationes Dei,* » non mundi, non carnis, non diaboli, « *in gutture eorum :* » alia littera, « in faucibus eorum. » Psal. lxx, 23, supra : *Exsultabunt labia mea, cum cantavero tibi.* Osee, viii, 1 : *In gutture tuo sit tuba,* scilicet laudis et exaltationis. Proverb. iii, 3 : *Misericordia et veritas,* id est, divina justitia, *te non deserant : circumda eas gutturi tuo.*

« *Et gladii.* » Hic tertium, lætitia pro gloria in opere, vel in ipso opere.

Ait enim: Sic exsultabunt in corde, et

[1] Luc. i, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

in ore, et etiam exterius in opere, quia « *gladii ancipites,* » in ambabus partibus secantes, « *in manibus eorum.* » Isti gladii sermones sunt. Sermo enim Dei gladius est. Ad Ephes. vi, 17 : *Assumite et gladium spiritus* (*quod est verbum Dei*). Ad Hebr. iv, 12 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus.* Et sancti similiter accipient tunc sermonem potestativum, et judicativum. Cantic. iii, 7 et 8 : *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios.* Quilibet habebit gladium exacuatum, et limatum. Ezechiel. xxi, 9 et 10 : *Gladius, gladius exacutus est, et limatus. Ut cædat victimas exacutus est.* Et erit in manu, in potestate sanctorum. Ezechiel. xxi, 11 : *Iste exacutus est gladius,... ut sit in manu interficientis.*

7 « *Ad faciendam vindictam.* » Hic secundum totius hujus partis, in qua agitur de causa laudis. Præmissa enim collatione judiciariæ potestatis ipsis sanctis facta, hic subjungitur de executione : et tanguntur duo. Primo, potestatis exsecutio. Secundo, illatio, vel assertio, quod fit in gloria Sanctorum, ibi, in medio ℣. 9 : « *Gloria hæc est.* »

In prima tangitur exsecutio potestatis respectu minorum in facto. Secundo, in verbo, ibi, » *Increpationes.* »

Dicit ergo : Sic gladii ancipites in manibus eorum : unde « *lætabuntur,* » et hoc, « *ad faciendam vindictam in nationibus,* » in hominibus, qui in concupiscentia carnis, in qua nati sunt, finaliter permanserunt. Supra, in Psal. cix, 6 : *Judicabit in nationibus, implebit ruinas,* etc. Sapient. iii, 8 : *Judicabunt,* scilicet Sancti, *nationes, et dominabuntur populis.* Sed quomodo dicit hoc, cum Dei solius sit vindicta ? Ad Roman. xii, 19 : *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus*[1]. Et, Eccli. xxviii, 1 : *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam.* Et Sancti hoc ipsum petunt, Apocal. vi, 10. *Usquequo, Domine,* (*sanctus et verus*) *non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum ?* Et est responsio, quod solius Dei erit vindicta auctoritate, sanctorum autem Angelorum et hominum ministerio. II Reg. xxii, 47 et 48 : *Exaltabitur Deus fortis salutis meæ. Deus qui das vindictas mihi, et dejicis populos sub me.* Hoc significatum fuit, Esther, viii, 12 et 13, ubi dictum est : *Constituta est per omnes provincias una ultionis dies,... ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subjacebant imperio, notum fieret paratos esse Judæos ad capiendam vindictam de hostibus suis.* Hæc dies, de qua, Proverb. vi, 34 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Et, Eccli. v, 8 et 9 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Nec mirum si Sancti facient vindictam, quia omnes creaturæ faciunt vindictam, Eccli. xxxix, 33 et seq. : *Sunt Spiritus qui ad vindictam creata sunt,* etc. Et, ℣. 35 : *Omnia hæc ad vindictam creata sunt : bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et romphæa vindicans in exterminium impios.*

« *Increpationes in populis.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Sic videbunt in facto, et etiam « *increpationes in populis,* » quæ sunt in verbo. IV Reg. xix, 3 : *Dies tribulationis et increpationis dies iste :* tunc enim dire increpabuntur, qui hic increpationes audire nolunt, de quibus, Proverb. i, 25 et 26 : *Increpationes meas neglexistis : ego autem in interitu vestro ridebo.* Proverb. v, 9 : *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli.* Et, infra, ℣℣. 11 et 12 : *Ne... gemas in novissimis,... et dicas :*

[1] Deuter. xxxii, 35 : *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore.*

Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievit cor meum?

8 « *Ad alligandos reges.* » Hic exsecutio potestatis quantum ad majores : et tanguntur duo. Primo, potestatis exsecutio. Secundo, exsecutionis finis et ratio, ibi, ỷ. 9 : « *Ut faciant.* »

In prima duo, secundum duplex genus excellentiæ et majoritatis. Primum, excellentia potestatis, ibi, « *Reges.* » Secundum, generis nobilitas, ibi, « *Et nobiles eorum.* »

Dicit ergo : Sic habent potestatem ad hoc faciendum in minoribus, et etiam « *ad alligandos reges eorum,* » majores majorum potestate, « *in compedibus,* » quia detrusi in inferno, quasi compediti, procul dubio nihil poterunt boni velle, nec ad litteram ambulare. Isti sunt compedes quibus Nabuchodonosor ligavit Sedeciam [1]. Et hoc justissimum, quia doctrinam Christi compedes reputaverunt. Eccli. xxi, 22 : *Compedes in pedibus, stulto doctrina.*

« *Et nobiles eorum,* » majores scilicet nobilitate generis, « *in manicis ferreis.* » Quod sunt pedibus compedes, hoc sunt manibus manicæ ferreæ. Judith, vi, 9 : *Ligaverunt,* servi scilicet Holophernis, *Achior ad arborem manibus et pedibus.* Mali enim quantumcumque magni, procul dubio ligabuntur prolata sententia judicii. Matth. xxii, 13 : *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.*

Sed ad quid erit ista ligatio ? Ecce : 9
« *Ut faciant in eis judicium,* » non quodcumque, sed « *conscriptum,* » et determinatum in Scripturis, illud scilicet Sapient. iii, 8 : *Judicabunt,* Sancti scilicet, *nationes.* Et, Job, xxxvi, 6 : *Judicium pauperibus tribuit.* I ad Corinth. vi, 2 : *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt ?* Et, Matth. xii, 27 : *Ideo ipsi judices vestri erunt* [2]. Isa. iii, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui.* Abdiæ, ỷ. 21 : *Ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau.*

« *Gloria hæc est.* » Ecce secundum totius hujus partis, in qua tangitur de exsecutione sententiæ.

Ait enim : Sic Sancti potestatem habebunt et in minores, et in majores nationum. « *Hæc est gloria,* » scilicet posse, « *omnibus sanctis ejus,* » perfectis scilicet, qui pro Christo omnia reliquerunt. Glossa : « Ecce quanta gloria Sanctorum, « et gaudium tunc erit, quando paupe- « res, qui hic fuerunt derisui, potestatem « habebunt vindicandi in superbos. » Sapient. v, 2, dicturi sunt damnati : *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii... Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est.* Sapient. v, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini,* quod et nos ab eodem accipere mereamur, qui est benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

[1] Cf. IV Reg. xxv, 7.

[2] Luc. xi, 19.

PSALMUS CL.

In omnibus et ubique Deum celebrandum profitetur.

1. Alleluia.
Laudate Dominum in sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.
2. Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.
3. Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio et cithara.
4. Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.
5. Laudate eum in cymbalis benesonantibus : laudate eum in cymbalis jubilationis :
6. Omnis spiritus laudet Dominum !
Alleluia.

IN PSALMUM CL

COMMENTARIUS.

« *Alleluia* [1]. »

« *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* » Hic est Psalmus centesimus quinquagesimus in toto libro et ultimus, in quo, sicut superius dictum fuit, postquam monuit ad laudem Dei pro justitia in impios a Sanctis exercenda, hic monet ad eamdem laudem pro misericordia piis exhibenda, tamquam videret jam exhibitam, ex qua potissime Deus laudandus est : unde bene hic præponitur titulus « *Alleluia.* »

Argumentum Psalmi: Hortatio ad laudem Dei ex misericordia piis exhibenda.

Dividitur autem Psalmus in duas partes. Primo, invitatio ad laudem Dei. Secundo, expressio modi laudandi, ibi, ℣. 3: *Laudate eum in sono tubæ.* »

In prima duo. Primo, invitat ad laudandum, addens rationem laudis, gloriam sanctis exhibitam generaliter. Secundo, sanctis quibusdam specialiter, et Angelis, ibi, « *Laudate eum in firmamento.* »

Prima pars Psalmi. 1

Dicit ergo : Sic monui laudare Deum supra pro justitia quam per sanctos exercet in impiis [2], et adhuc dico, omnes electi ejus, vel potius omnes creaturæ ejus, « *laudate Dominum,* » et hoc, « *in sanctis ejus,* » quibus tantam misericordiam præstitit. Sapient. IV, 15 : *Gratia Dei, et misericordia est in sanctos ejus,*

[1] Chacun des quatre livres précédents du psautier se terminait par une doxologie de peu d'étendue ; au dernier livre, la doxologie devient un psaume tout entier.
« Les psaumes nous ont montré la providence et l'action de Dieu sur les justes pendant la vie ; le psaume CXLIX nous a montré « leur gloire au dernier jugement ; le psaume CL « nous les montre comme parvenus au ciel, et « y louant le Seigneur pendant toute l'éternité. « Il est ainsi bien naturellement la conclusion « de tout le psautier. » Le Hir.

[2] Cf. Commentarium in Psalmum præcedentem, ℣℣. 7 et 8.

et respectus in electos illius, quorum animas ad se de periculis mundi traxit. Sapient. III, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos*, etc. Deuter. XXXIII, 3 : *Omnes sancti in manu illius sunt.* Et tractos et in manu positos mirabiliter glorificavit. Psal. LXVII, 36 : *Mirabilis Deus in sanctis suis*, etc.

« *Laudate eum in firmamento.* » Hic secundum, in quo ponitur specialis ratio, quæ pro sanctis specialibus assignatur. Et primo, invitat ad laudandum pro gloria Christo capiti exhibita. Secundo, pro gloria exhibita Angelis, ibi, ℣. 2 : « *Laudate eum in virtutibus.* » Tertio, pro gloria exhibita hominibus electis, ibi, « *Laudate eum secundum multitudinem.* »

Dicit ergo : Sic laudate eum in sanctis ejus, et « *laudate eum in firmamento,* » id est, pro gloria in firmamento collata, firmamento, inquam, « *virtutis ejus,* » scilicet Dei, hoc est, Christo capiti. Ipse enim firmamentum est, et causaliter et essentialiter. Causaliter, II Reg. XXII, 19 : *Factus est Dominus firmamentum meum.* Et essentialiter, Supra, in Psal. LXXI, 16 : *Erit firmamentum in terra, in summis montium.* Eccli. XLIII, 1 : *Altitudinis firmamentum, pulchritudo ejus.*

Similiter, utroque modo *virtus* dicitur : causaliter, Supra, Psal. CXXXIX, 8 : *Domine, Domine, virtus salutis meæ.* II Reg. XXII, 2 : *Dominus petra mea, et robur meum.* Essentialiter, I ad Corinth. I, 23 et 24 : *Nos prædicamus... Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia ipsius*, scilicet Dei, *per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas.*

2 « *Laudate eum in virtutibus.* » Ecce secundum. Quasi diceret : Laudate pro gloria homini Christo exhibita, et etiam « *laudate eum in virtutibus ejus,* » hoc est, pro gloria virtutibus Angelicis data, quæ suæ sunt creatione, et confirmatione in gloria, pro qua gloria et ipsæ virtutes laudant. II Paral. in oratione Manassæ, in fine : *Laudabo te*, Domine, *semper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum.*

« *Laudate eum.* » Hic tertium quod patet ex ipso modo loquendi, scilicet invitatio ad laudem pro collatione gloriæ omnibus electis.

Ait enim : Sic laudate pro gloria homini Christo exhibita, et sanctis Angelis, et etiam « *laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus,* » id est, secundum gloriam quam extendit ad omnem multitudinem electorum ex diversis partibus, et diversis conditionibus hujus mundi. Iterum ostenditur multitudo magnitudinis divinæ in hominum salute qui tam miserabiliter corruerunt in primo homine. Ad Ephes. II, 4 et 5 : *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes ejus.*

« *Laudate eum in sono tubæ.* » Hic secunda pars Psalmi, in qua invitat addendo modum. Secundo, ostendit sic laudandi dignum, ibi, ℣. 6 : « *Omnis spiritus.* » 3 Secunda pars Psalmi.

Prima pars posset dividi in octo, secundum octo genera modorum laudandi per ordinem in littera.

Aliter etiam posset dividi Psalmus iste, ut primo invitet ad laudandum Deum pro gloria sanctorum, addens rationem generalem, sicut dictum est, et expositum. Secundo, addendo specialem. Altera divisio.

Et primo, pro gloria Virgini Matri exhibita. Secundo, pro gloria sanctis Angelis collata, sicut et prius, ibi, « *Laudate eum in virtutibus.* » Tertio, pro

collata hominibus electis, ibi, « *Laudate eum secundum multitudinem.* »

Et ista jam subdividitur.

Sed primam ex onamus de B. Virgine.

Ait enim : Sic dixi, quod laudetis Dominum in sanctis ejus, et incipite laudare pro gloria Mariæ : unde, « *laudate eum in firmamento virtutis ejus.* » Ipsa enim dicitur *firmamentum*, Ezechiel. I, 26 : *Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum*, scilicet animalium, *quasi adspectus lapidis sapphiri.* Et est firmamentum virtutis, quia omnibus aliis in fide hæsitantibus in hora passionis, ipsa perstitit tamquam virtute firmata. Luc. I, 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

« *Laudate eum in virtutibus ejus.* » Hoc ad gloriam Angelorum pertinet, et est expositum.

« *Laudate eum secundum multitudinem.* » Hic pro gloria electis hominibus collata : et dividitur hæc pars secundum divisionem electorum : unde pro gloria sanctis Patriarchis exposita, in quibus relucet multitudo magnitudinis divinæ bonitatis. Ipsi enim fuerunt fidei fundatores : Christus enim de eis carnem assumpsit, eis promissiones fecit, ipsos a limbo eduxit, et in cœlum perduxit. Secundum hanc ergo magnitudinis multitudinem laudandus est. Sic laudabat David, I Paral. XXIX, 10 et seq. : *Benedixit* David *Domino coram universa multitudine, et ait : Benedictus es, Domine Deus Israel, patris nostri, ab æterno in æternum. Tua est, Domine, magnificentia, et potentia, et gloria, atque victoria : tibi laus :... in manu tua virtus et potentia.*

« *Laudate eum in sono.* » Hic pro gloria collata Apostolis invitat ad laudandum.

Ait enim : Sic laudate secundum multitudinem magnitudinis, et etiam « *laudate eum in sono tubæ,* » in tubali Apostolorum et gloriosa prædicatione, vel in gloria Apostolis collata, qui fuerunt sonus tubæ : unde et per tubas sunt designati principaliores inter eos. Numer. x, 2 : *Fac tibi duas tubas argenteas.* Vel, quilibet etiam eorum, quia in binario numero missi sunt ad prædicandum, sicut dicit Glossa super Matthæum. Et, Luc. x, 1 : *Misit illos binos ante faciem suam.* Et hoc ut charitatis perfectio signaretur, sicut dicit beatus Gregorius.

« *Laudate eum in psalterio,* » id est, propter gloriam his qui per psalterium designantur, collatam. Quinam sunt isti, nisi sancti Evangelistæ de agendis, et moribus plenius instruentes ? Hoc est psalterium, in quo fugatur dæmon[1].

« *Et cithara,* » id est, pro gloria sanctis Innocentibus collata. Cithara enim dulcissime sonat : quid dulcius quam omnino innocentes pro omnino innocente mori, et eidem testimonium perhibere ? Unde de ipsis Innocentibus dicitur, Apocal. XIV, 2 et seq. : *Et vocem quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum,... et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra :... virgines enim sunt.* Et, xv, 2 et 3 : *Habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi, servi Dei, et canticum Agni,* etc.

« *Laudate eum in tympano,* » id est, 4
pro tympano, hoc est, pro collegio Martyrum, qui sicut tympanum martyrio sunt extensi. Jerem. XXXI, 4 : *Virgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis.*

« *Et choro,* » id est, pro gloria collata

[1] Cf. I Reg. XVI, 23, de cithara David.

choro, id est, sacris virginibus, quarum est proprie dicere choros, et in ipsis exsultare. Unde, Jerem. xxxi, 4, statim ut dixit : *Adhuc ornaberis tympanis tuis*, adjecit : *Et egredieris in choro ludentium*. II Reg. vi, 12 : *Erant cum David septem chori, et victima vituli*, quando deducebat arcam fœderis Domini. Hi septem chori possunt esse septem modi virginitatem conservandi, vel magis septem dona Spiritus sancti, vere conservantibus virginitatem collata.

« *Laudate eum in chordis*, » hoc est, pro gloria Confessoribus sanctis exhibita : ipsi enim fuerunt chordæ mirabiliter extensæ per carnis mortificationem, et ab humore culpæ desiccatæ, et pro talibus laus est exigenda. Daniel. xiii, 63 : *Helcias et uxor ejus* in illa die *laudaverunt Deum pro filia sua Susanna, cum Joakim, marito ejus, et cognatis omnibus, quia non esset inventa in ea res turpis*.

« *Et organo*, » id est, pro gloria sanctis Doctoribus collata, qui recte organo comparantur. In organis diversi soni emittuntur per diversas fistulas, et melodia efficitur, et concordantia. Sic a Doctoribus multæ sententiæ Veteris Testamenti, Prophetarum, Salomonis, et Novi, modo de Evangelio, modo de Epistolis, vel Apocalypsi proferuntur, unam facientes concordiam et melodiam. Hi sunt ergo, de quibus dicitur, I Paral. xxiii, 4 et 5 : *Ex his*, scilicet Levitis, *electi sunt et distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia.... Porro quatuor millia janitores, et totidem psaltæ canentes Domino in organis*, quæ portabant in armo : quia Doctores debent quod docent, opere adimplere. Matth. v, 19 : *Qui fecerit et docuerit*, supple, sic homines, *hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. »

« *Laudate eum in cymbalis*. » Cym- 5
balum appellatur prædicator appellans homines ad æternum convivium. Sed duo sunt prædicatorum genera : quidam prædicant ore, et opere invitando, et sunt *cymbala bene sonantia*. Quidam qui invitant in cordis exsultatione, et sunt *cymbala jubilationis*. Pro gloria ergo utrisque collata, monet laudare dicens : « *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus*, » id est, pro gloria collata prædicatoribus ex charitate implentibus ea ad quæ monent alios, ne sint cymbala se consumentia. I ad Corinth. xiii, 1 : *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*. Ne sint de illis, qui dicturi sunt in die judicii : Domine, Domine, nonne in plateis tuis prædicavimus, et in nomine tuo miracula fecimus ? Et respondebit Dominus : Amen dico vobis, nescio vos [1].

« *Laudate eum in cymbalis jubilationibus*, » id est, in gloria, et pro gloria prædicatorum in lætitia cordis prædicantium : taliter enim vult Deus sibi serviri. Eccli. xxxv, 11 : *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. II ad Corinth. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus*. De iis dicitur, I Esdræ, iii, 10 et 11 : *Steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis, et levitæ, filii Asaph, in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David, regis Israel. Et concinebant in hymnis et confessione Domino : Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*. II Paral. v, 13, Sacerdotes canebant *voce, et cymbalis*.

« *Omnis spiritus*. » Ecce secundum 6
totius hujus partis, in quo addit qui debeant potissime his modis laudare, quia spirituales, non carnales.

[1] Matth. vii, 22 et 23 : *Multi dicent in die illa : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos. Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.*

Ait enim : His modis laudetur, et etiam « *omnis spiritus,* » omnis scilicet vivens spiritualiter, et Deo spiritualiter serviens, non carnem sequens, sicut ille qui dicebat, ad Philip. III, 3 : *Nos sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu.* « *Laudet Dominum,* » pro his bonis, non caro et peccator. Eccli. XV, 9 : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Sed, Daniel. III, 86, dicitur : *Benedicite,* laudando, et glorificando, *spiritus et animæ justorum, Domino,* et hymnum dicite Deo nostro. Caro autem si facta sit spiritualis, gaudeat et exsultet. Supra, in Psal. LXXXIII, 3 : *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Omnis ergo spiritus laudet, et hic in præsenti, et in futuro potissime quando toti transibunt ad laudem Dei : ad quem statum nos perducat qui est benedictus per infinita sæcula sæculorum. Amen.



INDEX PSALMORUM

Ordine Numerico

PARS TERTIA (CI-CL)



INDEX PSALMORUM

Ordine Alphabetico

PARS TERTIA (CI-CL)

A

B

C

D

E

I

L

M

N

P

Q

S

V



INDEX OMNIUM PSALMORUM

ORDINE NUMERICO DIGESTORUM.

Tomus XV



INDEX OMNIUM PSALMORUM

ORDINE APHABETICO DIGESTORUM.

N. B. — Numerus prior arabicus designat paginam, posterior vero romanus indicat tomum.

A

B

C

D

E

F

I

J

L

M

N

O

P

Q

S

T

U

V



INDEX

Rerum notabilium, quæ in Commentariis in Psalmos continentur.

N.-B. — Numerus primus romanus indicat psalmum, secundus vero arabicus versiculum psalmi, tertius autem iterum romanus signat tomum hujus editionis. Verbi gratia : *AARON privilegium habuit sauctitatis, Moyses potestatis, et Samuel prophetiæ, XCVIII, 16-XVI.* **Expositio hujus sententiæ invenitur in commentario super psalmum XCVIII, ℣. 16, in tomo XVI hujusce editionis.**

A

C

E

F

G

H

I

L

M

N

O

R

Z

INDEX

Locorum Scripturæ, qui in Commentariis in Psalmos explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS

EXODI.

LEVITICI.

NUMERORUM.

DEUTERONOMII.

JOSUE.

JUDICUM.

RUTH.

I REGUM.

II REGUM.

III REGUM.

IV REGUM.

I PARALIPOMENON.

II PARALIPOMENON.

I ESDRÆ.

NEHEMIÆ, SEU II ESDRÆ.

TOBIÆ.

JUDITH.

ESTHER.

JOB.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

JEREMIÆ.

BARUCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

JOEL

AMOS.

ABDIÆ.

JONÆ.

MICHÆÆ.

NAHUM

HABACUC.

SOPHONIÆ.

AGGÆI.

ZACHARIÆ.

MALACHIÆ.

I MACHABÆORUM.

II MACHABÆORUM.



EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

ACT. APOSTOLORUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I AD THESSALONICENSES.

II AD THESSALONICENSES.

I AD TIMOTHEUM.

II AD TIMOTHEUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

II PETRI.

I JOANNIS.

APOCALYPSIS.



INDEX GENERALIS IN PSALMOS

FINIS TOMI DECIMI SEPTIMI.

Sancti Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY.

S. Alphonsi de Ligorio, Theologia moralis. Editio recentissima, excerptis e novissimis moralibus theologiis completa ; decisionibus auctoritatis romanæ recentioribus locupletata ; codicum præcipuorum Europæ collationibus illustrata ; quoad citationes Sacræ Scripturæ et Traditionis recognita ; nulla demum habita textus adulteratione, sed ope tantum intercalationum, adnotationum et appendicum, ad præsentem rerum conditionem accommodata cura et studio **Le Noir,** presbyt. *Editio tertia.* 4 forts volumes in-8°. Papier vergé.

Bernardini à Piconio, Ordinis cappuccinorum, Opera Omnia. Triplex Expositio in Evangelia, per Analysim, Paraphrasim et Commentarium. La vraie manière de sanctifier sa vie. L'art de bien vivre et de bien mourir. Epistolarum Beati Pauli Apostoli triplex Expositio, Analysi, Paraphrasi atque Commentario. 5 vol. in 8°

Cæremoniale Episcoporum, prolegomenis et commentariis illustratum cura et studio **Josephi Catalani** presb. congr. Orat. S. Hieronymi Charitatis. Nova editio emendata et plurimis additamentis locupletata. 2 vol. in-4° cum Figuris æneis

De Doctrina Sacri Concilii Tridentini et Catechismi Romani de completa Summa S. Evangelii. Id est, De Symbolo, De Sacramentis, De Decalogo, De Oratione dominicali, et De morum reformatione ; fideliter collecta, distincta ordinata et, ubi opus fuit, explicata, per **D. Joan. Bellarinum,** cler. reg. Congr. S. Pauli. 2 vol. in-8°

Ecclesiasticæ Historiæ Breviarium, auctore **J. L. Berti,** Fratre Eremita Augustiniano, continuatum usque ad annum MDCCCLXXIX a P. Lect. Fr. **Thirso Lopez,** Ord. Eremit. S. Augustini Alummo, in Collegio Sanctæ Mariæ de Vite sacr. Theologiæ Professore. 2 vol. in-8°. Papier vergé.

S. Gregorii VII, Epistolæ et diplomata pontificia accedunt vita ejusdem pontificis et appendices amplissimæ veterum et recentiorum monumenta perplurima Gregorii VII apologetica, vel ætatem ejus illustrantia, complectentes. 2 in-8.

Institutiones jurihocanonicquani siecisis Pontificalis Seminarii Romani et Collegis Urbani tradidit clarissimus professor **de Camillis,** 3 vol. in 12.

Jus canonicum universum, auctore **F. Anacleto Reiffenstuel,** Ord. Min. reform. ; cui nunc primum accedunt variæ adnotationes pro quarumdam quæstionum uberiori enodatione, attenta rerum conditione præsenti digestæ, necnon Index generalis, studio et opera **V Pelletier,** can. Aurel. 7 vol. in-4. Papier vergé

Lugo (Joan. de) S. J. Opera omnia. 8 v. in-4°. Papier vélin. 2° *édition.*

Maria prædicatoris nec non confessarii Aurifodina, seu e commentariis. **Cornelii a Lapide** de B. Virgine Maria excerptiones coordinatæ. 1 vol. in-12.

Missale Romanum ex decreto sacrosancti concilii Tridentini, restitutum S. Pii V, pontificis maximi, jussu editum Clementis VIII et Urbani VIII auctoritate recognitum, ad exemplar Romanum anni MDCCCLVI initialibus litteris et imaginibus splendissimis exornatum, cum approbatione Emi et Rmi D. Cardinalis **Rauscher,** Princ. Archiep. Viennensis. 1 vol. in-fol.

Prima Scientiarum principia, seu Philosophia catholica juxta divum Thomam ejusque interpretatores, respectu habito ad hodiernam disciplinarum rationem, auctore **Rosset,** episcopo Maur. *Editio tertia.* 2 v. in-12.

Theologia universa, ad ætatem nostram et ad scholarum usum accommodata. Auctoribus **P. Thoma ex Charmes** et abbate **Desorges** 7 vol. in-12.

Theologiæ Suarez Summa, seu compendium, **A. R. P. Francisco Noel, S.J.** concinnatum, 4 vol. grand in-8°.

Ripalda. S. J. Opera. 8 volumes in-4°. Papier vergé.
Papier vélin.

S. Thomas et Doctrina præmotionis physicæ, responsio ad **R. P. Schneeman** S. J. aliisque doctrinæ scholæ thomisticæ impugnatores, auctore a **M. Dummermuth** O. P. 1 vol. in-8° raisin de 768 pp.




Widener Library
2044 105 514 996